


C. VELLEII
PATERCULI
Hist. Rom.

Ad

M. VINICIUM COS.

Libri duo.

Cum annotatis

JOANNIS HENRICI
BOECLERI.

PP. Eremitar. Camaldulens. Montis Regij prope Varsaviam



ARGENTORATI
Typis JOAN. PHILIPPI MÜLBII,
ACADEMIÆ TYPOGRAPHI.

M DC XLII.

Ex libris Laur. Eckstedii D.



IO
Doct
Co

J



ob
sum



VIRO

Admodum Reuerendo Excellentissimoque

DN.

IOANNI SCHMIDIO

Doctori Theologo & Professori, Conuentus Ecclesiastici Præsidi, Capituli Thomani Præposito, apud Argentoratenses,

JOANNES HENRICUS BOECLERUS

S. P. D.



On differendum fuit hoc qualecunque venerationis publicæ monumentum, quo ob multa & magna Tua aduersum me meosque merita, VEL-

LEIUM istum grata piaque mente, simplicique proposito ac formula, præclarissimo nomini Tuo inscriptum eo atque dedicatum, Præses Grauissime. Quamuis enim in redhostimenti vicem neq; tale munus, neque quidquam à me aliud sufficere possit, cōscientiæ tamen meæ consulendum, atque insuper de æquitate Tua præclare sperandum arbitratus sum. Singularis fuit, affectuque & constantia memorabilis beneuolentia, qua primum in hanc vrbem aduecto velut occurrere, ac subinde in hunc diem mea studia, existimationem, proposita, caritate non minus quam patria amplecti

cti dignatus es: adeo quidem, vt neminis auctoritatem potius secutus sim, cum de me Argentorati retinendo, oblata honestissimi muneris functione, ageretur. Mihi quippe alia omnia id temporis agitanti, expectare remotius fatum, quam occupare præsentius placebat. nisi quod denique & omen & partem prudentiæ in eo sitam fore iudicaui, si viri Deo carissimi, & præterea omnium confessione ac testimonio prudentissimi, iudicio adquiescerem. Accessit alia atque alia necessitudo, & ante hoc biennium Christianæ συντεκνίας vinculum; quodque ex animo nunquam dimittere, atque

ne in hoc tranſcurſu quidem poſſum præterire, diuini & fatalis alloquii leuamentum; cum lethali valetudine afflictum, & aliquando inter grauiſſimos mœrores deſtitutum, opportuno ſuperuentu ac cęleſtiſſimis oraculis ita recreaſti, vt diſcuſſis Tuæ vocis miniſterio angoribus, præſentiſſime illaberetur animo meo ſolatrix Prouidentia. cuius tam ſingulare beneficium ſtatim, veluti voto nuncupato, per omnem vitam celebrandum ſuſcepi. Hæc atque talia, quibus memorandis hic non eſt locus, quantum incitauerint auxerintque meam erga Te obſeruantiam, facile poterunt exiſtimare,

re, qui gratæ piæque mentis officia atque ſtudia intelligunt. Quapropter ſerum mihi videbatur, in tanta æui humani incertitudine, commodioris argumenti operisue, quod Tibi offerretur, occaſionem expectare. cum præſertim hic ipſe Scriptor, meis quibuſdam curis ad Juuentutis Academicæ commercium productus, eo libentius promtiusque ad Te mitti ſeſe pateretur, quo teſtatior eſt Tua in has litteras propenſio & cordatius de iis iudicium. quas ſcilicet nemo odit ſpernitque, niſi qui aut non attigit, aut parum feliciter tractauit. Accipe ergo, Vir ſumme, iſtam voluntatis meæ decla-

clarationem (vix enim ausim pignus dicere) solita lubentia atque comitate: cui me denuo commendatum cupio. Ita Te Deus sospitet seruetq; ; qui à Tua incolumitate non parua rei Ecclesiasticę & ciuilis momenta pridem suspendit. id quod, nupero amissionis metu moniti, ne rursus interpretandum habeant, qui vsquam sunt sanctioris disciplinæ amatores, pro salutis restitutæ diuturnitate, quotidiana mecum vota faciunt. Scribebam Argentorati, pridie Kal. VIIbris. M DC XLII.



LECTORI BENEVOLO

S.



Um primum ad Scriptoris elegantissimi *Velleii Paterculi* editionem animum appuli, & in ea adornanda operam deinceps posui, *Lector Beneuole*, nihil spectaui aliud, quam vsum & commoda Studiosæ iuuentutis. cui potius, quam ambitioni, seruiendum est, si quis officii Academici & conscientiæ regulis seruire constituit. Apparebit hoc præsertim ex *Characteribus Politicis*, quos in formam publicarum exercitationum adornatos distinctosque huic opusculo adiunximus: apparebit ex *Indice*, in quo multa poteramus omittere, aut certe non interpretari, nisi credibile visum esset, Velleii nostri dictionem, elegantias, proprietatem vix clarius discentibus

commendari posse, quam si particulatim descripta pleraque ad obseruationem, & quatenus expositione indigerent, ad euidentiam extarent. Quo referenda etiam est, inueniendi expedita facilitas: cuius respectu eorum non pauca in Indicem contulimus, quæ in annotatis ponere licuisset. *Annotata ipsa*, ciuilis prudentiæ indigitamenta potissimum habent: non omissa tamen philologica super lectionibus disquisitione aut animaduersione. Qua in parte cumprimis operam dedimus, vt aduersus sæculum nobis mens constaret. itaque tum multa silentio inuoluimus, quæ promte & merito refutari potuisse, quiuis intelliget, ad quem singulorum in Velleium notæ peruenerint; tum accuratam existimationis cuiusque rationem habuimus. Quis neget, vel prætereundo quædam emendari? quid opus deinde vellicare talia doctorum errata, quibus neque decipi amplius quisquam potest? cuiuscemodi ne memorare quidem semper, nedum traducere fas aut operæpretium est. Denique non possum, quamdiu mihi intelligentem diuini humanique iuris mentem Deus conseruauerit,

tam abiecte de mea statione sentire, vt decere me credam, cum vllo mortalium in mutuum inquinandæ famæ certamen descendere. Ita ab adolescentia vitam institui, atque ita à viris grauibus & moderatis edoctus sum, vt pro monstro habeam, si in dramatico Scriptore (assumam enim exempli caussa poësin) videam ex persona honesti aut boni viri aliquid immodicum, impotens, malignum dici. Hæc si in studiis sequimur, in vita negligimus; valde absurdi sumus. Præsertim cum hoc sit illud tempus, quo omnes, qui reip. litterariæ consultum cupiunt, oporteat gliscentem in ea diro omine contentiosæ intemperantiæ pestem suffocare ac extinguere. Qoud nisi fiat, præter immedicabile damnum, difficile erit olim, posteritatis, cuius reuerentia plane exuitur animis, censuram euadere. quæ *tumultuosos in simpulo fluctus* vel satyrica notatione exagitabit, vel iustissima seueritate damnabit. Porro, quod amicorum cármina huic editioni passus sum præmitti, profecto ipsorum potius quam meo arbitrio factum est; quipped qui non ignorem, quam opportuna calumniandi occa-

ſio inde captetur hodie: ſed cum pertendentibus ſui affectus beneuolentiam diutius pugnare, moroſitati proximum fuiſſet. Vale, Lector amice, atque eam æquitatem adfer ad hæc noſtra, quæ hominis otio minime abundantis laboribus iudicandis deberi videbitur.



Ad



Ad Virum Clarissimum

DN.

JOHAN. HENRICUM BOECLERUM,
Profess. in Vniuers. Argent.

C. Velleii Paterculi Historias accurantem

EMBLEMA.

Sol *in Ariete*, hyacinthum *florem irradians*.

E PVLCHRO PVLCHERRIMVS IPSE.

Cubans sub spatiosiore fago
Lustro lumine veris apparatum:
Vt repullulat herba agri tenella,
Vt dulces Zephyri libidinantur,
Vt floret Ceres atque captat auras
Flagrantes genialis arui amore.
Vt mihi innocua hæc placet voluptas!
Vt mentem hæc mihi surripit voluptas!
Capit mox oculos amœna Flora,
Rapit mox oculos decora florum
Adductrix Hyacinthus, *imminensq́ue*
Sol *eius foliis laboriosus*,
Cuius tunc Aries iubar tenebat.
Heus, emblemata quis resoluet ista?

Quaq;

Quæque ænigmata quis resoluet arte?
Velleius mihi flosculus venustus,
Bœclerus mihi Sol laboriosus:
Regum nomina rite monstrat alter,
Descripta in foliis decore veris,
Autor cum violis rosisq; natus:
Inter Nomina mentium refulget
Alter ingenii nitentis ausis.
Is Phœnix velut elegantiarum;
Hic Phœbus velut eruditionis,
Ingens gloria temporum meorum.
Nunc Emblemata fas resoluere ista;
Nunc Ænigmata sic licet resoluas:
Velleius hyacinthus eminens stat
Bœcleri radiis coruscus istis,
Flos pulcherrimus à micante Sole.

Amicitiæ mnemosynon

scrib.

Georg. Philippus Harsdörffer.

A me laudari non vis. doleo. parendum est.
nempe à laudato laus cupienda viro.
Peccaui: fateor. Meriti qui præmia Nomenque
Immortale tibi debet, vtrumque dabit
VELLEIUS, cui Tu vitamque animamq; dedisti.
Dispereat famæ qui negat ista Tuæ.

Joh. Mich. Moscherosch.

Viro Excellentißimo,

JOANNI HENRICO BOECLERO,

Affini Meo,

VELLEIUM PATERCULUM
edenti.

MVlti multa petunt, timetque magno
Audax orbe capi cupido. cuncti
Sibi sed cupiunt, serunt, metuntque;
Et quorum speciosius putatur
Votum, nil cupiunt nisi videri.
Ardor solus is innocens habetur,
Si quem prouida publici lacessit
Boni cura, facesque subdit acri
Et ad maxima pectori parato.
Qualis, Vir celebris, Tibi: renatum
Qui rursus nitidaque gloriantem
Sistis veste Paterculum petenti
Et prodesse iubes benignus orbi.
Famæ quod reliqui, omnium beatis
Tu das vsibus. Ast honor neglectus
Tanto Te cumulatior sequetur;
Et sicut pretium Tui laboris
Censes commoda seculi ruentis
Provexisse; fauore sic perenni
Et semper memori piaque mente
Tuis officiis referre cuncta
Suas secula gratias videbis.

Samuel Schallesius.

ΠΑΥΡΑ ΜΕΝ, ΑΛΛΑ
ΜΑΛΑ ΛΙΓΕΩΣ.

C.VEL-

C. VELLEII PATERCVLI HISTORIÆ ROMANÆ, AD M. VINICIVM COS.

LIBER PRIMVS.

1 ** tempeſtate diſtractus à duce Cap.I.
ſuoNeſtore, Metapontum condidit.
Teucer, non receptus à patre Telamone,
ob ſegnitiam non vindicatæ
fratris iniuriæ, Cyprum appulſus,
cognominem patriæ ſuæ Salamina
conſtituit. Pyrrhus, Achillis filius,
Epirum occupauit; Phidippus Ephy-
2 ram in Theſprotia. at rex regum
Agamemnon, tempeſtate in Cretam
inſulam reiectus, tres ibi vrbes
ſtatuit, duas à patriæ nomine, vnam
à victoriæ memoria, Mycenas, Tegeam,
Pergamum. idem mox, ſcelere
patruelis fratris Ægiſthi, hereditarium
exercentis in eum odium, &
facinore uxoris oppreſſus occiditur.
3 regni potitur Ægiſthus per annos

VII. hunc Orestes, matremque, socia
consiliorum omnium sorore Ele-
ctra, virilis animi femina, obtrun-
cat. factum eius à diis comproba-
tum, spatio vitæ & felicitate imperii
apparuit: quippe vixit annis XC, re-
gnavit LXX. qui se etiam à Pyrrho,
Achillis filio, virtute vindicauit.
nam, quod pactæ eius, Menelai atq;
Helenæ filiæ Hermiones nuptias oc-
cupauerat, Delphis eum interfecit.
Per hæc tempora Lydus & Tyrrhe- 4
nus fratres cum regnarent in Lydia,
sterilitate frugum compulsi, sortiti
sunt, uter cum parte multitudinis pa-
1, 4, 3. tria decederet. sors Tyrrhenum con-
tigit. peruectus in Italiam, & loco &
incolis & mari, nobile ac perpe-
1, 3, 2. tuum à se nomen dedit. Post Orestis
interitum, filii eius Penthelus & Ti-
11. samenus, regnauere triennio. Tum, 1
fere anno octogesimo post Troiam
captam, centesimo & vigesimo
quam Hercules ad deos excesserat,
Pelopis progenies, quæ omni hoc
tem-

tempore, pulsis Heraclidis, Peloponnesi imperium obtinuerat, ab Herculis progenie expellitur. duces recuperandi imperii fuere, Temenus, Cresphontes, Aristodemus;
2 quorum atauus fuerat. Eodem fere tempore Athenæ sub regibus esse desierunt: quarum vltimus rex fuit Codrus, Melanthi filius, vir non prætereundus. quippe, cum Lacedæmonii graui bello Atticos premerent, respondissetq; Pythius, *quorum dux ab hoste esset occisus, eos futuros superiores*; deposita veste regia, pastoralem cultum induit; immistusque castris hostium de industria, imprudenter, rixam ciens, inter-
3 emptus est. Codrum cum morte æterna gloria, Athenienses secuta victoria est. quis eum non miretur, qui iis artibus mortem quæsierit, quibus ab ignauis vita quæri solet?
4 Huius filius Medon primus Archon Athenis fuit. ab hoc posteri apud Atticos dicti *Medontidæ*. sed ii, in-

cap.3. ſequenteſque Archontes, vſque ad
1,8,3. Charopem, dum viuerent eum ho-
norem vſurpabant. Peloponneſii, 5
digredientes finibus Atticis, Mega-
ram mediam Corintho Atheniſq;
vrbem condidere. Ea tempeſtate & 6
Tyria claſſis, plurimum pollens ma-
ri, in vltimo Hiſpaniæ tractu, in ex-
tremo noſtri orbis termino inſulam
circumfuſam Oceano, perexiguo à
continenti diuiſam freto, Gades
condidit. ab iiſdem poſt paucos an-
nos in Africa Vtica condita eſt. Ex- 7
cluſi ab Heraclidis Oreſtis liberi, ia-
ctatique cum variis caſibus, tum ſæ-
uitia maris, quintodecimo anno ſe-
dem cepere circa Lesbum inſulam.
III. Tum Græcia maximis concuſſa eſt 1
motibus: Achæi ex Laconica pulſi,
eas occupauere ſedes, quas nunc
obtinent: Pelaſgi Athenas commi-
grauere: acerque belli iuuenis, no-
mine Theſſalus, natione Theſpro-
tius, cum magna ciuium manu, eam
regionem armis occupauit, quæ
nunc

nunc ab eius nomine *Theſſalia* ap- 1, 1, 4.
pellatur, ante *Myrmidonum* vocitata
2 *ciuitas*. Quo nomine, mirari conuenit eos, qui Iliaca componentes tempora, de ea regione, ut *Theſſalia* commemorant. quod cum alii faciant, Tragici frequentiſſime faciunt. quibus minime id concedendum eſt. nihil enim ex perſona poëtæ, ſed omnia ſub eorum, qui illo tempore vixerunt, dixerunt. quod ſi quis à Theſſalo, Herculis filio, eos appellatos Theſſalos dicet: reddenda erit ei ratio, cur numquam ante hunc inſequentem Theſſalum, ea
3 gens id nominis vſurpauerit. Paullo ante Aletes, ſextus ab Hercule, Hippotis filius, Corinthum, quæ antea 1, 13, 1.
fuerat Ephyre, clauſtra Peloponneſi continentem, in Iſthmo condidit. Neque eſt, quod miremur ab Homero nominari *Corinthum*. nam ex perſona poëtæ & hanc vrbem, & quaſdam Ionum colonias iis nominibus appellat, quibus vocabantur

ætate eius, multo post Ilium captum
IV. conditæ. Athenienses in Eubœa 1
Chalcida & Erethriam colonis occupauere; Lacedæmonii in Asia Magnesiam. Nec multo post Chalcidenses, orti, vt prædiximus, Atticis, Hippocle & Megasthene ducibus, Cumas in Italia condiderunt. huius classis cursum esse directum alii *columbæ antecedentis volatu* ferunt; alii *nocturno æris sono*, qualis Cerealibus
sacris cieri solet. Pars horum ciui- 2
um magno post interuallo Neapolim condidit. vtriusque vrbis eximia semper in Romanos fides, facit eas nobilitate atque amœnitate sua dignissimas. sed aliis diligentior ritus patrii mansit custodia: Cumanos Osca mutauit vicinia. Vires autem veteres earum vrbium hodieq;
magnitudo ostentat mœnium. Sub- 3
sequenti tempore magna vis Græcæ iuuentutis, abundantia virium se-
I, I, 4. des quæritans, in Asiam se effudit. nam & Iones, duce Ione profecti
Athe-

Athenis, nobiliſſimam partem re-
gionis maritimæ occupauere, quæ
hodieque appellatur Ionia; vrbeſq;
conſtituere, Epheſum, Miletum,
Colophona, Prienen, Lebedum,
Myuntem, Erythram, Clazomenas,
Phocæam; multaſque in Ægeo atq;
Icario occupauere inſulas, Samum,
Chium, Andrum, Tenum, Pharum
4 Delum aliaſque ignobiles. Et mox
Æolii, eadem profecti Græcia, lon-
giſſimiſque acti erroribus non mi-
nus illuſtres obtinuerunt locos; cla-
raſque vrbes condiderunt, Smyr-
nam, Cymen, Lariſſam, Myrinam,
Mitylenemque, & alias vrbes, quæ
1 ſunt in Lesbo inſula. Clariſſimum V.
deinde Homeri illuxit ingenium,
ſine exemplo maximum: qui ma-
gnitudine operis, & fulgore carmi-
2 num ſolus appellari *Poëta* meruit. in
quo hoc maximum eſt, quod neque
ante illum, quem ille imitaretur;
neque poſt illum, qui eum imitari
poſſet, inuentus eſt. neq; quemquam

cap. 6.

alium, cuius operis primus auctor
fuerit, in eo perfectissimum, præ-
ter Homerum & Archilochum, re-
periemus. Hic longius à tempo- 3
ribus belli, quod composuit, Troici,
quam quidam rentur, abfuit. nam
ferme ante annos DCCCCL flo-
ruit, intra mille natus est. quo no- 4
mine, non est mirandum, quod sæpe
illud vsurpat: οἷοι νῦν βροτοί εἰσι. hoc
enim ut hominum, ita sæculorum
notatur differentia. quem si quis cæ-
cum genitum putat, omnibus sensi-
VI. bus orbus est. Insequenti tempore 1
imperium Asiaticum ab Assyriis,
qui id obtinuerant annis MLXX,
translatum est ad Medos, abhinc
annos ferme DCCLXX. quippe 2
Sardanapalum eorum regem, mol-
litiis fluentem, & nimium felicem
malo suo, tertio & tricesimo loco
ab Nino & Semiramide, qui Ba-
bylona condiderant, natum, ita ut
semper successor regni paterni foret
filius, Pharnaces Medus imperio

vita-

3 vitaque priuauit. Ea ætate clariſſi-
mus Graii nominis Lycurgus La-
cedæmonius, vir generis regii, fuit
ſeueriſſimarum iuſtiſſimarumq; le-
gum auctor, & diſciplinæ conueni-
entiſſimæ vir; cuius quamdiu Sparta
diligens fuit, excelſiſſime floruit.
4 Hoc tractu temporum ante annos V
& LX quam vrbs Romana conde-
retur, ab Eliſſa Tyria, quam quidam
Dido autumant, Carthago conditur. 1, 12, 5.
5 Circa quod tempus Caranus, vir
generis regii, ſextusdecimus ab Her-
cule, profectus Argis, regnum Mace-
doniæ occupauit. à quo magnus
Alexander cum fuerit ſeptimuſde-
cimus, iure materni generis Achille
auctore, paterni Hercule gloriatus
6 eſt. [*Æmilius Sura de annis populi Ro-
mani: Aſſyrii, principes omnium gen-
tium, rerum potiti ſunt, deinde Medi,
poſtea Perſæ, deinde Macedones. exinde
duobus regibus, Philippo & Antiocho,
qui à Macedonibus oriundi erant, haud
multo poſt Carthaginem ſubactam,*

deuictis, ſumma imperii ad populum
VII. *Romanum pervenit.*] Inter hoc tem- 1
pus, & initium Nini regis Aſſy-
riorum, qui princeps rerum potitus,
interſunt anni MDCCCCXCV.
Huius temporis æqualis Heſiodus
fuit, circa CXX annos diſtinctus ab
Homeri ætate, vir perelegantis inge-
nii, & molliſſima dulcedine carmi-
num memorabilis; otii quietiſque
cupidiſſimus, vt tempore tanto viro,
ita operis auctoritate proximus. qui
vitauit, ne in id, quod Homerus, in-
cideret: patriamque & parentes, te-
ſtatus eſt; ſed patriam, quia multatus
ab ea erat, contumelioſiſſime. Dum 2
in externis moror, incidi in rem do-
meſticam, maximique erroris &
multum diſcrepantem auctorum
opinionibus. Nam quidam, *huius
temporis tractu*, aiunt, *à Tuſcis Ca-
puam, Nolamq; conditam*, ante an-
nos fere DCCCXXX. quibus equi-
dem aſſenſerim. ſed M. Cato quan- 3
tum differt? qui dicat, *Capuam ab eiſ-*

dem

 cap. 8.
dem Tuſcis conditam, ac ſubinde
Nolam: ſtetiſſe autem Capuam, ante-
quam à Romanis caperetur, annis cir-
citer CCLX. quod ſi ita eſt, cum ſint
à Capua capta anni CCXL; vt con-
4 dita eſt, anni ſunt fere D. Ego (pace
diligentiæ Catonis dixerim) vix cre-
diderim, tam mature tantam vrbem 2,11,3.
creuiſſe, floruiſſe, concidiſſe, reſur-
1 rexiſſe. Clariſſimum deinde omni- VIII.
um ludicrum certamen, & ad exci-
tandam corporis animiq; virtutem
efficaciſſimum, Olympiorum ini-
tum, habuit auctorem Iphitum Eli-
um. is eos ludos mercatumque inſti-
tuit ante annos, quam tu, *M. Vinici*,
2 conſulatum inires, DCCCIV. hoc
ſacrum eodem loco inſtituiſſe fertur
abhinc annos ferme MCCL
Atreus, cum Pelopi patri funebres
ludos faceret. quo quidem in ludi-
cro omnis generis certaminum
3 Hercules victor exſtitit. Tum Athe- 1,2,4.
nis perpetui Archontes eſſe deſie-
runt, cum fuiſſet vltimus Alcmæon:
cœpe-

cœperuntque in denos annos crea-
ri. quæ conſuetudo in annos LXX
manſit: ac deinde annuis commiſſa
eſt magiſtratibus reſp. Ex iis, qui de-
nis annis præfuerunt, primus fuit
Charops, vltimus Eryx; ex annuis,
primus Creon. Sexta Olympiade, 4
poſt duos & viginti annos, quam pri-
ma conſtituta fuerat, Romulus Mar-
tis filius, vltus iniurias aui, Romam
vrbem Parilibus in Palatio condidit.
à quo tempore ad vos conſules anni
ſunt DCCLXXXII. id actum poſt
Troiam captam annis CDXXXVII.
id geſſit Romulus, adiutus legioni- 5
bus Latini, aui ſui. libenter enim his,
qui ita prodiderunt, acceſſerim: cum
aliter firmare vrbem nouam, tam
vicinis Veientibus, aliiſque Etruſcis
ac Sabinis, cum imbelli & paſtorali
manu vix potuerit. quamquam, iam
Aſylo facto inter duos lucos, auxit.
Hic centum homines electos, appel- 6
latoſque *Patres*, inſtar habuit conſilii
publici. hanc originem nomen *Pa-*

tricio-

 cap. 9.

triciorum habet. Raptus virginum
Sabinarum. *

* * *
* *

1 quam timuerat hostis, expetit. nam IX.
biennio adeo varia fortuna cum
consulibus conflixerat, vt plerumque
superior fuerit, magnamque
partem Græciæ in societatem suam
2 perduceret. Quin Rhodii quoque,
fidelissimi ante Romanis, tum dubia
fide, speculati fortunam, proniores
regis partibus fuisse visi sunt: & rex
Eumenes in eo bello medius fuit
animo, neque fratris initiis, neque
3 suæ respondit consuetudini. Tum
senatus populusque Romanus L.
Æmilium Paullum, qui & prætor
& consul triumphauerat, virum
in tantum laudandum, in 2, 43, 4.
quantum intelligi virtus potest,
consulem creauit: filium eius Paulli,
qui ad Cannas quam tergiuersanter
perniciosam reip. pugnam inierat,
tam fortiter in ea mortem obierat.

rat. is

cap. 9.

is Perſeum ingenti prœlio apud vr- 4
bem nomine Pydnam in Macedo-
nia, fuſum fugatumque caſtris exuit;
deletiſque eius copiis, deſtitutum
omni ſpe coëgit è Macedonia pro-
fugere. quam ille linquens, in inſu-
lam Samothraciam profugit, tem-
plique ſe religioni ſupplicem credi-
dit. Ad eum Cn. Octauius prætor,
qui claſſi præerat, peruenit; & ratio-
ne magis quam vi perſuaſit, vt ſe
Romanorum fidei committeret. Ita 5
Paullus maximum nobiliſſimumq;
regem in triumpho duxit. Quo anno
& Octauii prætoris, naualis; & Ani-
cii, regem Illyriorum Gentium ante
currum agentis, triumphi fuere ce-
lebres. Quam ſit aſſidua eminentis 6
fortunæ comes inuidia, altiſſimiſq;
adhæreat, etiam hoc colligi poteſt:
quod, cum Anicii Octauiiq; trium-
phum nemo interpellaret, fuere, qui
Paulli impedire obniterentur: cuius
tantum priores exceſſit, vel magni-
tudine regis Perſei, vel ſpecie ſimu-

sacrorum, vel modo pecuniæ, vt bis
millies centies H S ærario contulerit,
& omnium ante actorum compa-
1 rationem amplitudine vicerit. Per X?
idem tempus, cum Antiochus Epi-
phanes, qui Athenis Olympicum
inchoavit, tum rex Syriæ, Ptole-
mæum puerum Alexandriæ obside-
ret; missus est ad eum legatus M. Po-
pillius Lænas, qui iuberet incepto
2 desistere. mandataque exposuit; &
regem, *deliberaturum se* dicentem,
circumscripsit virgula, iussitque,
*prius responsum reddere, quam egre-
deretur finito arenæ circulo.* sic co-
gitationem regiam Romana disiecit
constantia; obeditumque imperio.
3 Lucio autem Paullo, magnæ victo-
riæ compoti, quattuor filii fuere. ex
iis duos, natu maiores, vnum P. Sci-
pioni, P. Africani filio, nihil ex pa-
terna maiestate, præter speciem no-
minis, vigoremque eloquentiæ, re- 1,12,3.
tinenti in adoptionem dederat; al-
terum Fabio Maximo: duos mino-
res na-

res natu, prætextatos, quo tempore
victoriam adeptus est, habuit. Is cum 4
in concione extra vrbem, more ma-
iorum, ante triumphi diem, ordi-
nem actorum suorum commemo-
raret, deos immortales precatus est,
vt, si quis eorum inuideret operibus ac
fortunæ suæ, in ipsum potius sæuirent,
quam in remp. quæ vox, veluti oracu 5
lo emissa, magna parte eum spolia-
uit sanguinis sui.* nam alterum ex
his, quos in familia retinuerat, libe-
ris, ante paucos triumphi; alterum
post pauciores amisit dies. Aspera 6
circa hæc tempora censura Fuluii
Flacci & Postumii Albini fuit. quip-
2, 3, 1. pe Fuluii censoris frater, & quidem
consors, Cn. Fuluius, senatu motus
XI. est ab iis censoribus. Post victum 1
captumque Perseum, qui quadrien-
nio post in libera custodia Albæ de-
cessit, *Pseudophilippus*, à mendacio
simulatæ originis appellatus, qui se
Philippum, regiæque stirpis ferebat,
cum esset vltimæ, armis occupata

Macedonia, assumtis regni insignibus, breui temeritatis pœnas dedit.
2 quippe Q. Metellus prætor, cui ex virtute *Macedonici* nomen inditum, præclara victoria ipsum gentemque superavit, & immani etiam Achæos rebellare incipientes fudit 1, 13, 2. 2, 5, 1.
3 acie. Hic est Metellus Macedonicus, qui porticus, quæ fuere circumdatæ duabus ædibus sine inscriptione positis, quæ nunc Octauiæ porticibus ambiuntur, fecerat: quiq; hanc turmam statuarum equestrium, quæ frontem ædium spectant, hodieque maximum ornamentum eius loci, 2, 1, 2.
4 ex Macedonia detulit. cuius turmæ hanc caussam referunt: *Magnum Alexandrum impetrasse à Lysippo, singulari talium auctore operum, vt eorum equitum, qui ex ipsius turma apud Granicum flumen ceciderant, expressa similitudine figurarum, faceret statuas, & ipsius quoq; iis interponeret.*
5 Hic idem, primus omnium Romæ ædem ex marmore in iis ipsis mo-

numentis molitus, vel magnificen-
2,1,2. tiæ vel luxuriæ princeps fuit. Vix 6
vllius gentis, ætatis, ordinis homi-
nem inueneris, cuius felicitatem
fortunæ Metelli compares. nam prę-
ter excellentes triumphos, hono-
reſque ampliſſimos, & principale
in rep. faſtigium, extentumque vitæ
ſpatium, & acres innocenteſque pro
rep. cum inimicis contentiones,
quatuor filios ſuſtulit, omnes adul-
tæ ætatis vidit, omnes reliquit ſu-
perſtites & honoratiſſimos. mortui 7
eius lectum pro Roſtris ſuſtulerunt
quattuor filii. vnus conſularis, &
cenſorius; alter conſularis, tertius
conſul, quartus candidatus conſula-
tus: quem honorem adeptus eſt.
Hoc eſt nimirum magis, feliciter de
XII. vita migrare, quam mori. Vniuerſa 1
deinde, ut prædiximus, inſtincta in
bellum Achaia, cuius pars magna
eiuſdem Metelli Macedonici vir-
tute armiſque fracta erat, maxime
Corinthiis in arma, cum graui-
bus etiam in Romanos contume-

contumeliis, inſtigantibus, deſti- cap. 12.
natus ei bello gerendo conſul Mum-
2 mius. Et ſub idem tempus, magis,
quia volebant Romani, quicquid de
Carthaginienſibus diceretur, crede-
re, quam quia credenda afferebantur, ſtatuit ſenatus Carthaginem
3 excidere. Ita eodem tempore P. Sci-
pio Æmilianus, vir auitis P. Africani paterniſque L. Paulli virtutibus ſimillimus, omnibus belli ac togæ dotibus, ingeniique ac ſtudiorum 1, 13, 3.
eminentiſſimus ſæculi ſui, qui nihil in vita niſi laudandum aut fecit aut dixit ac ſenſit; quem, Paullo genitum, adoptatum à Scipione Africani filio diximus, ædilitatem pe- 1, 10, 3.
4 tens conſul creatus eſt. Bellum Carthagini, iam ante biennium à prioribus conſulibus illatum maiore vi intulit; cum ante in Hiſpania murali corona, in Africa obſidionali donatus eſſet; in Hiſpania vero etiam ex prouocatione, ipſe modicus virium, immanis magnitudinis ho-

cap. 13. hostem interemisset. Eamque vr- 5
bem, magis inuidia imperii, quam
vllis eius temporis noxis inuisam
Romano nomini, funditus sustulit,
fecitque suæ virtutis monumen-
tum, quod fuerat aui eius clemen-
tiæ. Carthago diruta est, cùm stetisset
annis DCLXVII, ab hinc annos
CLXXVII, Cn. Cornelio Lentulo,
L. Mummio cos. Hunc finem habuit 6
2, 1, 1. Romani imperii Carthago æmula;
cum qua bellare maiores nostri cœ-
pere Claudio & Fuluio consulibus,
ante annos CCCXCVI, quã tu, *M. Vi-
nici*, consulatum inires. ita per annos
CXV, aut bellum inter eos populos,
aut belli præparatio, aut infida pax
2, 4, 3. fuit. neque se Roma, iam terrarum 7
orbe superato, securam sperauit fo-
re, si nomen vsquam stantis mane-
ret Carthaginis. adeo odium, cer-
taminibus ortum, vltra metum du-
rat, & ne in victis quidem deponi-
tur, neque ante inuisum esse desinit,
XIII. quam esse desiit. Ante triennium, 1
quam

quam Carthago deleretur, M. Cato, perpetuus diruendæ eius auctor, L. Censorino, M. Manlio cos. mortem obiit. Eodem anno, quo Carthago concidit, L. Mummius Corinthum, post annos DCCCCLII, quam ab Alete Hippotis filio erat 1,3,3.
2 condita, funditus eruit. vterque imperator, deuictæ à se gentis nomine honoratus, alter *Africanus*, 5,1.2,10, alter appellatus est *Achaicus*. nec 2.2,11,2. quisquam ex nouis hominibus prior Mummio cognomen virtute par-
3 tum vindicauit. Diuersi imperatoribus mores, diuersa fuere studia. quippe Scipio tam elegans liberalium studiorum omnisque doctrinæ & auctor & admirator fuit, vt Polybium, Panætiumque, præcellentes ingenio viros, domi militiæque secum habuerit. neq; enim quisquam hoc Scipione elegantius interualla negotiorum otio dispunxit: semperque aut belli aut pacis seruiit artibus: semper inter arma ac studia

cap. 14. verſatus, aut corpus periculis aut
animum diſciplinis exercuit. Mum- 4
mius tam rudis fuit, vt, capta Corin-
tho, cum maximorum artificum
perfectas manibus tabulas ac ſtatuas,
in Italiam portandas locaret, iube-
ret prædici conducentibus, ſi eas
perdidiſſent, nouas eos reddituros.
Non tamen puto dubites, *Vinici*, 5
quin magis pro rep. fuerit, manere
adhuc rudem Corinthiorum intel-
lectum, quam in tantum ea intelligi;
& quin hac prudentia illa impru- 1
dentia decori publico fuerit conue-
XIV: nientior. Cum facilius cuiuſque rei
2, 38, 1. in vnum contracta ſpecies, quam di-
uiſa temporibus, oculis animiſque
inhæreat; ſtatui priorem huius vo-
luminis, poſterioremque partem,
non inutili rerum notitia in artum
contracta, diſtinguere: atque huic
loco inſerere, quæ quoque tempore,
poſt Romam à Gallis captam, de-
ducta ſit colonia iuſſu ſenatus. nam
1, 15, 5. militarium & cauſſæ & auctores &
ipſa-

 cap. 14.

ipsarum præfulgent nomina. huic rei per idem tempus ciuitates propagatas, auctumque Romanum nomen communione iuris, haud in-
2 tempestiue subtexturi videmur. Post septem annos, quam Galli vrbem ceperunt, *Sutrium* deducta colonia est, & post annum *Setina*, nouemq; interiectis annis *Nepe*; deinde, interpositis duobus & triginta, *Aricini*
3 in ciuitatem recepti. abhinc annos autem CCCL, Sp. Postumio, Veturio Caluino cos. *Campanis* data est ciuitas, partique *Samnitium*, sine suffragio: & eodem anno *Cales* de-
4 ducta colonia. Interiecto deinde triennio *Fundani* & *Formiani* in ciuitatem recepti, eo ipso anno, quo Alexandria condita est. insequentibusque consulibus à Sp. Postumio, Philone Publilio censoribus *Acerranis* data ciuitas, & post triennium *Tarracinam* deducta colonia. interpositoque quadriennio, *Luceria*; ac deinde, interiecto

cap. 14. triennio, *Suessa Aurunca*; & *Saticula*, *Interamnaq;* post biennium. Decem deinde hoc munere anni vacauerunt. tunc *Sora* atque *Alba* deductæ coloniæ, & *Carseoli* post biennium. at quintum Fabio, Decio Mure quartum cos. quo anno Pyrrhus regnare cœpit, *Sinuessam*, *Minturnasq;* missi coloni; post quadriennium *Venusiam*. interiectoque biennio, M. Curio & Rufino Cornelio cos. *Sabinis* sine suffragio data ciuitas. id actum ante annos ferme CCCXX. at *Cossam* & *Pæstum* abhinc annos ferme CCC, Fabio Dorsone & Claudio Canina cos. interiecto quinquennio, Sempronio Sopho & Appio Cæci filio cos. *Ariminum*, *Beneuentum* coloni missi; & suffragii ferendi ius *Sabinis* datum. at initio primi belli Punici *Firmum* & *Castrum* colonis occupata. & post annum *Æsernia*, postque XXII annos *Æsulum* & *Alsium*; *Fregellæq;* post biennium; proximoque anno, Tor-

5 … 6 … 7 … 8

Torquato Sempronioq; cos. *Brundisium*, & post triennium *Spoletium*: quo anno Floralium ludorum factum est initium. postque biennium deducta *Valentia*, & sub aduentum in Italiam Hannibalis, *Cre-*
1 *mona* atque *Placentia*. Deinde, neq; XV.
dum Hannibal in Italia moratur, neque proximis post excessum eius annis, vacauit Romanis colonias condere; cum esset in bello conquirendus potius miles quam dimittendus; & post bellum vires refouen-
2 dæ magis, quam spargendæ. Cnæo autem Manlio Volsone, M. Fuluio Nobiliore cos. *Bononia* deducta colonia, abhinc annos ferme CCXVII. &, post quadriennium, *Pisaurum ac Potentia*; interiectoque triennio, *Aquileia* & *Grauisca* &
3 post quadriennium *Luca*. Eodem temporum tractu, quamquam apud quosdam ambigitur, *Puteolos, Salernumq;* & *Buxentum* missi coloni. *Auximum* autem in Picenum, ab-

hinc annos ferme CLXXXVII, ante
triennium, quam Cassius censor, à
Lupercali in Palatium versus, thea-
trum facere instituit. cui in demo-
liendo eximia ciuitatis seueritas &
consul Scipio restitere. quod ego
inter clarissima publicæ voluntatis
argumenta numerauerim. Cassio au- 4
tem Longino & Sextio Caluino, qui
Sallues apud Aquas, quæ ab eo Sex-
tiæ appellantur, deuicit, consulibus
Fabrateria deducta est, abhinc an-
nos ferme DLVII. &, post annum,
Scylacium, *Mineruium*, *Tarentum*,
2,15,1. *Neptunia*, *Carthagoq;* in Africa pri-
ma, vt prædiximus, extra Italiam, co-
lonia condita est. de *Dertona* ambi 5
2,8,1. gitur. *Narbo* autem *Marcius* in Gal-
lia, M Porcio Q. Marcio cos. abhinc
annos circiter CLIII deducta colo-
nia est. post tres & viginti annos in
Vagiennis *Eporædia*, Mario sexies,
Valerioque Flacco cos. Neq; facile
memorię mandauerim, quę, nisi mi-
1,14,1. litaris, post hoc tempus deducta sit.

Cum

1 Cum hæc particula operis velut XVI.
formam propositi excesserit, quam- 2, 49, 1.
quam intelligo, mihi in hac tam pręcipiti
festinatione, quæ me rotæ
proniue gurgitis ac verticis modo
nusquam patitur consistere, pæne
magis necessaria prętereunda, quam 2, 52,
superuacua amplectenda: nequeo 2, 55, 1.
tamen temperare mihi, quin rem 85, 1.
sæpe agitatam animo meo, neque ad
liquidum ratione perductam, si-
2 gnem stylo. Quis enim abunde mi-
rari potest, quod eminentissima cu- 2, 36, 2
iusq; professionis ingenia, in eandē
formam, & in idem artati temporis
congruens spatium; & quemadmo-
dum clausa capsa, alioque septo di-
uersi generis animalia, nihilo mi-
nus separata alienis, in vnum quoq;
corpus congregantur; ita cuiusque
clari operis capacia ingenia in simi-
litudinem & temporum & profe-
ctuum semetipsa ab aliis separaue-
3 runt? Vna, neque multorum anno-
rum spatio diuisa, ætas, per diuini
spiritus

ſpiritus viros, Aeſchylum, Sopho-
clem, Euripidem, illuſtrauit tragœ-
dias: vna priſcam illam & veterem
ſub Cratino, Ariſtophane & Eupo-
lide comœdiam: ac nouam comi-
cam Menandrus, æqualeſque eius
ætatis magis quam operis, Phile-
mon ac Diphilus, & inuenere intra
pauciſſimos annos, neque imitanda
reliquere. Philoſophorum quoque 4
ingenia, Socratico ore defluentia,
omnium, quos paullo ante enume-
rauimus, quanto poſt Platonis Ari-
ſtoteliſque mortem floruere ſpatio?
Quid ante Iſocratem, quid poſt eius 5
auditores, eorumque diſcipulos cla-
rum in oratoribus fuit? adeo qui-
dem artatum anguſtiis temporum,
vt nemo memoria dignus alter ab
XVII. altero videri nequiuerint. Neque 1
hoc in Græcis, quam in Romanis,
euenit magis. nam, niſi aſpera ac
rudia repetas, & inuenti laudanda
nomine, in Attio circaque eum
Romana tragœdia eſt. dulceſque
Latini

Latini leporis facetiæ per Cæcilium, Terentiumque & Afranium sub pa-
2 ri ætate nituerunt. Historicos (vt Liuium quoque priorum ætati adstruas) præter Catonem & quosdam veteres & obscuros, minus LXXX annis circumdatum æuum tulit: vt nec poëtarum in antiquius
3 citeriusue processit vbertas. At oratio, ac vis forensis perfectumque prosæ eloquentiæ decus, vt idem separetur Cato (pace P. Crassi Scipionisque & Lælii & Gracchorum, & Fannii & Ser. Galbæ dixerim) ita vniuersa sub principe operis sui erupit Tullio: vt delectari ante eum paucissimis, mirari vero neminem possis, nisi aut ab illo visum, aut qui
4 illum viderit. Hoc idem euenisse grammaticis, plastis, pictoribus, scalptoribus, quisquis temporum institerit notis reperiet, & eminentia cuiusque operis artissimis temporum
5 claustris circumdata. Huius ergo, præcedentisque sæculi, ingeniorum simi-

cap. 18.
ſimilitudines congregantis & in
ſtudium par, & in emolumentum,
1, 16, 1. cauſſas cum ſemper requiro, num-
quam reperio, quas eſſe veras confi-
dam, ſed fortaſſe veriſimiles: inter
quas has maxime. Alit æmulatio in- 6
genia: & nunc inuidia, nunc admi-
ratio incitationem accendit: natu-
raque, quod ſummo ſtudio petitum
eſt, aſcendit in ſummum: difficiliſq;
in perfecto mora eſt; naturaliterque,
quod procedere non poteſt, recedit.
&, vt primo ad conſequendos, quos 7
priores ducimus, accendimur: ita,
vbi aut prȩteriri, aut æquari eos poſſe
deſperauimus, ſtudium cum ſpe ſe-
neſcit; & quod aſſequi non poteſt,
ſequi deſinit, &, velut occupatam re-
linquens materiam, quærit nouam:
præteritoque eo, in quo eminere
non poſſumus, aliquid in quo nita-
mur conquirimus: ſequiturque, vt
frequens ac mobilis tranſitus maxi-
mum perfecti operis impedimen-
XVIII. tum ſit. Tranſit admiratio ad condi- 1

cionem temporum, & ad vrbium. Vna vrbs Attica pluribus annis eloquentia, quam vniuersa Græcia, uberiusque floruit; adeo vt corpora gentis illius separata sint in alias ciuitates, ingenia vero solis Atheniensium muris clausa existimes. Neque
2 ego hoc magis miratus sim, quam neminem Argiuum, Thebanum, Lacedæmonium oratorem aut dum vixit auctoritate, aut post mortem
3 memoria dignum existimatum. quæ vrbes, & multæ aliæ, talium studiorum fuere steriles, ni Thebas vnum os Pindari illuminaret. nam Alcmana Lacones falso sibi vindicant.

C. VEL-

C. VELLEII PATERCVLI HISTORIÆ ROMANÆ AD M. VINICIVM COS.

LIBER SECVNDVS.

Cap.I. OTENTIÆ Romano- 1
rum prior Scipio viam
1,12,5. aperuerat; luxuriæ poſte-
rior aperuit. quippe re-
moto Carthaginis metu, ſublataque
1,12,6 imperii æmula, non gradu ſed præ-
cipiti curſu à virtute deſcitum, ad
vitia tranſcurſum; vetus diſciplina
deſerta, noua inducta; in ſomnum
à vigiliis, ab armis ad voluptates, à
negotiis in otium conuerſa ciuitas.
Tum Scipio Naſica in Capitolio 2
1,11,3. porticus; tum quas prędiximus, Me-
tellus; tum in circo Cn. Octauius
multo amœniſſima moliti ſunt: pu-
blicamque magnificentiam ſecuta
1,11,5. priuata luxuria eſt. Triſte deinde, &
contumelioſum bellum in Hiſpania,
duce

 cap. I.

duce latronum Viriatho, ſecutum
eſt: quod ita varia fortuna geſtum
eſt, vt ſæpius Romanorum gereretur
aduerſa. ſed interemto Viriatho,
fraude magis quam virtute Serui-
lii Cæpionis, Numantinum grauius
4 exarſit. hæc vrbs numquam decem
millibus plura, propriæ iuuentutis
armauit: ſed, vel ferocia ingenii,
vel inſcitia noſtrorum ducum, vel
fortunæ indulgentia, cum alios du-
ces, tum Pompeium magni nomi-
nis virum, ad turpiſſima deduxit fœ- 2, 4, 3 2,
dera (hic primus è Pompeiis conſul 90, 3.
fuit) nec minus turpia ac deteſta-
bilia Mancinum Hoſtilium conſu-
5 lem. ſed Pompeium gratia impuni-
tum habuit, Mancinum verecundia.
quippe, non recuſando perduxit
huc, vt per Fetiales nudus ac poſt
tergum religatis manibus, dedere-
tur hoſtibus. quem illi recipere ſe
negauerunt, ſicut quondam Caudi-
ni fecerunt, dicentes, *publicam viola-*
tionem fidei non debere vnius lui ſan-

cap. 2.
II. *guine*. Immanem deditio Mancini 1
ciuitatis mouit dissensionem. quippe Tib. Gracchus, Ti. Gracchi clarissimi atque eminentissimi viri filius, P. Africani ex filia nepos, quo quæstore & auctore id fœdus ictum
erat, nunc grauiter ferens aliquid à 2
se factum infirmari, nunc similis vel iudicii vel pœnæ metuens discrimen, tribunus pl. creatus, vir alioqui vita innocentissimus, ingenio florentissimus, proposito sanctissimus, tantis denique adornatus virtutibus,
2,97,2. quantas perfecta & natura & industria mortalis conditio recipit, P. Mucio Scæuola, L. Calpurnio consulibus, abhinc annos CLXII desci-
uit à bonis; pollicitusque toti Italiæ 3
ciuitatem, simul etiam promulgatis agrariis legibus, omnibus statum concupiscentibus, summa imis miscuit; & in præruptum atque anceps periculum adduxit remp. Octauioq; collegæ, pro bono publico stanti imperium abrogauit: IIIviros agris
diui-

 cap. 3.

diuidendis coloniisque deducendis
creauit se, socerumque suum consu-
larem Appium, & Gracchum fra-
1 trem, admodum iuuenem. Tum P. III.
Scipio Nasica, eius qui *optimus vir*
à senatu iudicatus erat, nepos; eius
qui censor porticus in Capitolio fe-
cerat, filius; pronepos autem Cn.
Scipionis, celeberrimi viri, P. Afri-
cani patrui, priuatusque & togatus,
cum esset consobrinus Tib. Grac-
chi, patriam cognationi præferens, I,10,6.
& quidquid publice salutare non es-
set, priuatim alienum existimans (ob
eas virtutes primus omnium absens
pontifex max. factus est) circumdata
lęuo brachio togę lacinia, ex superio-
re parte Capitolii, summis gradibus
insistens, hortatus est, *qui saluam vel-*
2 *lent remp. se sequerentur*. Tum opti-
mates, senatus, atque equestris ordi-
nis pars melior & maior, & intacta
perniciosis consiliis plebs, inruere
in Gracchum, stantem in area cum
cateruis suis, & concientem pæne

totius Italiæ frequentiam. is fugiens,
decurrenſque cliuo Capitolino,
fragmine ſubſellii ictus, vitam, quam
2,6,2. glorioſiſſime degere potuerat, im-
matura morte finiuit. Hoc initium 3
in vrbe Roma ciuilis ſanguinis, gla-
diorumque impunitatis fuit. inde
ius ui obrutum, potentiorq; habitus
prior; diſcordiæque ciuium, antea
condicionibus ſanari ſolitæ, ferro
diiudicatæ; bellaque non cauſſis
inita, ſed prout eorum merces fuit.
quod haud mirum eſt. non enim ibi 4
conſiſtunt exempla, vnde cœperunt;
ſed quamlibet in tenuem recepta
tramitem, latiſſime euagandi ſibi
viam faciunt: &, vbi ſemel recto
2,10,1. deerratum eſt, in præceps perueni-
tur: nec quiſquam ſibi putat turpe,
IV. quod alii fuit fructuoſum. Interim 1
dum hæc in Italia geruntur, Ariſto-
nicus, mortuo rege Attalo, à quo
Aſia populo Romano hereditate re-
licta erat, ſicut relicta poſtea eſt à Ni-
comede Bithynia, mentitus regiæ
ſtirpis

 cap. 4.

ſtirpis originem, armis eam occupat. is victus à M. Perperna, ductuſque in triumpho; ſed M' Aquillio capite pœnas dedit: cum initio belli Craſſum Mucianum, virum iuris ſcientiſſimum, decedentem ex Aſia pro-
2 conſulem interemiſſet. Et P. Scipio Africanus Æmilianus, qui Cartha- 1,12,5.
ginem deleuerat, poſt tot acceptas circa Numantiam clades, creatus iterum conſul, miſſuſq; in Hiſpaniam, fortunæ virtutique expertæ in Africa, reſpondit in Hiſpania; & intra annum ac tres menſes, quam eo venerat, circumdatam operibus Numantiam exciſamque æquauit ſolo.
3 nec quiſquam vllius gentis hominum ante eum clariore vrbium excidio nomen ſuum perpetuæ commendauit memoriæ. quippe, exciſa Carthagine ac Numantia, ab alterius 1,12,7.
nos metu, alterius vindicauit contu- 2,1,4.
4 meliis. Hic, cum interrogante tribuno Carbone, *quid de Tib. Gracchi cæde ſentiret?* reſpondit: *ſi is occu-*

cap. 4.

*pandæ reip. animum habuiſſet, iu-
re cæſum.* Et, cum omnis concio ac-
clamaſſet: *Hoſtium*, inquit, *armato-
rum totiens clamore non territus, quî
poſſum veſtro moueri, quorum nouerca
eſt Italia?* Reuerſus in vrbem, intra 5
breue tempus, M' Aquillio, C. Sem-
pronio cos. abhinc annos CL, poſt
duos conſulatus, duoſque trium-
phos, & bis exciſos terrores reip. ma-
ne in lectulo repertus eſt mortuus,
ita vt quædam eliſarum faucium in
ceruice reperirentur notæ. De tanti 6
viri morte nulla habita eſt quæſtio:
eiuſque corpus velato capite elatum
eſt, cuius opera ſuper totum terra-
rum orbem Roma extulerat caput.
ſeu fatalem, vt plures, ſeu conflatam 7
inſidiis, vt aliqui prodidere memo-
riæ, mortem obiit, vitã certe digniſſi-
mam egit, quæ nullius ad id tempo-
ris præterquam auito fulgore vince-
retur. Deceſſit anno ferme LVI. de
quo ſi quis ambiget, recurrat ad
priorem conſulatum eius, in quem
crea-

 cap. 5.

creatus est anno XXXVI: ita dubitare
1 desinet. Ante tempus excisæ Nu- V.
mantiæ, præclara in Hispania militia
A. Bruti fuit: qui, penetratis omnibus Hispaniæ gentibus, ingenti vi hominum, vrbiumque potitus numero, aditis quæ vix audita erant,
2 *Gallæci* cognomen meruit. Et ante I, II, 2.
eum paucis annis tam seuerum illius Q. Macedonici in his gentibus imperium fuit, vt, cum vrbem Contrebiam nomine in Hispania oppugnaret, pulsas præcipiti loco quinque cohortes legionarias, eodem proti-
3 nus subire iuberet: facientibusque omnibus in procinctu testamenta, velut ad certam mortem eundum foret, non deterritus proposito, perseuerantia ducis, quem moriturum miserat, militem victorem recepit. tantum effecit mistus timori pudor,
4 spesque desperatione quæsita. Hic virtute ac seueritate facti; at Fabius Aemilianus, Paulli exemplo, disciplinæ in Hispania fuit clarissimus.

VI. Decem deinde interpositis annis, qui 1
Tib. Gracchum, idem Caium, fra-
trem eius occupauit furor, tam vir-
tutibus eius omnibus, quam huic
errori similem, ingenio etiam elo-
quentiaque longe præstantiorem.
qui cum summa quiete animi, ciui- 2
2,3,2. tatis princeps esse posset, vel vindi-
candæ fraternæ mortis gratia, vel
præmuniendæ regalis potentiæ, eius-
dem exempli tribunatum ingressus,
longe maiora & acriora repetens,
dabat ciuitatem omnibus Italicis, 3
extendebat eam pæne vsque Alpes;
diuidebat agros; vetabat quemquam
ciuem plus D iugeribus habere:
quod aliquando lege Licinia cau-
tum erat: noua constituebat porto-
ria; nouis coloniis replebat provin-
cias; iudicia à senatu transferebat ad
equites; frumentum plebi dare in-
stituerat; nihil immotum, nihil tran-
quillum, nihil quietum denique in
eodem statu relinquebat: quin alte-
rum etiam continuauit tribunatum.

4 hunc L. Opimius consul, qui prætor Fregellas exciderat, persecutus armis, vnaque Fuluium Flaccum, consularem ac triumphalem virum, æq; praua cupientem, quem C. Gracchus in locum Tiberii fratris IIIvirum nominauerat, eumque socium regalis assumserat potentiæ, morte
5 afficit. Id vnum nefarie ab Opimio proditum, quod capitis non dicam Gracchi, sed ciuis Romani pretium 2, 28, 3.
se daturum, idque auro repensurum
6 proposuit. Flaccus in Auentino armatos ad pugnam ciens, cum filio maiore iugulatus est. Gracchus profugiens, cum iam comprehenderetur ab iis, quos Opimius miserat, ceruicem Euporo seruo præbuit, qui non segnius se ipse interemit, quam domino succurrerat. Quo die singularis Pomponii equitis R. in Gracchum fides fuit, qui more Coclitis, sustentatis in ponte hostibus, eius
7 gladio se transfixit. Vt Tiberii Gracchi antea corpus, ita Caii, mira cru-

VII. delitate victorum, in Tiberim de-
iectum est. Hunc Tib. Gracchi libe- 1
ri, P. Scipionis Africani nepotes, vi-
ua adhuc matre Cornelia, Africani
filia, viri optimis ingeniis male vsi,
vitæ mortisque habuere exitum. qui
2, 3, 2. 2, si ciuilem dignitatis concupissent
6. 2. modum, quidquid tumultuando
adipisci gestierunt, quietis obtulis-
set resp. Huic atrocitati adiectum 2
scelus vnicum. quippe iuuenis, spe-
cie excellens, nec dum duodeuicesi-
mum transgressus annũ, immunisq;
delictorũ paternorum, Fuluii Flacci
filius, quem pater legatum de condi-
cionibus miserat, ab Opimio inter-
emtus est. quem cum haruspex
Tuscus, amicus, flentem in vincula
duci vidisset, *Quin tu hoc potius*, in-
quit, *facis*? protinusque illiso capite
in postem lapideum ianuæ carceris,
effusoque cerebro exspirauit. Cru- 3
delesque mox quæstiones, in amicos
clientesq; Gracchorum habitæ sunt.
sed Opimium, virum alioqui san-
ctum

ctum & grauem, damnatum postea iudicio publico, memoria ipsius sæuitiæ, nulla ciuilis persecuta est
4 misericordia. Eadem Rutilium Popilliumque, qui consules asperrime in Tiberii Gracchi amicos sęuierant, postea iudiciorum publicorũ meri-
5 to oppressit inuidia. Rei tantæ parum ad notitiam pertinens interponetur. Hic est Opimius, à quo consule celeberrimum *Opimiani vini* nomen: quod iam nullum esse, spatio annorum colligi potest; cum ab eo sint ad te, *M. Vinici*, consulem, anni CLI.
6 Factum Opimii, quod inimicitiarum quæsita erat vltio, minor secuta auctoritas: & visa vltio priuato odio magis, quam publicæ vindictæ data.
1 Subinde Porcio Marcioque cos. de- VIII.
ducta colonia, *Narbo Marcius*. Man- 1,15,5.
detur deinde memoriæ seueritas iudiciorum. quippe C. Cato consularis, M. Catonis nepos, Africani sororis filius, repetundarum ex Macedonia damnatus est; cum lis eius

quater

quater millibus æſtimaretur. adeo
illi viri magis voluntatem peccandi
intuebantur, quam modum: factaque ad conſilium dirigebant, &
quid, non in quantum, admiſſum
foret, æſtimabant. Circa eadem tem- 2
pora Metelli fratres vno die triumphauerunt. Non minus clarum exemplum, & adhuc vnicum Fuluii
Flacci, eius qui Capuam ceperat, filiorum, ſed alterius in adoptionem
dati, in collegio conſulum fuit. adoptiuus in Acidini Manlii familiam
datus. nam cenſura Metellorum, patruelium non germanorum fratrum
fuit: quod ſolis contigerat Scipionibus. Tum Cimbri & Teutoni trans- 3
2,12,2. ſcendere Rhenum, multis mox noſtris ſuiſque cladibus nobiles. Per
eadem tempora clarus eius Minucii,
qui porticus, quæ hodieque celebres
ſunt, molitus eſt, è Scordiſcis triumphus fuit. Eodem tractu temporum 1
IX. nituerunt oratores Scipio Æmilianus, Læliuſque, Ser. Galba, duo

 cap. 9.

Gracchi, C. Fannius, Carbo Papirius. Nec prætereundus Metellus Numidicus, & Scaurus, & ante omnes L.
2 Crassus & M. Antonius. Quorum ætati ingeniisque successere C. Cæsar Strabo, P. Sulpicius. namque Mucius iuris scientia, quam propriæ eloquentiæ nomine, celebrior fuit.
3 Clara etiam per idem æui spatium fuere ingenia, in Togatis Afranii, in Tragœdiis Pacuuii atque Attii, vsq; in Grecorum ingeniorum comparationem euecti, magnumque inter hos ipsos facientis operi suo locum; adeo quidem, vt in illis limæ, in hoc pæne plus videatur fuisse sanguinis.
4 Celebre & Lucilii nomen fuit, qui sub P. Africano, Numantino bello eques militauerat. quo quidem tempore iuuenis adhuc Iugurtha ac Marius, sub eodem Africano militantes, in iisdem castris didicere, quæ postea in contrariis facerent. Historiarum auctor iam tum Sisenna erat iuuenis, sed opus belli ciuilis Sullani

post

post aliquot annos ab eo seniore editũ est. Vetustior Sisenna, fuit Cœlius; æqualis Sisennæ Rutilius, Claudiusque Quadrigarius & Valerius Antias. Sane non ignoremus, eadem æ- 5
tate fuisse Pomponium, sensibus ce-
1,5,2. lebrem, verbis rudem, & nouitate inuenti à se operis commendabi-
X. lem. Persequamur notam seuerita- 1
tem censorum, Cassii Longini Cæpionisque, qui abhinc annos CLVII, Lepidum Æmilium augurem, quod sex millibus ædes conduxisset, adesse iusserunt. at nunc, si quis tanti habitet, vix vt senator agnoscitur.
2, 3, 4. 2, adeo mature à rectis in vitia, à vitiis
18, 5. 2, in praua, à prauis in præcipitia perue-
112,7. nitur. Eodem tractu temporum & 2
Domitii ex Aruernis, & Fabii ex Allobrogibus victoria fuit nobilis. Fabio Paulli nepoti, ex vi-
1,13,2. ctoria cognomen *Allobrogico* indi-
tum. Notetur Domitiæ familiæ pe- 3
culiaris quædam, & vt clarissima, ita artata numero felicitas. IV ante hunc, nobilissimæ simplicitatis iu-

uenem, Cn. Domitium, fuere singu-
gulis omnino parentibus geniti, sed
omnes ad consulatum sacerdotiaq;,
ad triumphi autem pæne omnes per-
1 uenerunt insignia. Bellum deinde XI.
Iugurthinum gestum est per Q. Me-
tellum, nulli secundum sæculi sui.
huius legatus fuit C. Marius, quem
prædiximus, natus equestri loco, hir- 2,9,4.
tus atque horridus, vitaque sanctus,
quantum bello optimus, tantum pa-
ce pessimus, immodicus gloriæ, insa-
tiabilis, impotens, semperque inqui- 2,23,1.
2 etus. hic per publicanos aliosque in
Africa negotiantes, criminatus *Me-
telli lentitudinem, trahentis iam in
tertium annum bellum, & naturalem
nobilitatis superbiam, morandiq; in
imperiis cupiditatem*, effecit, vt cum,
commeatu petito Romam venisset,
consul crearetur, bellique pæne pa-
trati à Metello, qui bis Iugurtham
acie fuderat, summa committeretur
sibi. Metelli tamen & triumphus fuit
clarissimus & meritum; virtutique
cogno-

1,11,2. cognomen *Numidici* inditum. Vt 3
paullo ante Domitiæ familiæ, ita
Cæciliæ notanda claritudo est: quip-
pe intra XII ferme annos huius tem-
poris consules fuere Metelli, aut
censores, aut triumpharunt amplius
XII. vt appareat, quemadmodum vr-
1,7,4. bium imperiorumque, ita gentium
nunc florere fortunam, nunc sene-
XII. scere, nunc interire. At Caius Ma- 1
rius L. Sullam, iam tunc, vt præca-
uentibus fatis, copulatum sibi quæ-
storem habuit, & per eum missum
ad regem Bocchum, Iugurtha rege,
ab hinc annos ferme CXXXIIX po-
titus est. designatusq; iterum consul,
in vrbem reuersus, secundi consula-
tus initio Kalendis Ianuariis eum in
triumpho duxit. Effusa, vt prædixi- 2
2,8,3. mus, immanis vis Germanarum
gentium, quibus nomen Cimbris ac
Teutonis erat, cum Cæpionem Man-
liumque consulem, & ante Carbo-
nem Silanumque fudissent fugas-
sentque in Galliis, & exuissent exer-
citu,

citu, Scaurumque Aurelium cos. & alios celeberrimi nominis viros trucidaſſent, populus R. non alium repellendis tantis hoſtibus magis idoneum imperatorem, quam Marium
3 eſt ratus. Tum multiplicati conſulatus eius. Tertius in apparatu belli conſumtus: quo anno Cn. Domitius tribunus pl. legem tulit, *vt ſacerdotes*, quos antea collegæ ſufficiebant,
4 *populus crearet*. Quarto trans alpes circa Aquas Sextias cum Teutonis conflixit; amplius CL millibus hoſtium, priore ac poſtero die ab eo trucidatis; genſque exciſa Teutonum.
5 Quinto, citra Alpes in campis quibus nomen erat Raudiis, ipſe conſul & proconſul Q. Lutatius Catulus fortunatiſſimo decertauere prœlio: cæſa aut capta amplius CM hominum. Hac victoria videtur meruiſſe Marius, ne eius nati remp. pœniteret, ac bona malis repenſaſſe. Sextus 2,17,1.
6 conſulatus veluti præmium ei meritorum datus. Non tamen huius

cap. 13.
conſulatus fraudetur gloria; quo
Seruilii Glauciæ, Saturninique Ap-
puleii furorem, continuatis honori-
bus remp. lacerantium, & gladiis
quoque & cæde comitia diſcutien-
tium, conſul armis compeſcuit; ho-
mineſque exitiabiles in Hoſtilia cu-
XIII. ria morte multauit. Deinde interie- 1
ctis paucis annis, tribunatum iniit
M. Liuius Druſus, vir nobiliſſimus,
eloquentiſſimus, ſanctiſſimus, meli-
2, 15, 3. 2, ore in omnia ingenio animoque,
18, 1. quam fortuna vſus. qui cum ſenatui 2
priſcum reſtituere cuperet decus, &
iudicia ab equitibus ad eum trans-
ferre ordinem; (quippe eam pote-
ſtatem nacti equites Gracchanis le-
gibus, cum in multos clariſſimos at-
que innocentiſſimos viros ſæuiſſent,
tum P. Rutilium, virum non ſeculi
ſui, ſed omnis æui optimum, interro-
gatum lege repetundarum, maximo
cum gemitu ciuitatis damnauerant)
in iis ipſis, quæ pro ſenatu molieba-
tur, ſenatum habuit aduerſarium:
non

3 non intelligentem, si qua de plebis cap. 14.
commodis ab eo agerentur, veluti
inescandæ illiciendæque multitudi-
nis caussa fieri, vt minoribus perce-
4 ptis maiora permitteret. Denique ea
fortuna Drusi fuit, vt malefacta col-
legarum, quam eius optime ab ipso
cogitata, senatus probaret magis; &
honorem, qui ab eo deferebatur,
sperneret; iniurias, quæ ab aliis in-
tendebantur, æquo animo reciperet;
& huius summæ gloriæ inuideret; il-
1 lorum modicam ferret. Tum con- XIV.
uersus Drusi animus, quando bene 2,18,5.
cœpta male cedebant, ad dandam
ciuitatem Italiæ. quod cum moliens
reuertisset è foro, immensa illa & in-
cognita, quæ eum semper comitaba-
tur, cinctus multitudine, in atrio do-
mus suæ cultello percussus, qui affi-
xus lateri eius relictus est, intra pau-
2 cas horas decessit. Sed cum vltimum
redderet spiritum, intuens circum-
stantium mærentiumque frequen-
tiam, effudit vocem conuenientissi-

mam conſcientiæ ſuæ: *Ecquando,*
inquit, *propinqui amiciq́ſ, ſimilem mei*
ciuem habebit reſp.? Hunc finem cla-
riſſimus iuuenis vitæ habuit. cuius 3
morum minimè omittatur argu-
mentum. Cum ædificaret domum
in Palatio in eo loco, vbi eſt, quæ
quondam Ciceronis, mox Cenſori-
ni fuit, nunc Statilii Siſennæ eſt; pro-
mitteretque ei architectus, *ita ſe eam*
ædificaturum, vt libera à conſpectu,
immunis ab omnibus arbitris eſſet, ne-
que quiſquam in eam deſpicere poſſet:
Tu vero, inquit, *ſi quid in te artis eſt,*
ita compone domum meam, vt, quid-
quid agam, ab omnibus perſpici poſſit.
XV. In legibus Gracchi inter pernicio- 1
ſiſſima numerauerim, quod extra
Italiam colonias poſuit. id maiores
(cum viderent tanto potentiorem
Tyro Carthaginem, Maſſiliam Pho-
cæa, Syracuſas Corintho, Cyzicum
ac Byzantium Mileto, genitali ſolo)
diligenter vitauerant, vt ciues Ro-
manos ad cenſendum ex prouinciis
in Ita-

in Italiam reuocauerint. Prima autem extra Italiam colonia *Carthago* cap. 15. 1,15,4.
2 condita est. Mors Drusi, iam pridem tumescens bellum excitauit Italicum. quippe L. Cæsare, P. Rutilio cos. abhinc annos CXX, vniuersa Italia, cum id malum ab Asculanis ortum esset (quippe Seruium prætorem, Fonteiumque legatum occiderant) ac deinde à Marsis exceptum, in omnes penetrasset regiones, arma
3 aduersus Romanos cepit. quorum vt fortuna atrox, ita caussa fuit iustissima. petebant enim eam ciuitatem, 2,13,1.
cuius imperium armis tuebantur: *per omnes annos atque omnia bella, duplici numero se militum equitumque fungi, neque in eius civitatis ius recipi, quæ per eos in id ipsum peruenisset fastigium, per quod homines eiusdem & gentis & sanguinis, vt externos alienosque fastidire posset.*
4 Id bellum amplius CCC millia iuuentutis Italicæ abstulit. Clarissimi autem imperatores fuerunt Romani eo bello: Cn.

2,21,1. Pompeius, Cn. Pompeii Magni pater, C. Marius, de quo prædiximus, L. Sulla, anno ante prætura functus, Q. Metellus, Numidici filius, qui meritum cognomen *Pii* consecutus
erat. quippe expulsum ciuitate à L. 5
Saturnino tribuno pleb. quod solus in leges eius iurare noluerat, pietate sua, auctoritate senatus, consensu reip. restituit patrem. Nec triumphis, honoribusque, quam aut caussa
2,45,3. exilii aut exilio aut reditu clarior fuit
XVI. Numidicus. Italicorum autem fue- 1
runt celeberrimi duces, Silo Poppædius, Herius Asinius, Insteius Cato, C. Pontidius, Telesinus Pontius, Marius Egnatius, Papius Mutilus. Ne- 2
2,76,1. que ego verecundia domestici sanguinis gloriæ quidquam, dum verum refero, subtraham. quippe multum Minatii Magii, ataui mei, Asculanensis, tribuendum est memoriæ: qui nepos Decii Magii, Campanorum principis, celeberrimi & fidelissimi viri, tantam hoc bello Romanis

fidem

fidem præstitit, vt cum legione, cap. 16.
quam ipse in Hirpinis conscripserat,
Herculaneum simul cum T. Didio
caperet, Pompeios cum L. Sulla op-
3 pugnaret, Cosamque occuparet. cu-
ius de virtutibus cum alii, tum ma-
xime dilucideque Q. Hortensius in
Annalibus suis retulit. cuius pietati
plenam populus R. gratiam retulit;
ipsum viritim ciuitate donando, du-
os filios eius creando prætores, cum
4 seni adhuc crearentur. Tam varia at-
que atrox fortuna Italici belli fuit, vt
per biennium continuum duo Ro-
mani consules, Rutilius ac deinde
Cato Porcius ab hostibus occide-
rentur, exercitus P.R. multis in locis
funderentur, vtque ad saga iretur,
diuque in eo habitu maneretur. Ca-
put imperii sui Corfinium legerant,
5 quod appellarent *Italicum*. Paulla-
tim deinde recipiendo in ciuitatem,
qui arma aut non ceperant aut de-
posuerant maturius, vires refectæ
sunt: Pompeio Sullaque & Mario

fluentem procumbentemq; Remp.
XVII. reſtituentibus. Finito ex maxima 1
parte, niſi quæ Nolani belli mane-
bant reliquiæ, Italico bello (quo
quidem Romani victis afflictiſque
ipſi exarmati; quam integris vniuer-
2,20,2. ſis ciuitatem dare maluerunt) con-
ſulatum inierunt Q. Pompeius & L.
Cornelius Sulla: vir qui neque ad fi-
2,25,3. nem victoriæ ſatis laudari, neq; poſt
victoriam abunde vituperari poteſt.
hic natus familia nobili, ſextus à 2
Cornelio Rufino, qui bello Pyrrhi
inter celeberrimos fuerat duces,
cum familiæ eius claritudo intermiſ-
ſa eſſet, diu ita ſe geſſit, vt nullam pe-
tendi conſulatum cogitationem ha-
bere videretur. deinde poſt prætu- 3
ram illuſtratus bello Italico, & ante
in Gallia legatione ſub Mario, qua
eminentiſſimos duces hoſtium fu-
derat, ex ſucceſſu animum ſumſit;
petenſque conſulatum, pæne omni-
um ciuium ſuffragiis nactus eſt. ſed
eum honorem vndequinquageſimo
ætatis

1 ætatis suæ anno assecutus est. Per ea
tempora Mithridates Ponticus rex,
vir neque silendus neque dicendus
sine cura, bello acerrimus, virtute
eximius, aliquando fortuna semper
animo maximus, consiliis dux, miles
manu, odio in Romanos Hannibal;
2 occupata Asia, necatisq; in ea omni-
bus ciuibus R. quos quidem eadem
die atque hora, redditis ciuitatibus
litteris, ingenti cum pollicitatione
3 præmiorum interimi iusserat (quo
tempore neque fortitudine aduersus
Mithridatem, neque fide in Roma-
nos quisquam Rhodiis par fuit. ho-
rum fidem Mitylenæorum perfidia
illuminauit: qui M. Aquillium alios-
que Mithridati vinctos tradiderunt;
quibus libertas, in vnius Theopha-
nis gratiam, postea à Pompeio resti-
4 tuta est) cum terribilis Italiæ quoque
videretur imminere, sorte obuenit
Sullæ Asia prouincia. is egressus vr-
be, cum circa Nolam moraretur
(quippe ea vrbs pertinacissime arma

retinebat, exercituque Romano ob-
sidebatur, velut pœniteret eius fidei,
quam omnium sanctissimam bello
præstiterat Punico) P. Sulpicius, tri- 5
bunus pl. disertus, acer, opibus, gra-
tia, amicitiis, vigore ingenii atque
animi celeberrimus; cum antea re-
ctissima voluntate apud populum
maximam quęsisset dignitatem, qua-
si pigeret eum virtutum suarum, &
2, 14, 1. bene consulta ei male cederent, su-
2, 10, 1. bito prauus & præceps, C. Mario, 6
post LXX annum omnia imperia &
omnes prouincias concupiscenti ad-
dixit, legemque ad populum tulit,
qua Sullæ imperium abrogaretur,
C. Mario bellum decerneretur Mi-
thridaticum; aliasque leges pernici-
osas & exitiabiles, neque tolerandas
liberæ ciuitati tulit. quin etiam Q.
Pompeii consulis filium, eundemq;
Sullæ generum, per emissarios facti-
XIX. onis suæ interfecit. Tum Sulla con- 1
tracto exercitu ad vrbem rediit, eam-
que armis occupauit, XII auctores

nouarum pessimarumque rerum, inter quos Marium cum filio & P. Sulpicio, vrbe exturbauit, ac lege lata exules fecit. Sulpicium etiam assecuti equites, in Laurentinis paludibus iugulauere: caputque eius erectum & ostentatum pro Rostris, velut omen imminentis proscriptionis
2 fuit. Marius post sextum consulatum annoque LXX, nudus ac limo obrutus, oculis tantummodo ac naribus eminentibus, extractus arundineto, circa paludem Maricæ, in quam se, fugiens consectantes Sullæ equites, abdiderat, iniecto in collum loro in carcerem Minturnensium
3 iussu IIviri perductus est. ad quem interficiendum missus cum gladio seruus publicus natione Germanus, qui forte ab imperatore eo, bello Cimbrico captus erat, vt agnouit Marium, magno eiulatu expromenti indignationem casus tanti viri, ab-
4 iecto gladio profugit è carcere. Tum ciues, ab hoste, misereri paullo ante

prin-

principis viri, docti, instructum eum viatico collataque veste, in nauem imposuerunt. at ille, assecutus circa Ænariam filium, cursum in Africam direxit; inopemque vitam in tugurio ruinarum Carthaginiensium tolerauit: cum Marius, adspiciens Carthaginem, illa intuens Marium, alter alteri possent esse solatio.

XX. Hoc primum anno, sanguine consu- 1
lis Romani, militis imbutæ manus sunt: quippe Pompeius collega Sullæ, ab exercitu Cn. Pompeii proconsulis, seditione, sed quam dux creauerat, interfectus est. Non erat Mario 2
Sulpicioque Cinna temperatior. ita-
2,17,1. que, cum ita ciuitas Italiæ data esset, vt in octo tribus contribuerentur noui ciues; ne potentia eorum & multitudo veterum ciuium dignitatem frangeret, plusque possent recepti in beneficium, quam auctores beneficii; Cinna, in omnibus tribubus eos se distributurum, pollicitus est. quo nomine ingentem totius 3

Italiæ frequentiam in vrbem acciue- cap.21.
rat. è qua pulsus collegæ optimati-
umque viribus, cum in Campaniam
tenderet, ex auctoritate senatus con-
sulatus ei abrogatus est, suffectusque
in eius locum L. Cornelius Merula
flamen Dialis. Hæc iniuria homine, 2, 47, 4.
4 quam exemplo dignior fuit. Tum
Cinna, corruptis primo centurioni-
bus ac tribunis, mox etiam spe largi-
tionis, militibus, ab eo exercitu, qui
circa Nolam erat, receptus est. is cum
vniuersus in verba eius iurasset, reti-
nens insignia consulatus, patriæ bel-
lum intulit, fretus ingenti numero
nouorum ciuium, è quorum dele-
ctu CCC amplius cohortes con-
scripserat, ac triginta legionum in-
5 star impleuerat. Opus erat partibus,
auctoritate, gratia: cuius augendæ,
C. Marium cum filio de exilio reuo-
cauit, quique cum iis pulsi erant.
1 Dum bellum autem infert patriæ XXI.
Cinna, Cn. Pompeius Magni pater
(cuius præclara opera bello Marsico

præ-

2,15,4 &2,16,5. præcipue circa Picenum agrum, vt præſcripſimus, vſa erat reſp. quique Aſculum ceperat, circa quam vrbem, cum in multis aliis regionibus exercitus diſperſi forent, V & LXX ciuium Romanorũ, amplius LX millia Italicorum vna die conflixerant)
2 fruſtratus ſpe continuandi conſulatus, ita ſe dubium mediumq; partib' præſtitit, vt omnia ex proprio vſu ageret, temporibuſque inſidiari videretur, & huc atque illuc, vnde ſpes maior affuiſſet potentiæ, ſe exercitumque deflecteret. ſed ad ultimum magno atrocique prœlio cum Cinna conflixit.
3 Cuius commiſſi patratique ſub ipſis mœnibus oculiſque vrbis Romanæ, pugnantibus ſpectantibuſque quam fuerit euentus exitiabilis, vix verbis exprimi poteſt.
4 Poſt hoc, cum vtrumque exercitum, velut parum bello exhauſtum, laceraret peſtilentia, Cn. Pompeius deceſſit: cuius interitus voluptas, amiſſorum aut gladio aut morbo ciuium pæne

 cap. 22.

pæne damno repensata est: populusque Romanus, quam viuo iracundiam debuerat, in corpus mortui
5 contulit. Seu duæ seu tres Pompeiorum fuere familię, primus eius nominis, ante annos ferme CLXVIII, Q. Pompeius cum Cn. Seruilio con-
6 sul fuit. Cinna & Marius, haud incruentis vtrimque certaminibus editis, vrbem occupauerunt: sed prior ingressus Cinna, de recipiendo
1 Mario legem tulit. Mox C. Marius, XXIII.
pestifero ciuibus suis reditu intrauit moenia. nihil illa victoria fuisset crudelius, nisi mox Sullana esset secuta.
2 neq; licentia in mediocres sæuitum, sed excelsissimi quique eminentissimæ ciuitatis viri variis suppliciorum generibus affecti, in iis consul Octauius vir lenissimi animi, iussu Cinnæ interfectus est. Merula autem, qui se sub aduentum Cinnæ consulatu abdicauerat, incisis venis superfusoque altaribus sanguine, quos sæpe pro salute reip. flamen Dialis precatus

erat

erat deos, eos in execrationem Cinnæ partiumque eius tum precatus, optime de rep. meritum ſpiritum
reddidit. M. Antonius, princeps ciui- 3
tatis atque eloquentiæ, gladiis militum, quos ipſos facundia ſua moratus erat, iuſſu Marii Cinnæque con-
foſſus eſt. Q. Catulus, & aliarum vir- 4
tutum & belli Cimbrici gloria, quæ illi cum Mario communis fuerat, celeberrimus, cum ad mortem conquireretur, concluſit ſe loco nuper calce arenaq; perpolito, illatoq; igni qui vim odoris excitaret, ſimul exi-
tiali hauſto ſpiritu, ſimul incluſo ſuo, 5
mortem magis voto quam arbitrio inimicorum obiit. Omnia erant pręcipitia in rep. nec tamen adhuc quiſquam inueniebatur, qui bona ciuis Romani aut donare auderet, aut petere ſuſtineret. Poſtea id quoque acceſſit, vt ſæuitiæ cauſſam auaritia pręberet, & modus culpæ ex pecuniæ
2, 28, 3. modo conſtitueretur; & qui fuiſſet locuples, fieret nocens, ſuique quiſ-
que

que periculi merces foret; nec quid-
quam videretur turpe, quod eſſet 2,28,3.
1 quæſtuoſum. Secundum deinde XXIII.
conſulatum Cinna, & ſeptimum
Marius in priorum dedecus iniit.
cuius initio morbo oppreſſus deceſ-
ſit, vir in bello hoſtibus, in otio ciui-
bus infeſtiſſimus, quietiſque impa- 2,11,1.
2 tientiſſimus. In huius locum ſuffe-
ctus Valerius Flaccus, turpiſſimæ
legis auctor, qua *creditoribus qua-
drantem ſolui* iuſſerat: cuius facti
merita eum pœna intra biennium
3 conſecuta eſt. Dominante in Italia
Cinna, maior pars nobilitatis ad Sul-
lam in Achaiam, ac deinde poſt in
Aſiam perfugit. Sulla interim cum
Mithridatis præfectis, circa Athenas
Bœotiamque & Macedoniam ita di-
micauit, vt & Athenas reciperet &
plurimo circa multiplices Piræei
portus munitiones labore expleto,
amplius CC millia hoſtium interfi-
4 ceret, nec minus multa caperet. Si
quis hoc rebellandi tempus, quo

Athenæ oppugnatæ à Sulla ſunt, im-
putat Athenienſibus, nimirum veri
vetuſtatiſque ignarus eſt. adeo enim
certa Athenienſium in Romanos
fides fuit, vt ſemper & in omni re,
quidquid ſincera fide gereretur, id Ro-
mani, *Attica fieri*, prædicarent. Ce- 5
terum tum oppreſſi Mithridatis ar-
mis, homines miſerrimæ conditio-
nis, cum ab inimicis tenerentur, op-
pugnabantur ab amicis, & animos
extra mœnia; corpora, neceſſitati
ſeruientes, intra muros habebant.
Tranſgreſſus deinde in Aſiam Sulla, 6
parentem ante omnia ſupplicemq;
Mithridatem inuenit. quem multa-
tum pecunia ac parte nauium, Aſia
omnibuſque aliis prouinciis, quas
armis occupauerat, decedere coëgit:
captiuos recepit; in perfugas noxi-
oſque animaduertit: paternis, id
eſt, Ponticis finibus contentum eſſe
XXIV. iuſſit. C. Flauius Fimbria, qui præfe- 1
ctus equitum ante aduentum Sullæ,
Valerium Flaccum conſularem vi-

rum

rum interfecerat, exercituque occu-
pato *imperator* appellatus, forte Mi-
thridatem pepulerat prœlio, sub ad-
uentum Sullæ se ipse interemit; ado-
lescens, quæ pessime ausus erat, for- 2, 45, 1.
2 titer executus. Eodem anno P. Læ-
nas tribunus pl. Sex. Lucilium, qui
priore anno tribunus pl. fuerat, saxo
Tarpeio deiecit; & cum collegę eius,
quibus diem dixerat, metu ad Sul-
lam profugissent, aqua ignique iis
3 interdixit. Tum Sulla, compositis
transmarinis rebus, cum ad eum,
primum omnium Romanorum, le-
gati Parthorum venissent, & in iis
quidam magi ex notis corporis re-
spondissent, *cælestem eius vitam &*
memoriam futuram, reuectus in Ita-
taliam, haud plura quam XXX ar-
matorum millia aduersum CC am-
plius hostium exposuit Brundisii.
4 Vixquidquam in Sullæ operibus cla-
rius duxerim, quam quod, cum per
triennium Cinnanæ Marianæq; par-
tes Italiam obsiderent, neque illatu-

cap. 25.

rum ſe bellum iis diſſimulauit, nec
quod erat in manibus omiſit; exiſti-
mauitq; ante frangendum hoſtem,
quam vlciſcendum ciuem; repulſo-
que externo metu, vbi quod alienum
eſſet viciſſet, ſuperaret quod erat do-
meſticum. Ante aduentum L. Sullæ, 5
Cinna ſeditione orta ab exercitu in-
teremtus eſt: vir dignior, qui arbi-
trio victorum moreretur, quam ira-
cundia militum. de quo vere dici po-
teſt, auſum eum quæ nemo auderet
bonus, perfeciſſe quę à nullo niſi for-
tiſſimo perfici poſſent; & fuiſſe eum
in conſultando temerarium, in exe-
quendo virum. Carbo, nullo ſuffecto
collega, ſolus toto anno conſul fuit.

XXV. Putares, Sullam veniſſe in Italiam, 1
non belli vindicem ſed pacis aucto-
rem: tanta cum quiete exercitum
per Calabriam Apuliamque, cum
ſingulari cura frugum, agrorum, ho-
minum, vrbium perduxit in Cam-
paniam; tentauitque iuſtis legibus &
æquis condicionibus bellum com-
ponere:

ponere: sed iis, quibus & pessima & 2,48,5.
immodica cupiditas erat, non pote-
2 rat pax placere. Crescebat interim in
dies Sullæ exercitus, confluentibus
ad eum optimo quoque & sanissi-
mo. Felici deinde circa Capuam
euentu Scipionem Norbanumque
consules superat: quorum Norba-
nus, acie victus; Scipio, ab exercitu
suo desertus ac proditus, inuiolatus
3 à Sulla dimissus est. adeo enim Sulla
dissimilis fuit bellator ac victor, vt 2,17,1.2,
dum vincit iustissimo lenior; post 27,5.
victoriam audito fuerit crudelior.
nam & consulem, vt prædiximus,
exarmatumque Sertorium, proh
quanti mox belli facem! & multos
alios, potitus eorum, dimisit incolu-
mes: credo, vt in eodem homine du-
plicis ac diuersissimi animi conspi-
4 ceretur exemplum. Post victoriam,
qua descendens montem Tifata
cum C. Norbano concurrerat Sulla,
grates Dianæ, cuius numini regio
illa sacrata est, soluit; aquas salubri-

tate medendiſque corporibus nobi-
les, agroſque omnes addixit deæ. hu-
ius gratę religionis memoriam & in-
ſcriptio templi affixa poſti hodieq;,
& tabula teſtatur ærea intra ædem.
XXVI. Inde COSS. Carbo III, & C. Marius, 1
ſepties conſulis filius, annos natus
XXVI. vir animi magis quam æui
paterni, multa fortiterque molitus,
neq; uſquam inferior nomine con-
ſulis, apud Sacriportum pulſus à Sul-
la acie, Præneſte, quod ante natura
munitum præſidiis firmauerat, ſe ex-
ercitumque contulit. Ne quid um- 2
quam malis publicis deeſſet, in qua
ciuitate ſemper virtutibus certatum
erat, certabatur ſceleribus; optimuſ-
que ſibi videbatur, qui fuerat peſſi-
mus. quippe dum ad Sacriportum
dimicatur, Damaſippus prætor Do-
mitium, Scæuolam etiam pontifi-
cem maximum & diuini humaniq;
iuris auctorem celeberrimum, & C.
Carbonem prætorium, conſulis fra-
trem, & Antiſtium ædilicium, velut
fauen-

fauentes Sullæ partibus, in curia Ho-
3 ſtilia trucidauit. Non perdat nobi- 2, 88, 4.
liſſimi facti gloriam Calpurnia, Be-
ſtiæ filia, vxor Antiſtii: quæ iugulato,
vt prædiximus, viro, gladio ſe ipſam
transfixit. quantum huius gloriæ, fa-
mæque acceſſit? nunc virtute emi-
1 net, patria latet. At Pontius Teleſi- XXVII.
nus dux Samnitium, vir domi belli-
que fortiſſimus, penituſque Roma-
no nomini infeſtiſſimus, contractis
circiter quadraginta millia fortiſſi-
mæ pertinaciſſimæque in retinendis
armis iuuentutis, Carbone ac Mario
coſ. abhinc annos CXI, Kal. No-
uemb. ita ad portam Collinam
cum Sulla dimicauit, vt ad ſum-
mum diſcrimen & eum & remp.
2 perduceret. quæ non maius peri-
culum adiit, Hannibalis intra ter-
tium miliarium caſtra conſpicata,
quam eo die, quo circumuolans or-
dines exercitus ſui Teleſinus, dicti-
tanſq; *adeſſe Romanis vltimum diem*,
vociferabatur *eruendam delendamq;*

vrbem: adiiciens, *numquam defu-*
turos raptores Italicæ libertatis lupos;
niſi ſilva, in quam refugere ſolerent,
eſſet exciſa. Poſt primam demum 3
horam noctis & Romana acies re-
ſpirauit, & hoſtium ceſſit. Teleſinus
poſtera die ſemianimis repertus eſt,
victoris magis quam morientis vul-
tum præferens: cuius abſciſſum ca-
put ferri, geſtarique circa Præneſte
Sulla iuſſit. Tum demum, deſperatis 4
rebus ſuis, C. Marius adoleſcens per
cuniculos, qui miro opere fabricati
in diuerſas agrorum partes ferunt,
conatus erumpere, cum foramine è
terra emerſiſſet, à diſpoſitis in id
ipſum interemtus eſt. Sunt, qui ſua 5
manu; ſunt, qui concurrentem mu-
tuis ictibus cum minore fratre Te-
leſino, vna obſeſſo & erumpente,
occubuiſſe prodiderint. vtcumque
cecidit, hodieque tanta patris ima-
gine non obſcuratur eius memoria.
de quo iuuene quid exiſtimauerit
Sulla, in promptu eſt. occiſo enim
demum

 cap. 28.

demum eo, *Felicis* nomen aſſumſit:
quod quidem vſurpaſſet iuſtiſſime,
ſi eundem & vincendi & viuendi fi- 2, 25, 3,
6 nem habuiſſet. Oppugnationi au-
tem Præneſtis ac Marii præfuerat
Ofella Lucretius; qui cum ante Ma-
rianarum fuiſſet partium, prætor ad
Sullam transfugerat. Felicitatem
diei, quo Samnitium Teleſinique
pulſus eſt exercitus, Sulla perpetua
ludorum Circenſium honorauit me-
moria, quibus ſine nomine Sullanæ
1 victoriæ celebrantur. Paullo ante XXVIII.
quam Sulla ad Sacriportum dimica-
ret, magnificis prœliis partium eius
viri hoſtium exercitum fuderant:
duo Seruilii apud Cluſium, Metellus
Pius apud Fauentiam, M. Lucullus
2 circa Fidentiam. Videbantur finita
belli ciuilis mala, cum Sullæ crude-
litate aucta ſunt. quippe dictator cre-
atus (cuius honoris vſurpatio per an-
nos CXX intermiſſa. nam proximus
poſt annum, quam Hannibal Italia
exceſſerat: vt appareat populum Ro-

manum vſum dictatoris non tam de-
ſideraſſe, quam timuiſſe poteſtatem
imperii, quo priores ad vindican-
dam maximis periculis remp. vſi fue-
rant) immodicę crudelitatis licentia
vſus eſt. Primus ille & vtinam vlti- 3
2,66,1. mus, exemplum proſcriptionis inue-
nit, vt, in qua ciuitate petulantis con-
uicii iudicium hiſtrioni exoleto red-
ditur, in ea iugulati ciuis R. publice
2,6,5. conſtitueretur auctoramentum; plu-
rimumque haberet, qui plurimos in-
teremiſſet; neq; occiſi hoſtis, quam
ciuis, vberius foret præmium; fie-
retque quiſque merces mortis ſuæ.
2,22,5. Nec tamen in eos, qui contra arma 4
tulerant, ſed in multos inſontes ſæui-
tum. adiectum etiam, *vt bona pro-*
• *ſcriptorum venirent; excluſiq; pater-*
nis opibus liberi, etiam petendorum
honorum iure prohiberentur; ſimulq;,
quod indigniſſimum eſt, *ſenatorum*
filij & onera ordinis ſuſtinerent & iu-
XXIX. *ra perderent.* Sub aduentum in Ita- 1
liam L. Sullæ, Cn. Pompeius eius
Pom-

Pompeii filius, quem magnificentiſ- cap. 29.
ſimas res in conſulatu geſſiſſe bello
Marſico prædiximus, XXIII annos 2,15,4.
natus, abhinc annos CXIII, priuatis
vt opibus ita conſiliis magna auſus,
magnificeque conata executus, ad
vindicandam reſtituendamque di-
gnitatem patriæ, firmum ex agro
Piceno, qui totus paternis eius clien-
telis refertus erat, contraxit exerci-
2 tum, cuius viri magnitudo multo-
rum voluminum inſtar exigit: ſed
operis modus paucis eum narrari 2,52,2.
iubet. Fuit hic genitus matre Lucilia,
ſtirpis ſenatoriæ, forma excellens,
non ea qua flos commendatur æta-
tis, ſed ex dignitate conſtanti: quæ in
illam conueniens amplitudinem,
fortunam quoque eius, ad vltimum
3 vitæ comitata eſt diem: innocentia
eximius, ſanctitate præcipuus, elo-
quentia medius potentię quæ hono-
ris cauſſa ad eum deferretur, non vt
ab eo occuparetur, cupidiſſimus; dux
bello peritiſſimus; ciuis in toga (niſi
vbi

vbi vereretur, ne quem haberet pa-
rem) modestissimus; amicitiarum
tenax, in offensis exorabilis, in re-
concilianda gratia fidelissimus, in ac-
cipienda satisfactione facillimus; po-
tentia sua numquam aut raro ad im-
potentiam vsus; pæne omnium vi- 4
tiorum expers, nisi numeraretur in-
ter maxima, in ciuitate libera do-
minaque gentium, indignari, cum
omnes ciues iure haberet pares,
2,32,1.2, quemquam æqualem dignitate con-
33,3.2, spicere. Hic à toga virili assuetus 5
46,2. commilitio prudentissimi ducis pa-
rentis sui, bonum & capax recta di-
scendi ingeniũ singulari rerum mi-
litarium prudentia excoluit, vt à Ser-
torio Metellus laudaretur magis,
XXX. Pompeius timeretur validius. Tum 1
M. Perperna prætorius, è proscriptis,
gentis clarioris quam animi, Serto-
rium inter cenam Etoscæ interemit,
Romanisque certam victoriam, par-
tibus suis excidium, sibi turpissi-
mam mortem pessimo auctorauit
faci-

2 facinore. Metellus & Pompeius ex Hiſpaniis triumpharunt: ſed Pompeius hoc quoque trumpho, adhuc eques Romanus, ante diem quam conſulatum iniret, curru vrbem in- cap.30.
3 uect⁹ eſt. Quem virum, quis non miretur, per tot extraordinaria imperia in ſummum faſtigium vectum, iniquo tuliſſe animo, C. Cæſaris in altero conſulatu petendo, ſenatum populumque R. rationem habere. adeo familiare eſt hominibus, omnia ſibi ignoſcere, nihil aliis remittere; & inuidiam rerum non ad cauſſam, ſed ad voluntatem perſonaſque diri-
4 gere. Hoc conſulatu Pompeius tribuniciam poteſtatem reſtituit, cuius Sulla imaginem ſine re reliquerat.
5 Dum Sertorianum bellum in Hiſpania geritur, LXIV fugitiui è ludo gladiatorio Capua profugientes, duce Spartaco, raptis ex ea vrbe gladiis, primo Veſuuium montem petiere; mox creſcente in dies multitudine, grauibus variiſque caſibus affecere

Itali-

cap.31. Italiam. quorum numerus in tan- 6
tum adoleuit, vt qua vltimo dimica-
uere acie, XL millia hominum ſe Ro-
mano exercitui oppoſuerint. Huius
patrati gloria penes M. Craſſum fuit,
mox Romanorum omnium princi-
XXXI. pem. Conuerterat Cn. Pompeii per- 1
ſona totum in ſe terrarum orbem, &
2,40,1. pæne homine major habebatur. qui
cum conſul perquam laudabiliter
iuraſſet, *ſe in nullam prouinciam ex eo
magiſtratu iturum*, idque ſeruaſſet,
poſt biennium A. Gabinius tribu- 2
nus legem tulit, vt, cum belli more
non latrociniorum, orbem claſſibus
iam, non furtiuis expeditionibus pi-
ratæ terrerent, quaſdam etiam Ita-
liæ vrbes diripuiſſent; Cn. Pompe-
ius ad eos opprimendos mitteretur;
eſſetque ei imperium æquum in
omnibus prouinciis cum procon-
ſulibus, vſque ad quinquageſimum
miliarium à mari. quo S. C. pæne to- 3
tius terrarum orbis imperium vni vi-
ro deferebatur; ſed tamen idem hoc
ante

ante biennium in M. Antonii prætu- cap. 32.
4 ra decretum erat. ſed interdum per-
ſona, vt exemplo nocet, ita inuidiam
auget aut leuat. in Antonio homi-
nes æquo animo paſſi erant. raro
enim inuidetur eorum honoribus,
quorum vis non timetur. Contra
in iis homines extraordinaria refor-
midant, qui ea ſuo arbitrio aut de-
poſituri aut retenturi videntur, &
modum in voluntate habent. Diſ-
ſuadebant optimates: ſed conſilia
1 impetu victa ſunt. Digna eſt memo- XXXII.
ria Q. Catuli cum auctoritas tum ve-
recundia: qui cum diſſuadens legem
in concione dixiſſet, *eſſe quidem præ-
clarum virum Cn. Pompeium, ſed ni-* 2,29,2.
*mium iam liberæ reip. neq; omnia in
vno reponenda*, adieciſſetque, *Si quid
huic acciderit, quem in eius locum ſub-
ſtituetis?* ſucclamauit vniuerſa con-
cio, *Te Q. Catule.* Tum ille victus
conſenſu omnium, & tam honori-
fico ciuitatis teſtimonio, è concione
2 diſceſſit. Hic hominis verecundiam,
popu-

populi iuſtitiam mirari libet: huius quod non vltra contendit; plebis, quod diſſuadentem & aduerſarium voluntatis ſuæ vero teſtimonio fraudare noluit. Per idem tempus Cotta 3
iudicandi munus, quod C. Gracchus ereptum ſenatui ad equites, Sulla ab illis ad ſenatum transtulerant, æqualiter inter vtrumque ordinem, partitus eſt. & Otho Roſcius lege ſua equitibus in theatro loca reſtituit.
At Cn. Pompeius, multis & præcla- 4
ris viris in id bellum aſſumtis, deſcriptoque in omnes receſſus maris præſidio nauium, breui, inexſuperabili manu, terrarum orbem liberauit, prædoneſque per multa prœlia multis locis victos, circa Ciliciam claſſe aggreſſus fudit ac fugauit. & 5
quo maturius bellum tam late diffuſum conficeret, reliquias eorum contractas, in vrbibus remotoque à mari loco, in certa ſede conſtituit.
Sunt qui hunc carpant. ſed quam- 6
quam in auctore ſatis rationis eſt, tamen

tamen ratio quemlibet magnum au-
ctorem faceret. data enim facultate
ſine rapto viuendi, rapinis arcuit.

1 Cum eſſet in fine bellum Piraticum, XXXIII.
& L. Lucullus (qui ante ſeptem an-
nos ex conſulatu ſortitus Aſiam,
Mithridati oppoſitus erat, magnaſ-
que ac memorabiles res ibi geſſerat,
Mithridatem ſæpe multis locis fude-
rat, egregia Cyzicum liberarat victo-
ria, Tigranem regum maximum in
Armenia vicerat, vltimamque bello
manum pæne magis noluerat impo-
nere quam non potuerat, qui alioqui
per omnia laudabilis, & bello pæne
inuictus pecuniæ expellebatur cupi-
dine) idem bellum adhuc admini-
ſtraret, Manilius tribunus plebis
ſemper venalis & alienæ miniſter
potentiæ, legem tulit, *vt bellum Mi-
thridaticum per Cn. Pompeium ad-*
2 *miniſtraretur.* Accepta ea, magniſ-
que certatum inter imperatores
iurgiis: cum Pompeius Lucullo *in-
famiam pecuniæ*, Lucullus Pompeio

2,46,2. *interminatam cupiditatem* obiiceret
imperii, neuterque ab eo, quo argue-
batur, mentitus argui posset. nam 3
neq; Pompeius, vt primum ad remp.
aggressus est, quemquam animo pa-
rem tulit: & in quibus rebus primus
2,29,4. esse debebat, solus esse cupiebat.
neque eo viro, quisquam aut alia
omnia minus, aut gloriam magis
concupiit. in appetendis honoribus
immodicus, in gerendis verecundis-
simus: vt qui eos, vt libentissime ini-
ret, ita finiret æquo animo; & quod
cupisset arbitrio suo sumere, alieno
deponeret. & Lucullus, summus 4
alioqui vir, profusæ huius in ædificiis
conuictibusque & apparatibus luxu-
riæ primus auctor fuit. quem ob in-
iectas moles mari, & receptum suf-
fossis montibus in terras mare, haud
infacete Magnus Pompeius *Xerxem*
XXXIV. *togatum* vocare assueuerat. Per id 1
tempus à Q. Metello Creta insula
in populi R. potestatem redacta est.
quæ ducibus Panare & Lasthene,

XXIV millibus iuuenum coactis, velocitate pernicibus, armorum laborumque patientissimis, sagittarum vsu celeberrimis, per triennium
2 Romanos exercitus fatigauerat. Ne ab huius quidem vsura gloriæ temperauit animum Cn. Pompeius, quin victoriæ partem conaretur vindicare. Sed & Luculli & Metelli triumphum cum ipsorum singularis virtus, tum etiam inuidia Pompeii apud optimum quemque
3 fecit fauorabilem. Per hæc tempora M. Cicero, qui omnia incrementa sua sibi debuit, vir nouitatis nobilissimæ, & vt vita clarus, 2,96,1.
ita ingenio maximus; qui effecit, ne quorum arma viceramus, eorum ingenio vinceremur; consul, Sergii Catilinæ Lentulique & Cethegi & aliorum vtriusque ordinis virorum coniurationem singulari virtute, constantia, vigilia, cura-
4 que aperuit. Catilina metu consularis imperii vrbe pulsus est. Len-

tulus conſularis & prætor iterum,
Cethegusque & alii clari nominis
viri, auctore ſenatu, iuſſu conſulis in
XXXV. carcere necati ſunt. Ille ſenatus dies, 1
quo hæc acta ſunt, virtutem M. Ca-
tonis, iam multis in rebus conſpi-
cuam atq; prænitentem, altiſſime il-
luminauit. Hic genitus proauo M. 2
Catone, principe illo familiæ Por-
ciæ, homo virtuti ſimillimus, & per
2, 130, 5 omnia ingenio diis quam homini-
bus propior, qui numquam recte fe-
cit, vt facere videretur, ſed quia ali-
ter facere non poterat; cuique id ſo-
lum viſum eſt rationem habere,
quod haberet iuſtitiam, omnibus
humanis vitiis immunis, ſemper for-
tunam in ſua poteſtate habuit. hic 3
tribunus pl. deſignatus, adhuc ad-
modum adoleſcens, cum alii ſuade-
rent, *vt per municipia Lentulus con-
iuratiq; cuſtodirentur*, pæne inter vl-
timos interrogatus ſententiam, tan-
ta vi animi atque ingenii inuectus
eſt in coniurationem, vt ardore oris
oratio-

orationem omnium lenitatem ſuadentium, ſocietate conſilii ſuſpe-
4 ctam fecerit. ſic *impendentia ex ruinis incendiiſq; vrbis & commutatione ſtatus publici pericula* expoſuit. ita *conſulis virtutem amplificauit*, vt vniuerſus ſenatus in eius ſententiam tranſiret, animaduertendumque in eos, quos prædiximus, cenſeret; maiorque pars ordinis eius Catonem 2,34,3.
5 proſequerentur domum. At Catilina non ſegnius vota obiit, quam ſceleris conandi conſilia inierat. quippe fortiſſime dimicans, quem ſpiritum ſupplicio debuerat, prœlio red-
1 didit. Conſulatui Ciceronis non XXXVI.
mediocre adiecit decus natus eo anno D. AVGVSTVS, abhinc annos LXXXII: omnibus omnium gentium viris magnitudine ſua inductu-
2 rus caliginem. Iam pæne ſuperuacaneum videri poteſt, eminentium ingeniorum notare tempora. quis enim ignorat diremtos gradibus 1,16,2.
ætatis floruiſſe hoc tempore Cicero-

nem, Hortensium, senemque Cras-
sum, Catonem, Sulpicium; moxque
Brutum, Calidium, Cœlium, Cal-
uum, & proximum Ciceroni Cæsa-
rem; eorumque velut alumnos Cor-
uinum ac Pollionem Asinium, æmu-
lumque Thucydidis Sallustium: au-
ctoresque carminum Varronem ac
Lucretium, neque vllo in suscepti
operis sui carmine minorem Catul-
lum. Pæne stulta est inhærentium 3
oculis ingeniorum enumeratio: in-
ter quæ maxime nostri æui eminent:
princeps carminum Virgilius Rabi-
riusque, & consecutus Sallustium
Liuius, Tibullusque & Naso, perfe-
ctissimi in forma operis sui. nam vi-
uorum vt magna admiratio, ita cen-
XXXVII. sura difficilis est. Dum hæc in vrbe 1
Italiaque geruntur, Cn. Pompeius
memorabile aduersus Mithridatem,
qui post Luculli profectionem ma-
gnas noui exercitus vires reparaue-
rat, bellum gessit. At rex fusus fuga- 2
tusque & omnibus exutus copiis
Arme

Armeniam Tigranemque ſocerum
petit, regem eius temporis, niſi quia
Luculli armis erat infractus, poten-
3 tiſſimum. Simul itaque duos perſe-
cutus Pompeius, intrauit Armeni-
am. prior filius Tigranis, ſed diſcors
patri, peruenit ad Pompeium; mox
ipſe ſupplex & præſens ſe regnum-
que ditioni eius permiſit, præfatus:
4 *neminem alium neq; Romanum neque
vllius gentis virum futurum fuiſſe,
cuius ſe fidei commiſſurus foret, quam
Cn. Pompeium: proinde omnem ſibi
vel adverſam vel ſecundam, cuius au-
ctor ille eſſet, fortunam tolerabilem
futuram. non eſſe turpe ab eo vinci,
quem vincere eſſet nefas: neq; ei in-
honeſte aliquem ſummitti, quem for-*
5 *tuna ſuper omnes extuliſſet.* Seruatus
regi honos imperii, ſed multato in-
genti pecunia: quæ omnis, ſicuti
Pompeio moris erat, redacta in quæ-
ſtoris poteſtatem, ac publicis deſcri-
pta litteris. Syria aliæque, quas occu-
pauerat, prouinciæ ereptæ; & aliæ

reſtitutæ populo Romano, aliæ tum
primum in eius poteſtatem redactæ:
vt Syria, quæ tum primum facta eſt
ſtipendiaria. Finis imperii regis ter-
XXXVIII. minatus Armenia. Haud abſurdum 1
videtur propoſiti operis regulæ, pau-
cis percurrere, quæ cuiuſque ductu
gens ac natio redacta in formulam
prouinciæ, ſtipendia pacta ſit: vt
1,14,1. quæ facilius quam partibus ſimul
vniuerſa conſpici poſſint. Primus in 2
Siciliam tranſiecit exercitum conſul
Claudius, & prouinciam eam, poſt
annos ferme LII, captis Syracuſis fe-
cit Marcellus Claudius. Primus *Afri-
cam* Regulus, nono ferme anno pri-
mi Punici belli: ſed poſt CCIV an-
nos P. Scipio Æmilianus, eruta
Carthagine, abhinc annos CLXXXII
Africã in formulam redegit prouin-
ciæ. *Sardinia* inter primum & ſe-
cundum bellum Punicum, ductu
T. Manlii conſulis, certum recepit
imperii iugum. Immane bellicæ ci- 3
uitatis argumentum, quod ſemel

ſub

ſub regibus, iterum hoc T. Manlio conſule, tertio Auguſto principe, certæ pacis argumentum Ianus Geminus clauſus dedit.
4 In *Hiſpanias* primi omnium duxere exercitus Cn. & P. Scipiones, initio ſecundi belli Punici, abhinc annos CCL. inde varie poſſeſſa, & ſæpe amiſſa partibus, vniuerſa ductu Auguſti facta ſtipendiaria eſt.
5 *Macedoniam* Paullus, Mummius *Achaiam*, Fuluius Nobilior ſubegit *Ætoliam*: *Aſiam* L. Scipio Africani frater eripuit Antiocho: ſed beneficio ſenatus populique R. mox ab Attalis poſſeſſam regibus, M. Perperna capto Ariſtonico fecit tributariam.
6 *Cypri* deuictæ nulli aſſignanda gloria eſt, quippe Senatusconſulto, miniſterio Catonis, regis morte, quam ille conſcientia acciuerat, facta prouincia eſt. *Creta* Metelli ductu longiſſimæ libertatis fine multata. Et *Syria Pontusq.* Cn. Pompeii virtutis monumenta ſunt.
1 *Gallias* XXXIX.
primum Domitio & Fabio nepoti

2,10,2. Paulli, qui *Allobrogicus* vocatus eſt, intratas cum exercitu, magna mox clade noſtra ſæpe & affectauimus & amiſimus. ſed fulgentiſſimum C. Cæſaris opus in iis conſpicitur: quippe eius ductu auſpiciiſque infractæ, pæne idem, quod totus terrarum orbis, ignauum conferunt ſtipendium. Ab eodem facta *Numidia*. *Ciliciam* 2
perdomuit Iſauricus, & poſt bellum Antiochicum Vulſo Manlius *Gallo-*
2,4,1. *græciam*. *Bithynia*, vt prædiximus, teſtamento Nicomedis relicta hereditaria. D. Auguſtus præter *Hiſpanias* aliaſque gentes, quarum titulis forum eius prænitet, pæne idem, facta *Ægypto* ſtipendiaria, quantum pater eius Gallia, in ærarium reditus contulit. At Ti. Cæſar quam certam 3
Hiſpanis parendi confeſſionem extorſerat parens, *Illyriis Dalmatiſque* extorſit. *Rhætiam* autem & *Vindelicos* ac *Noricos*, *Pannoniamque* & *Scordiſcos*, nouas imperio noſtro ſubiunxit prouincias. Vt has armis,

ita auctoritate *Cappadociam* populo R. fecit stipendiariam. Sed reuer-
1 tamur ad ordinem. Secuta deinde XL.
Cn. Pompeii militia, gloriæ laborisne maioris, incertum est. Penetratæ cum victoria Media, Albania, Hiberia; ac deinde flexum agmen ad eas nationes, quæ dextra atque intima Ponti incolunt, Colchos, Heniochosque & Achæos. & oppressus auspiciis Pompeii, insidiis filii Pharnacis, Mithridates, vltimus omnium iuris sui regum, præter Parthicos.
2 Tum victor omnium, quas adierat, gentium Pompeius, suoque & ciuium voto maior, & per omnia fortunam hominis egressus, reuertit in 2, 31, 1.
Italiam. Cuius reditum fauorabilem opinio fecerat. quippe plerique non sine exercitu venturum in vrbem, affirmabant, & libertati publicæ statuturum arbitrio suo modum.
3 Quo magis hoc homines timuerant, eo gratior ciuilis tanti imperatoris reditus fuit. omni quippe Brundisii

dimiſſo exercitu, nihil præter no-
men imperatoris retinens, cum pri-
uato comitatu, quem ſemper illi va-
care moris fuit, in vrbem rediit; ma-
gnificentiſſimumque de tot regibus
per biduum egit triumphum; lon-
geque maiorem omni ante ſe inlata
pecunia in ærarium, præterquam à
Paullo, ex manubiis intulit. abſente 4
Cn. Pompeio, T. Ampius & T. La-
bienus tribuni pl. legem tulerunt, vt
is ludis Circenſibus corona laurea,
& omni cultu triumphantium vtere-
tur, ſcenicis autem prætexta corona-
que laurea. id ille non plus quam ſe-
mel (& hoc ſane nimium fuit) vſur-
pare ſuſtinuit. Huius viri faſtigium
tantis auctibus fortuna extulit, vt
primum ex Africa, iterum ex Euro-
pa, tertio ex Aſia triumpharet: &
quot partes terrarum orbis ſunt, to-
tidem faceret monumenta victoriæ
1,9,6. ſuæ. Numquam eminentia inuidia 5
carent. Itaque & Lucullus, memor
tamen acceptæ iniuriæ, & Metellus
Creti-

Creticus, non iniuſte querens (quippe ornamentum triumphi eius captiuos duces Pompeius ſubduxerat) & cum iis pars optimatium refragabatur, ne aut promiſſa ciuitatibus, à Pompeio; aut benemeritis præmia, ad arbitrium eius, perſoluerentur.

XLI.

1 Secutus deinde eſt conſulatus C. Cæſaris, qui ſcribenti manum iniicit, & quamlibet feſtinantem in ſe morari cogit. hic nobiliſſima Iuliorum genitus familia, & quod inter omnes antiquiſſimos conſtabat, ab Anchiſe ac Venere deducens genus, forma omnium ciuium excellentiſſimus, 2, 29, 2.
vigore animi acerrimus, munificentiæ effuſiſſimus, animo ſuper huma- 2,31,1.
nam & naturam & fidem euectus, magnitudine cogitationum, celeritate bellandi, patientia periculorum, Magno illi Alexandro, ſed ſobrio ne-
2 que iracundo ſimillimus; qui denique ſemper & ſomno & cibo in vitam non in voluptatem vteretur; cum fuiſſet C. Mario ſanguine coniunctiſ-

iunctiſſimus, atque idem Cinnæ gener; cuius filiam vt repudiaret, nullo modo compelli potuit; cum M. Piſo conſularis Anniam, quę Cinnæ vxor fuerat, in Sullæ dimiſiſſet gratiam; habuiſſetq; fere XIIX annos, eo tempore, quo Sulla rerum potitus eſt; magis miniſtris Sullæ adiutoribuſq; partium, quam ipſo, conquirentibus eum ad necem, mutata veſte diſſimilemque fortunæ ſuæ indutus habitum, nocte vrbe elapſus eſt. Idem 3
poſtea admodum iuuenis, cum à piratis captus eſſet, ita ſe per omne ſpatium, quo ab iis retentus eſt, apud eos geſſit, vt pariter iis terrori venerationique eſſet; neque vnquam aut nocte aut die (cur enim, quod vel maximum eſt, ſi narrari verbis ſpecioſis non poteſt, omittatur?) aut excalcearetur aut diſcingeretur, in hoc ſcilicet, ne, ſi quando aliquid ex ſolito variaret, ſuſpectus his, qui oculis tantummodo eum cuſtodiebant, foret.
XLII. Longum eſt narrare, quid & 1
quo-

quoties ausus sit, quanto opere conata eius qui obtinebat Asiam magi-
2 stratus P. R. metu suo destituerit. Illud referatur, documentum tanti mox euasuri viri. Quæ nox eam diem secuta est, qua publica ciuitatium pecunia redemtus est (ita tamen vt cogeret, ante obsides à piratis ciuitatibus dari) contracta classe & priuatus & tumultuaria, inuectus in eum locum in quo ipsi prædones erant, partem classis fugauit, partem mersit, aliquot naues multosque
3 mortales cepit; lætusque nocturnæ expeditionis triumpho, ad suos reuersus est; mandatisque custodiæ, quos ceperat, in Bithyniam perrexit, ad proconsulem Iunium (is enim Asiam tum obtinebat) petens, *vt auctor fieret sumendi de captiuis sup-*
4 *plicii*. quod cum ille, *se facturum, negasset, venditurumq. captiuos* dixisset (quippe sequebatur inuidia inertiam) incredibili celeritate reuectus ad mare, prius quam de ea re vlli

pro-

proconſulis redderentur epiſtolæ, omnes quos ceperat ſuffixit cruci.

XLIII. Idem mox ad ſacerdotium ineun- 1
dum (quippe abſens pontifex factus erat, cum in Cottæ conſularis locum pæne puer à Mario Cinnaque Flamen Dialis creatus, victoria Sullæ, qui omnia ab iis acta fecerat irrita, amiſiſſet id ſacerdotium) feſtinans in Italiam, ne conſpiceretur à prædonibus, omnia tunc obtinentibus maria & merito iam infeſtis ſibi, quattuor ſcalmorum nauem, vna cum duobus amicis decemque ſeruis ingreſſus, effuſiſſimum Hadriatici maris tranſiecit ſinum. Quo qui- 2
dem in curſu conſpectis vt putabat, piratarum nauibus, cum exuiſſet veſtem alligaſſetque pugionem ad femur, alterutri ſe fortunæ parans, mox intellexit fruſtratum eſſe viſum ſuum, arborumq; ex longinquo ordinem antemnarum præbuiſſe imaginem. Reliqua eius acta in vrbe, no- 3
biliſſimaque Dolabellæ accuſatio, &

maior

maior ciuitatis in ea fauor quam reis
præstari solet; contentionesque ci-
uiles cum Q. Catulo atque aliis emi-
nentissimis viris, celeberrimæ; & an-
te præturam victus maximi pontifi-
catus petitione Q. Catulus, omni-
um confessione senatus princeps;
4 & restituta in ædilitate, aduersante
quidem nobilitate, monumenta C.
Marii; simulque reuocati ad ius di-
gnitatis proscriptorum liberi; & pręn-
tura quæsturaque mirabili virtute
atque industria obita in Hispania,
cum esset quæstor sub Vetere Anti-
stio, auo huius Veteris consularis at-
que pontificis, duorum consulari-
um & sacerdotum patris, viri in tan-
tum boni, in quantum humana 1,9,3.
simplicitas intelligi potest; quo no-
1 tiora sunt, minus egent stilo. Hoc XLIV.
igitur cos. inter eum & Cn. Pompe-
ium & M. Crassum inita potentiæ
societas, quę vrbi orbique terrarum,
nec minus diuerso quoque tempo-
2 re, ipsis exitiabilis fuit. Hoc consi-

lium ſequendi Pompeius cauſſam
habuerat, *vt tandem acta in tranſ-*
2,40,6. *marinis prouinciis*, quibus, vt prædi-
ximus, multi obtrectabant, *per Cæſa-*
rem confirmarentur conſulem: Cæſar
autem, quod animaduertebat *ſe ce-*
dendo Pompeii gloriæ aucturum ſuam,
& inuidia communis potentiæ in illum
relegata, confirmaturum vires ſuas:
Craſſus, *vt quem principatum ſolus*
aſſequi non poterat, auctoritate Pom-
peii, viribus teneret Cæſaris. Affini- 3
tas etiam inter Cæſarem Pompe-
iumque contracta nuptiis. quippe
filiam C. Cæſaris Cn. Magnus duxit
vxorem. In hoc conſulatu Cæſar 4
legem tulit, *vt ager Campanus ple-*
bei diuideretur, ſuaſore legis Pom-
peio. ita circiter XX millia ciuium
eo deducta, & ius ab his reſtitutum
poſt annos circiter CLII, quam bello
Punico ab Romanis Capua in for-
mam præfecturæ redacta erat. Bibu- 5
lus collega Cæſaris, cum actiones
eius magis vellet impedire, quam
poſſet,

poſſet, maiore parte anni domi ſe
tenuit. quo facto dum augere vult
inuidiam collegę, auxit potentiam.
Tum Cæſari decretæ in quinquen-
1 nium Galliæ. Per idem tempus P. XLV.
Clodius, homo nobilis, diſertus, au-
dax, qui neque dicendi neque faci-
endi vllum niſi quem vellet noſſet
modum, malorum propoſitorum 2,24,1.
executor acerrimus, infamis etiam
ſororis ſtupro, & actus inceſti reus
ob initum inter religioſiſſima P. R.
ſacra adulterium; cum graues ini-
micitias cum M. Cicerone exerce-
ret (quid enim inter tam diſſimiles
amicum eſſe poterat?) & à patribus
ad plebem tranſiret, legem in tribu-
natu tulit: *Qui civem R. indemna-
tum interemiſſet, ei aqua & igni in-*
2 *terdiceretur.* Cuius verbis etſi non
nominabatur Cicero, tamen ſolus
petebatur. ita vir optime meritus de
rep. conſeruatæ patriæ pretium ca-
lamitate exilii tulit. Non caruerunt
ſuſpicione oppreſſi Ciceronis Cæſar

cap.45. & Pompeius. Hoc ſibi contraxiſſe videbatur Cicero, quod inter XX viros diuidendo agro Campano eſſe noluiſſet. Idem intra biennium, ſe- 3
ra Cn. Pompeii cura, verum vt cœpit interrita, votiſque Italiæ ac decretis ſenatus, virtute atque actione Annii Milonis tribuni pl. dignitati patriæque reſtitutus eſt. Neque poſt
2,15,5. Numidici exſilium aut reditum, quiſquam aut expulſus inuidioſius, aut receptus eſt lætius. Cuius domus, quam infeſte à Clodio diſiecta erat, tam ſpecioſe à ſenatu reſtituta eſt.
Idem P. Clodius in ſenatu, *ſub hono-* 4
rificentiſſimo miniſterii titulo, M. Catonem à rep. relegauit. quippe legem tulit, *vt is quæſtor cum iure prætorio, adiecto etiam quæſtore, mitteretur in inſulam Cyprum ad ſpoliandum regno Ptolemæum, omnibus morum vitiis eam contumeliam meritum.* Sed ille ſub aduentum Cato- 5
nis, vitæ ſuæ vim intulit: vnde pecuniam longe ſperata maiorem Cato

Ro-

Romam retulit. cuius integritatem laudari, nefas est: insolentia pæne argui potest, quod vna cum consulib⁹ ac senatu effusa ciuitate obuiam, cum per Tiberim subiret nauibus, non ante is egressus est, quam ad eum locum peruenit, vbi erat exponenda pecunia.
1 Cum deinde immanes res, vix multis voluminibus explicandas, C. Cæsar in Gallia ageret; nec contentus plurimis ac felicissimis victoriis, innumerabilibusque cæsis & captis hostium millibus, etiam in Britanniam transiecisset exercitum, alterum pæne imperio nostro ac suo quærens orbem: inuictum par consulum Cn. Pompeius & M. Crassus, alterum iniere consulatum; qui neq; petitus honeste ab XLVI.
2 his, neq; probabiliter gestus est. Cæsari lege, quam Pompeius ad populum tulit, prorogatæ in idem spatium temporis prouinciæ: Crasso bellum Parthicum in animo molienti, Syria decreta. qui vir, cetera sanctis-

ſimus immuniſque voluptatibus,
2, 29, 4. neque in pecunia neque in gloria
2, 33, 2. concupiſcenda aut modum norat
aut capiebat terminum. hunc pro- 3
ficiſcentem in Syriam diris cum
ominibus, tribuni pl. fruſtra retine-
re conati. quorum exſecrationes ſi
in ipſum tantummodo valuiſſent,
vtile imperatoris damnum ſaluo
exercitu fuiſſet reip. Tranſgreſſum 4
Euphratem Craſſum, petentemque
Seleuciam, circumfuſis immanibus
copiis equitum, rex Orodes vna
cum parte maiore Romani exerci-
tus interemit. reliquias legionum 5
C. Caſſius, atrociſſimi mox auctor
facinoris, tum quæſtor conſeruauit;
Syriamque adeo in P. R. poteſtate
retinuit, vt tranſgreſſos in eam Par-
thos, felici rerum euentu fugaret ac
XLVII. funderet. Per hæc inſequentiaque
& quæ prædiximus tempora, ampli-
us quadringenta millia hoſtium à 1
C. Cæſare cæſa ſunt, plura capta. pu-
gnatum ſæpe eruptionibus: bis pene-
trata

trata Britannia. nouem deniq; æsta-
tibus vix vlla non iustissimus trium-
phus emeritus. Circa Alesiam vero
tantæ res gestæ, quantas audere vix
hominis; perficere, pæne nullius nisi
2 dei fuerit. Septimo ferme anno Cæ-
sar morabatur in Galliis, cum medi-
um iam ex inuidia potentiæ male
cohærentis inter Cn. Pompeium &
C. Cæsarem concordiæ pignus, Iulia
vxor magni decessit; atque omnia
inter destinatos tanto discrimini
duces dirimente fortuna, filius quo-
que paruus Pompeii, Iulia natus, in-
3 tra breue spatium obiit. Tum in
gladios cædesque ciuium furente
ambitu, cuius neque finis reperieba-
tur nec modus, tertius consulatus
soli Cn. Pompeio, etiam aduersan-
tium antea dignitati eius iudicio de-
latus est. cuius ille honoris gloria,
veluti reconciliatis sibi optimati-
bus, maxime à C. Cæsare alienatus
est. sed eius consulatus omnem vim
in coërcitionem ambitus exercuit.

Quo tempore P. Clodius à Milo- 4
2,20,3. ne candidato conſulatus, exemplo
inutili, facto ſalutari reip. circa
Bouillas, contracta ex occurſu rixa,
iugulatus eſt. Milonem reum non
magis inuidia facti, quam Pom-
peii damnauit voluntas, quem qui- 5
dem M. Cato palam lata abſoluit
ſententia. quam ſi maturius tuliſſet,
non defuiſſent qui ſequerentur ex-
emplum; probarentque eum ci-
uem occiſum, quo nemo pernicio-
ſior reip. neque bonis inimicior vi-
XLVIII. xerat. Intra breue deinde ſpatium 1
belli ciuilis exarſerunt initia: cum
iuſtiſſimus quiſque & à Cæſare & à
Pompeio vellet dimitti exercitus.
quippe Pompeius in ſecundo con-
ſulatu Hiſpanias ſibi decerni volue-
rat, eaſque per triennium abſens ipſe
ac præſidens vrbi, per Afranium &
Petreium conſularem ac pretorium,
legatos ſuos adminiſtrabat; & iis
qui à Cæſare dimittendos exercitus
contendebant, aſſentabatur; iis, qui
ab ipſo,

2 ab ipso, aduersabatur. qui si ante
biennium quam ad arma itum est,
perfectis muneribus theatri & alio-
rum operum quæ ei circumdedit,
grauissima tentatus valetudine de-
cessisset in Campania (quo quidem
tempore vniuersa Italia vota pro sa-
lute eius, primo omnium ciuium,
suscepit) defuisset fortunæ destruen-
di eius locus; & quam apud superos
habuerat magnitudinem, illibatam
3 detulisset ad inferos. Bello autem
ciuili, & tot quæ deinde per conti-
nuos XX annos consecuta sunt
malis, non alius maiorem flagran-
tioremque, quam C. Curio tribunus
pl. subiecit facem: vir nobilis, elo-
quens, audax, suæ alienæque & for-
tunæ & pudicitiæ prodigus, homo
ingeniosissime nequam, & facundus 2, 68, 1.
malo publico. cuius animo, volu-
ptatibus vel libidinibus, neque opes
vllę neque cupiditates sufficere pos-
4 sent. hic primo pro Pompeii parti-
bus, id est, vt tunc habebatur, pro

rep. mox ſimulatione contra Pom-
peium & Cæſarem, ſed animo pro
Cæſare ſtetit. id gratis an accepto
centies H-S fecerit, vt accepimus, in
medio relinquemus. ad ultimum 5
ſaluberrimas & coaleſcentis condi-
ciones pacis, quas & Cæſar iuſtiſſi-
mo animo poſtulabat, & Pompeius
æquo recipiebat, diſcuſſit ac rupit.
2,25,1. vnice cauente Cicerone concordiæ
publicæ. Harum præteritarumque
rerum ordo cum iuſtis aliorum vo-
luminibus promitur, tum, vti ſpero,
XLIX. noſtris explicabitur. Nunc propoſi- 1
to operi ſua forma reddatur: ſi prius
gratulatus ero Q. Catulo, duobus
Lucullis, Metelloque & Hortenſio;
qui cum ſine inuidia in rep. floruiſ-
ſent, eminuiſſentque ſine periculo,
quieta aut certe non præcipitata, fa-
tali ante initium bellorum ciuilium
morte functi ſunt. Lentulo & Mar- 2
cello cos. poſt vrbem conditam an-
nis DCCIII, & anno LXXIIX, quam
2,65,2. tu, *M. Vinici*, conſulatum inires,
bellum

3 bellum ciuile exarſit. *Alterius du-*
cis cauſſa melior videbatur, alterius
erat firmior. Hic omnia ſpecioſa, illic
valentia. Pompeium ſenatus auctori-
tas, Cæſarem militum armauit fidu-
cia. Conſules ſenatusq; cauſſæ non
Pompeio ſummam imperii detulerunt.
4 *Nihil relictum à Cæſare quod ſervan-*
dæ pacis cauſſa tentari poſſet: nihil re-
ceptum à Pompeianis. cum alter conſul
iuſto eſſet ferocior; Lentulus vero ſalua
rep. ſaluus eſſe non poſſet; M. autem
Cato moriendum ante, quam vllam
condicionem civis accipiendam reip.
contenderet. vir antiquus & gravis
Pompeii partes laudaret magis, pru-
dens ſequeretur Cæſaris; & illa glorio-
5 *ſa, hæc terribiliora duceret.* Vt deinde
ſpretis omnibus quæ Cæſar poſtu-
lauerat, *tantummodo contentus cum*
vna legione titulum retinere prouin-
ciæ; priuatus in vrbem veniret, & ſe
in petitione conſulatus ſuffragiis P. R.
committeret decreuere: ratus bel-
landum Cæſar, cum exercitu Rubi-

conem

conem transiit. Cn Pompeius consulesque & maior pars senatus, relicta vrbe ac deinde Italia, transmisere
I. Dyrrhachium. At Cæsar Domitio 1
legionibusque Corfinii, quæ vna cum eo fuerant, potitus, duce aliisque qui voluerant abire ad Pompeium, sine dilatione dimissis, persecutus Brundisium, ita vt appareret, malle integris rebus & condicionibus, finire bellum, quam opprimere fugientes, cum transgressos reperisset consules, in vrbem reuertit: red- 2
ditaque ratione consiliorum suorum in senatu, & in concione, *ac miserrimæ necessitudinis, cum alienis armis ad arma compulsus esset*, Hispanias petere decreuit. Festinationem 3
itineris eius aliquandiu morata Massilia est, fide melior quam consilio prudentior: intempestive principalium armorum arbitria captans, quibus ii se debent interponere, qui non parentem coërcere possunt.
Exercitus deinde, qui sub Afranio 4
consu-

consulari ac Petreio prætorio fuerat,
ipsius aduentus vigore ac fulgore
occupatus, se Cæsari tradidit. vterq;
legatorum & quisquis cuiusque or-
dinis sequi eos voluerat, remissi ad
1 Pompeium. Proximo anno, cum LI.
Dyrrhachium ac vicina ei vrbi regio
castris Pompeii teneretur (qui acci-
tis ex omnibus transmarinis prouin-
ciis legionibus, equitum ac pedi-
tum auxiliis, regumq; & tetrarcha-
rum simulque dynastarum copiis,
immanem exercitum confecerat,
& mare præsidiis classium, vt reba-
tur, sepserat, quo minus Cæsar le-
2 giones posset transmittere) sua &
celeritate, & fortuna C. Cæsar vsus
nihil in mora habuit, quo minus &
cum vellet, ipse exercitusque classi-
bus perueniret, & primo pæne ca-
stris Pompeii sua iungeret, mox et-
iam obsidione munimentisq; eum
complecteretur. Sed inopia obsi-
dentibus, quam obsessis, erat gra-
3 uior. Tum Balbus Cornelius, exce-
dente

dente humanam fidem temeritate, ingressus castra hostium sæpiusque cum Lentulo collocutus, consule dubitante quanti se venderet, illis incrementis fecit viam, quibus non Hispaniensis natus sed Hispanus in triumphum & pontificatum assurgeret, fieretque ex priuato consularis. Variatum deinde prœliis, sed vno longe magis Pompeianis prospero, quo grauiter impulsi sunt

LII. Cæsaris milites. Tum Cæsar cum 1
exercitu fatalem victoriæ suæ Thessaliam petiit. Pompeius longe diuersa aliis suadentibus (quorum pleriq; hortabantur, *vt in Italiam transmitteret*: neque hercules quidquam partibus illis salubrius fuit: alii, *vt bellum traheret, quod dignatione partium in dies ipsis magis prosperum fieret*) vsus impetu suo hostem secutus est. Aciem Pharsalicam & illum 2
cruentissimum Romano nomini diem, tantumque vtriusque exercitus profusum sanguinis, & collisa inter

inter se duo reip. capita, effossumq;
alterum Romani imperii lumen, tot
talesq; Pompeianarum partium cæ-
sos viros, non recipit enarranda hic 1, 16, 1.
3 scripturæ modus. Illud notandum 2, 55, 1.
est: vt primum C. Cæsar inclinatam
vidit Pompeianorum aciem, neque
prius neque antiquius quidquam
habuit, quam omnes partes (milita-
ri & verbo & consuetudine vtar)
4 dimitteret. Proh dii immortales,
quod huius voluntatis erga Brutum
suæ postea vir tam mitis pretium tu-
lit! Nihil illa victoria mirabilius,
magnificentius, clarius fuit; quan-
do neminem nisi acie consumtum,
ciuem patria desiderauit: sed munus
misericordiæ corrupit pertinacia, 2, 85, 5.
cum libentius vitam victor iam da-
1 ret quam victi acciperent. Pompe- LIII.
ius profugiens cum duobus Lentu-
lis consularibus Sextoque filio &
Fauonio prætorio, quos comites ei
fortuna aggregauerat, aliis *vt Par-
thos*, aliis *vt Africam peteret in qua*
fide-

cap. 53. *fidelißimum partium suarum haberet regem Iubam*, suadentibus, Ægyptum petere proposuit memor beneficiorum, quæ in patrem eius Ptolemæi, qui tum puero quam iuueni propior regnabat Alexandriæ, contulerat. Sed quis in adversis beneficiorum seruat memoriam? aut 2
quis vllam calamitosis deberi putat gratiam? aut quando fortuna non mutat fidem? Missi itaque ab rege, qui venientem Cn. Pompeium (is iam à Mitylenis Corneliam vxorem receptam in nauem, fugæ comitem habere cœperat) consilio Theodoti & Achillæ exciperent, hortarenturque vt ex oneraria in eam nauem, quæ obuiam processerat, transcenderet. quod cum fecisset, princeps Romani nominis, imperio arbitrioque Ægyptii mancipii, C. Cæsare P. Seruilio cos. iugulatus est. Hic 3
post tres consulatus & totidem triumphos, domitumque terrarum orbem, sanctissimi ac præstantissimi viri,

viri, in id euecti ſuper quod adſcendi
non poteſt, duodeſexageſimum an-
num agentis, pridie natalem ipſius,
vitæ fuit exitus: in tantum in illo
viro à ſe diſcordante fortuna, vt cui
modo ad victoriam terra defuerat,
4 deeſſet ad ſepulturam. Quid aliud
quam nimium occupatos dixerim,
quos in ætate & tanti & pæne noſtri
ſæculi viri fefellit quinquennium?
cum à C. Atilio & Q. Seruilio con-
ſulibus tam facilis eſſet annorum di-
geſtio. quod adieci, non vt arguerem
1 ſed ne arguerer. Non fuit tamen ma- LIV.
ior in Cæſarem, quam in Pompeium
fuerat, regis eorumq; quorum is au-
ctoritate regebatur, fides. quippe
cum venientem eum tentaſſent inſi-
diis, ac deinde bello laceſſere aude-
rent, vtrique ſummo imperatorum,
alteri ſuperſtiti meritas pœnas luere
2 ſuppliciis. Nuſquam erat Pompeius
corpore, adhuc vbiq; nomine: quip-
pe ingens partium eius fauor bellum
excitauerat Africum. quod ciebat

rex Iuba & Scipio, vir consularis, ante biennium, quam extingueretur Pompeius, lectus ab eo socer. eorumque copias auxerat M. Cato, ingenti cum difficultate itinerum locorumque inopia, perductis ad eos legionibus: qui vir, cum summum ei à militibus deferretur imperium, honoratiori parere maluit. 3

LV. 1, 16, 1.2, 86, 1. Admonet promissæ breuitatis fides, 1
quanto omnia transcursu dicenda sint. Sequens fortunam suam Cæsar, peruectus in Africam, quam occiso Curione, Iulianarum duce partium, Pompeiani obtinebant exercitus, ibi primo varia fortunam expugnauit via, inclinatæque hostium copiæ. Nec dissimilis ibi aduersus victos, quam in priores, clementia Cæsaris fuit. Victorem Africani belli 2
C. Cæsarem grauius excepit Hispaniense (nam victus ab eo Pharnaces vix quidquam gloriæ eius adstruxit) quod Cn. Pompeius Magni filius, adolescens impetus ad bella maximi, in-

mi, ingens ac terribile conflauerat: vndique ad eum adhuc paterni nominis magnitudinem sequentium, ex toto orbe terrarum auxiliis con-
3 fluentibus. Sua Cæsarem in Hispaniam comitata fortuna est. sed nullum vmquam atrocius periculosiusque ab eo initum prœlium, adeo vt plus quam dubio marte, descenderet equo, consistensque ante recedentem suorum aciem increpita prius fortuna, quod se in eum seruasset exitum, denunciaret militibus, *vestigio se non recessurum: proinde viderent, quem & quo loco imperato-*
4 *rem deserturi forent.* verecundia magis quam virtute acies restitutæ sunt, à duce quam à milite fortius. Cn. Pompeius, grauis vulnere inuentus, inter solitudines auias interemtus est. Labienum Varumq; acies abs-
1 tulit. Cæsar omnium victor, regres- LVI.
sus in vrbem, quod humanam excedat fidem, omnibus qui contra se ar- 2,52,4.2,
ma tulerant ignouit, magnificentis- 87,2.

cap. 56. ſimiſque gladiatorii muneris, naumachiæ, & equitum peditumq;, ſimul elephantorum certaminis ſpectaculis, epulique per multos dies dati celebratione, repleuit eam. Quinque egit triumphos. Gallici 2
apparatus ex citro, Pontici ex acantho, Alexandrini teſtudine, Africi ebore, Hiſpanienſis argento raſili conſtitit. Pecunia ex manubiis lata paullo amplius ſexies millies H S. Neq; illi tanto viro, & tam clemen- 3
ter omnibus victoriis ſuis vſo, plus quinque menſium principalis quies contigit. quippe cum menſe Octobri in vrbem reuertiſſet; idibus Martiis coniurationis auctoribus Bruto & Caſſio, quorum alterum promittendo conſulatum non obligauerat, contra differendo Caſſium offenderat; adiectis etiam conſiliariis cædis familiariſſimis omnium, & fortuna partium eius in ſummum euectis faſtigium, D. Bruto & C. Trebonio aliiſque clari nominis viris, inter-

4 interemtus eſt. cui magnam inui-
diam conciliarat M. Antonius,
omnibus audendis paratiſſimus,
conſulatus collega, imponendo ca-
piti eius Lupercalibus ſedentis pro
Roſtris inſigne regium, quod ab eo
ita repulſum erat, vt non offenſus
1 videretur. Laudandum experientia LVII.
conſilium eſt Panſæ atque Hirtii:
qui ſemper prædixerant Cæſari, *vt
principatum armis quæſitum ar-
mis teneret.* ille dictitans, *mori ſe
quam timeri malle*, dum clementiam
quam præſtiterat expectat, incautus
2 ab ingratis occupatus eſt. cum qui-
dem plurima præſagia atque indicia
dii immortales futuri obtuliſſent
periculi. nam & haruſpices præmo-
nuerant, *vt diligentiſſime iduum
Martiarum caueret diem*; & vxor
Calpurnia territa nocturno viſu, *vt
ea die domi ſubſiſteret*, orabat: & libel-
li coniurationem nunciantes dati,
ab eo neque protinus lecti erant.
3 Sed profecto ineluctabilis fatorum 2, 118, 4.

vis, cuiuſcumque fortunam mutare conſtituit, conſilia corrumpit.

LVIII. Quo anno id patrauere facinus Brutus & C. Caſſius, prætores erant; D. 1
Brutus conſul deſignatus. Hi vna cum coniurationis globo, ſtipati gladiatorum D. Bruti manu, Capitolium occupauere, cum conſul Antonius (*quem cum ſimul interimendum* 2
cenſuiſſet Caſſius, *teſtamentumque Cæſaris abolendum*, Brutus repugnauerat; dictitans, *nihil amplius ciuibus præter tyranni*, ita enim appellari Cæſarem facto eius expediebat, *petendum eſſe ſanguinem*) conuocato 3
ſenatu, cum iam Dolabella, quem ſubſtituturus ſibi Cæſar deſignauerat conſulem, faſces atque inſignia corripuiſſet conſularia, velut pacis auctor liberos ſuos obſides in Capitolium miſit, fidemque deſcendendi tuto interfectoribus Cæſaris dedit: & illud *decreti Athenienſium* 4
celeberrimi exemplum, relatum à Cicerone, *obliuionis præteritarum rerum*,

rum, decreto patrum comprobatum
1 eſt. Cæſaris deinde teſtamentum LIX.
apertum eſt, quo C. Octauium, nepotem ſororis ſuæ Iuliæ adoptabat. de cuius origine, etiam ſi præuentis
2 & pauca dicenda ſunt. Fuit C. Octauius, vt non patricia, ita admodum 2,88,2.
ſpecioſa equeſtri genitus familia, grauis, ſanctus, innocens, dives. Hic prætor inter nobiliſſimos viros creatus, primo loco, cum ei dignatio Iulia genitam Atiam conciliaſſet vxorem, ex eo honore ſortitus Macedoniam, appellatuſque in ea *imperator*, decedens ad petitionem conſulatus
3 obiit, prætextato relicto filio. quem C. Cæſar, maior eius auunculus, educatum apud Philippum vitricum, dilexit vt ſuum, natumque annos XIIX, Hiſpanienſis militiæ aſſecutum ſe poſtea comitem habuit, numquam aut alio vſum hoſpitio, quam ſuo, aut alio vectum vehiculo: pontificatuſque ſacerdotio puerum honorauit. Et pacatis bellis ci-
4 rum honorauit. Et pacatis bellis ci-

uilibus, ad erudiendum liberalibus
disciplinis singularis indolem iuue-
nis, Apolloniam eum in studia mi-
serat, mox belli Getici ac deinde
Parthici habiturus commilitonem.
Cui vt est nunciatum de cæde auun- 5
culi, cum protinus ex vicinis legio-
nibus centuriones suam suorumq;
militum operam ei pollicerentur,
neq; eam spernendam Saluidienus
& Agrippa dicerent; ille festinans
peruenire in vrbem, omnem ordi-
nationem & necis & testamenti
Brundisii comperit. Cui aduentanti 6
Romam, immanis amicorum oc-
currit frequentia: & cum intraret
vrbem, solis orbis super caput eius,
curuatus æqualiter rotundatusque,
in colorem arcus, veluti coronam
tanti mox viri capiti imponens, con-
LX. spectus est. Non placebat Atiæ ma- 1
tri Philippoque vitrico, adiri nomen
inuidiosæ fortunæ Cæsaris: sed affe-
rebant salutaria reip. terrarumque
orbis fata conditorem conseruato-
remque

2 remque Romani nominis. Spreuit itaque cælestis animus humana consilia; & cum periculo potius summa, quam tuto humilia, proposuit sequi; maluitque auunculo & Cæsari de se quam vitrico credere; dictitans, *nefas esse, quo nomine Cæsari dignus esset visus, semetipsum videri*
3 *indignum*. Hunc protinus Antonius consul superbe excipit; (neque is erat contemtus, sed metus) vixque admisso in Pompeianos hortos, loquendi secum tempus dedit; mox etiam, velut insidiis eius petitus, scelestę insimulare cœpit: in quo turpiter deprehensa eius vanitas est.
4 Aperte deinde Antonii ac Dolabellæ consulum ad nefandam dominationem erupit furor. H S septies millies, depositum à C. Cæsare ad ædem Opis, occupatum ab Antonio, actorum eiusdem, insertis falsis, indubitateque corruptis, commentariis. Atque omnia pretio temperata,
5 vendente remp. consule. Idem pro-

uinciam D. Bruto deſignato conſuli
decretam, Galliam occupare ſtatuit;
Dolabella tranſmarinas decreuit ſi-
bi: interque naturaliter diſſimilli-
mos ac diuerſa volentes creſcebat
odium. eoque C. Cæſar iuuenis quo-
tidianis Antonii petebatur inſidiis.
LXI. Torpebat oppreſſa dominatione 1
Antonii ciuitas. indignatio & dolor
omnibus, vis ad reſiſtendum nulli
aderat, cum C. Cæſar, XIX annum
ingreſſus, mira auſus, ac ſumma con-
ſecutus, priuato conſilio, maiorem
ſenatu pro rep. animum habuit. pri- 2
mumque à Calatia, mox à Caſilino
veteranos exciuit paternos. Quo-
rum exemplum ſecuti alii, breui in
formam iuſti coiere exercitus. mox
cum Antonius occurriſſet exercitui,
quem ex tranſmarinis prouinciis
Brundiſium venire iuſſerat, legio
Martia & Quarta, cognita & ſenatus
voluntate & tanti iuuenis indole,
ſublatis ſignis ad Cæſarem ſe contu-
lerunt. Eum ſenatus, honoratum 3
eque-

equeſtri ſtatua, quæ hodieque in Roſtris poſita ætatem eius ſcriptura indicat (qui honor non alii, per CCC annos, quam L. Sullæ & Cn. Pompeio & C. Cæſari contigerat) pro prætore, vna cum conſulibus deſignatis Hirtio & Panſa, bellum cum
4 Antonio gerere iuſſit. Id ab eo annum agente viceſimum, fortiſſime circa Mutinam adminiſtratum eſt; & D. Brutus obſidione liberatus; Antonius turpi ac nuda fuga coactus deſerere Italiam: conſulum autem alter in acie, alter poſt paucos dies ex
1 vulnere mortem obiit. Omnia ante, LXII.
quam fugaretur Antonius, honorifice à ſenatu in Cæſarem exercitumque eius decreta ſunt, maxime auctore Cicerone: ſed, vt receſſit metus, erupit voluntas, protinuſque Pompeianis partibus rediit animus.
2 Bruto Caſſioque prouinciæ, quas iam ipſi ſine vllo S.C occupauerant, decretæ. laudati quicumque his ſe exercitus tradidiſſent. omnia tranſ-

marina

marina imperia eorum commiſſa
arbitrio quippe M. Brutus & C. Caſ- 3
ſius, nunc metuentes arma Antonii,
nunc ad augendam eius inuidiam,
ſimulantes ſe metuere, teſtati edictis,
*libenter ſe vel in perpetuo exilio vi-
cturos, dum reip. conſtaret concordia,
nec vllam belli ciuilis præbituros ma-
teriam, plurimum ſibi honoris eſſe in
conſcientia facti ſui*, profecti vrbe
atque Italia, intento ac pari animo,
ſine auctoritate publica prouincias
exercituſq; occupauerant, & *vbicum-
que ipſi eſſent*, prætexentes *eſſe remp.*
pecunias etiam, quæ ex tranſmari-
nis prouinciis Romam ab quæſtori-
bus deportabantur, à volentibus ac-
ceperant. quæ omnia ſenatus decre- 4
tis comprehenſa, comprobata ſunt.
Et D. Bruto, quod alieno beneficio
viueret, decretus triumphus. Panſæ
atque Hirtii corpora publica ſepul-
tura honorata. Cæſaris adeo nulla 5
habita mentio, vt legati, qui ad exer-
citum eius miſſi erant, iuberentur
ſum-

ſummoto eo milites alloqui. Non fuit tam ingratus exercitus, quam fuerat ſenatus. nam, cum eam iniuriam diſſimulando Cæſar ferret, *negavere milites, ſine imperatore ſuo*
6 *vlla ſe audituros mandata.* Hoc eſt illud tempus, quo Cicero, inſito amore Pompeianarum partium, *Cæſarem laudandum & tollendum* cenſebat; cum aliud diceret, aliud intel-
1 ligi vellet. Interim Antonius, fuga LXIII.
trangreſſus Alpes primo per colloquia repulſus à M. Lepido, qui pontifex maximus in C. Cæſaris locum furto creatus, decreta ſibi Hiſpania, adhuc in Gallia morabatur: mox ſæpius in conſpectum veniens militum, cum & Lepido omnes imperatores forent meliores, & multis Antonius, dum erat ſobrius, per auerſa caſtrorum proruto vallo militibus receptus eſt: qui titulo imperii cedebat Lepido, cum ſumma virium pe-
2 nes eum foret. Sub Antonii ingreſſum in caſtra Iuuentius Laterenſis,

vir vita ac morte consentaneus, cum acerrime suasisset Lepido, *ne se cum Antonio hoste iudicato iungeret*, irritus consilii, gladio seipse transfixit.
Plancus deinde dubia, id est, sua fide, 3
diu *quarum esset partium* secum luctatus, ac sibi difficile consentiens, & nunc adiutor D. Bruti, designati consulis, collegæ sui, senatuique se litteris venditans, mox eiusdem proditor; Asinius autem Pollio, firmus proposito & Iulianis partibus fidus, Pompeianis adversus; vterque
LXIV. exercitus tradidere Antonio. D. Bru- 1
tus, desertus primo à Planco, post etiam insidiis eiusdem petitus, paullatim relinquente eum exercitu, fugiens, in hospitis cuiusdam nobilis viri, nomine Cameli, domo ab iis, quos miserat Antonius, iugulatus est; iustissimasque optime de se merito viro C. Cæsari pœnas dedit. cu- 2
ius cum primus omnium amicorum fuisset, interfector fuit, & fortunæ, ex qua fructum tulerat, inui-

diam

diam in auctorem relegabat, censebatque æquum, quæ acceperat à Cæsare, retinere; Cæsarem qui illa de-
3 derat, perire. Hæc sunt tempora, quibus M. Tullius continuis actionibus æternas Antonii memoriæ inussit notas. sed hic fulgentissimo & cælesti ore, at tribunus Canutius continua rabie lacerabat Antonium.
4 Vtrique vindicta libertatis morte stetit: sed tribuni sanguine commissa proscriptio; Ciceronis, vel satiato Antonio, pœna finita. Lepidus deinde à senatu hostis iudicatus est, vt
1 ante fuerat Antonius. Tum inter LXV.
eum Cæsaremque & Antonium, commercia epistolarum; & condicionum iacta mentio, cum Antonius & subinde Cæsarem admoneret, *quam inimicæ ipsi Pompeianæ partes forent; & in quod iam emersissent fastigium: & quanto Ciceronis studio Brutus Cassiusq; attollerentur*; denunciaretque, *se cum Bruto Cassioq;, qui iam decem & septem legionum potentes*

tes erant, iuncturum vires suas, si Cæsar eius aspernaretur concordiam; diceretq; *plus Cæsarem patris quam se amici vltioni debere.* tum inita po- 2
tentiæ societas, & hortantibus orantibusque exercitibus, inter Antonium etiam & Cæsarem facta affinitas; cum esset priuigna Antonii desponsa Cæsari. consulatumque iniit Cæsar pridie, quam viginti annos impleret, X Kal. Octobres, cum collega Q. Pedio, post V. C. annis
2,49,2. DCCIX, ante LXXII quam tu, *M. Vinici*, consulatum inires. Vidit hic 3
annus Ventidium, per quam vrbem inter captiuos Picentium in triumpho ductus erat, in ea consularem prætextam iungentem prætoria.
LXVI. Idem hic postea triumphauit. Fu- 1
rente deinde Antonio, simulq; Lepi-
2,61,3.2. do, quorum vterque, vt prædiximus,
64,3. hostes iudicati erant, cum ambo mallent sibi nunciari quid passi essent, quam quid emeruissent, repugnante Cæsare, sed frustra aduersus duos,

duos, inſtauratum Sullani exempli 2, 28, 3.
2 malum, proſcriptio. Nihil tam in-
dignum illo tempore fuit, quam
quod aut Cæſar aliquem proſcribe-
re coactus eſt; aut ab illo Cicero
proſcriptus eſt; abſciſſaque ſcelere
Antonii vox publica eſt, cum eius
ſalutem nemo defendiſſet, qui per
tot annos & publicam ciuitatis &
3 priuatam ciuium defenderat. *Nihil
tamen egiſti, M. Antoni* (cogit enim
excedere propoſiti formam operis,
erumpens animo ac pectore indi-
gnatio) *nihil*, inquam, *egiſti, mer-
cedem cæleſtiſsimi oris & clariſsimi ca-
pitis abſciſsi numerando, auctoramen-
toq; funebri ad conſeruatoris quon-
dam reipub. tantiq; cos. irritando ne-
4 cem. Rapuiſti tu M. Ciceroni lucem ſo-
licitam, & ætatem ſenilem, & vi-
tam miſeriorem te principe, quam ſub
te triumuiro mortem: famam vero
gloriamq; factorum atq; dictorum
5 adeo non abſtuliſti vt auxeris. Vivit
viuetq; per omnium ſæculorum memo-*

riam. Dumq; hoc vel forte vel prouidentia vel utcumque constitutum rerum naturæ corpus, quod ille pæne solus Romanorum animo vidit, ingenio complexus est, eloquentia illuminauit, manebit incolume: comitem æui sui laudem Ciceronis trahet; omnisq; posteritas illius in te scripta mirabitur, tuum in eum factum execrabitur; citiusque in mundo genus hominum,

LXVII. *quam*cadet.* Huius totius temporis 1
fortunam ne deflere quidem quisquam satis digne potuit, adeo nemo exprimere verbis potest. Id tamen notandum est, fuisse in proscriptos vxorum fidem summam, libertorum mediam, seruorum aliquam, filiorum nullam. adeo difficilis est hominibus vtcumq; conceptæ spei mora. Ne quid vlli sanctum relin- 2
queretur, velut in dotem inuitamentumque sceleris, Antonius L. Cæsarem auunculum, Lepidus Paullum fratrem proscripserant. Nec Planco gratia defuit ad impetrandum,

dum, *vt frater ejus Plancus Plotius*
3 *proscriberetur.* Eoque inter iocos
militares, qui currum Lepidi Plan-
cique secuti erant, inter execratio-
nem ciuium vsurpabant hunc ver-
sum: *De germanis, non de Gallis, duo*
1 *triumphant consules.* Suo præteri- LXVIII.
tum loco referatur. neque enim
persona vmbram actæ rei capit.
Dum in acie Pharsalica Africaque
de summa rerum Cæsar dimicat, M.
Cælius vir eloquio animoque Cu-
rioni simillimus, sed in utroq; perfe- 2, 48, 3.
ctior, nec minus ingeniose nequam,
cum ne modico quidem seruari pos-
set (quippe peior illi res familiaris
quam mens erat) in prætura noua-
2 rum tabularum auctor extitit: ne-
quiitque senatus & auctoritate coss.
deterreri, accito etiam Milone An-
nio, qui non impetrato reditu Iulia-
nis partibus infestus erat, in vrbe se-
ditionem, haud magis occulte bel-
licum tumultum mouens, primo
summotus à rep. mox consularibus

armis auctore ſenatu circa Thurios oppreſſus eſt. Incepto pari ſimilis 3
fortuna Milonis fuit; qui Compſam in Hirpinis oppugnans, ictuſque lapide, tum P. Clodio tum patriæ, quam armis petebat, pœnas dedit; vir inquies, & vltra ſortem temerarius. Quatenus autem aliquid ex 4
omiſſis peto, notetur immodica & intempeſtiua libertate vſos aduerſus C. Cæſarem, Marullum Epidium, Flauiumque Cæſetium trib. pl. dum arguunt in eo regni voluntatem, pæne vim dominationis expertos. In hoc tamen ſæpe laceſſiti princi- 5
pis ira exceſſit, vt cenſoria potius contentus nota, quam animaduerſione dictatoria ſummoueret eos à rep. teſtareturque, *eſſe ſibi miſerrimum, quod aut natura ſua ei excedendum foret, aut minuenda dignitas.* Sed ad ordinem reuertendum eſt.

LXIX. Iam & Dolabella in Aſia C. Trebo- 1
nium conſularem, cui ſuccedebat, fraude deceptum Smyrnæ occide-

 cap. 69.

rat, virum aduerſus merita Cæſaris 2,64,1.2,
ingratiſſimum participemque cæ- 87,3.
dis eius, à quo ipſe in conſulare pro-
2 uectus faſtigium fuerat: & C. Caſ-
ſius, acceptis à Statio Murco & Cri-
ſpo Marcio, prætoriis viris impera-
toribuſque, præualidis in Syria legi-
onibus, incluſum Dolabellam, qui
præoccupata Aſia in Syriam perue-
nerat, Laodicea expugnata interfe-
cerat; ita tamen, vt ad ictum ſerui
ſui Dolabella non ſegniter cerui-
cem daret; & decem legiones in eo
3 tractu ſui iuris fecerat. & M. Brutus
C. Antonio fratri M. Antonii in
Macedonia, Vatinioque circa Dyr-
rhachium volentes legiones ex-
torſerat: ſed Antonium bello la-
ceſſierat; Vatinium dignatione ob-
ruerat: cum & Brutus cuilibet du-
cum præferendus videretur; Va-
tinius nulli nomini non eſſet poſt-
4 ferendus. in quo deformitas cor-
poris cum turpitudine certabat
ingenii, adeo vt animus eius di-

 gniſ-

gnissimo domicilio inclusus vide-
retur. eratque septem legionibus
validus. Et lege Pedia, quam con- 5
sul Pedius collega Cæsaris tulerat,
omnibus qui Cæsarem patrem in-
terfecerant, aqua ignique damnatis
interdictum erat. quo tempore Ca-
pito, patruus meus, vir ordinis sena-
torii, Agrippæ subscripsit in C. Cas-
sium. Dumque ea in Italia geruntur, 6
acri atque prosperrimo bello Cassius
Rhodum, rem immanis operis, ce-
perat; Brutus Lycios deuicerat; &
inde in Macedoniam exercitus trans-
iecerant; cum per omnia repugnans
naturæ suæ Cassius, etiam Bruti cle-
mentiam vinceret. Neque reperias,
quos aut pronior fortuna comitata
sit, aut veluti fatigata maturius desti-
stituerit, quam Brutum & Cassium.
LXX. Tum Cæsar & Antonius transiece- 1
runt exercitus in Macedoniam, &
apud vrbem Philippos cum M. Bru-
to Cassioq; acie concurrerunt. Cor-
nu, cui

nu, cui Brutus præerat, impulsis ho-
stibus castra Cæsaris cepit. nam ipse
Cæsar, etiamsi infirmissimus valetu-
dine erat, obibat munia ducis, ora-
tus etiam ab Artorio medico, *ne in*
castris remaneret, manifeste denun-
2 tiatione quietis territo. Id autem in
quo Cassius fuerat, fugatum ac ma-
le multatum in altiora se receperat
loca. Tum Cassius ex sua fortuna
euentum collegæ æstimans, cum di-
misisset euocatum iussissetque nun-
tiare sibi, *quæ esset multitudo ac vis*
hominum, quæ ad se tenderet, tardius
eo nunciante, cum in vicino esset
agmen cursu ad eum tendentium,
neque puluere facies aut signa de-
notari possent; existimans hostes es-
se qui irruerent, lacerna caput cir-
cumdedit, extentamque ceruicem
3 interritus liberto præbuit. Decide-
rat Cassii caput, cum euocatus adue-
nit, nuncians *Brutum esse victorem.*
qui cum imperatorem prostratum
videret; *Sequar*, inquit, *eum, quem*

mea occidit tarditas; & ita in gla-
dium incubuit. Poſt paucos deinde 4
dies Brutus conflixit cum hoſtibus,
& victus acie, cum in tumulum no-
cte ex fuga ſe recepiſſet, impetrauit
à Stratone Ægeate, familiari ſuo, vt
manum morituro commodaret ſi-
bi; reiectoque læuo ſuper caput bra- 5
chio, cum mucronem gladii eius
dextera tenens, ſiniſtræ admouiſſet
mammillæ, ad eum ipſum locum,
qua cor emicat, impellens ſe in vul-
nus, vno ictu transfixus exſpirauit.

LXXI. Protinus Meſſalla, fulgentiſſimus 1
iuuenis, proximus in illis caſtris Bru-
ti Caſſiique auctoritati, cum eſſent
qui eum ducem poſcerent, ſervari
beneficio Cæſaris maluit, quam du-
biam ſpem armorum tentare am-
plius. Nec aut Cæſari quidquam ex
victoriis ſuis fuit lætius, quam ſer-
uaſſe Coruinum; aut maius exem-
plum hominis grati ac pii, quam
Coruinus in Cæſarem fuit. Non 2
aliud bellum cruentius cæde cla-
riſſi-

rissimorum virorum fuit. Tum Ca-
tonis filius cecidit. Eadem Lucul-
lum Hortensiumque eminentissi-
morum ciuium filios fortuna abstu-
lit. nam Varro ad ludibrium mori-
turus Antonii, digna illo ac vera de
exitu eius magna cum libertate omi-
3 natus est. Drusus Liuius Iuliæ Au-
gustæ pater & Varus Quinctilius, ne
tentata quidem hostis misericordia,
alter se ipse in tabernaculo interc-
mit: Varus autem liberti, quem id
facere coëgerat, manu, cum se insi-
gnibus honorum velasset, iugulatus
1 est. Hunc exitum M. Bruti partium LXXII.
septimum & trigesimum annum
agentis fortuna esse voluit: corru-
pto animo eius in diem, quæ illi
omnes virtutes vnius temeritate fa-
2 cti abstulit. Fuit autem dux Cassius
melior, quanto vir Brutus. è quibus
Brutum amicum habere malles, ini-
micum magis timeres Cassium. in
altero maior vis, in altero virtus. Qui
si vicissent, quantum reip. interfuit,

Cæſarem potius habere quam An-
tonium principem, tantum retuliſ-
ſet habere Brutum quam Caſſium.
Cn. Domitius, pater L. Domitii, nu- 3
per à nobis viſi, eminentiſſimæ ac
nobiliſſimæ ſimplicitatis viri, auus
huius Cn. Domitii clariſſimi iuue-
nis, occupatis nauibus, cum magno
2,76,2. ſequentium conſilia ſua comitatu,
fugæ fortunæque ſe commiſit,
ſemetipſo contentus duce parti-
um. Staius Murcus, qui claſſi & cu- 4
ſtodiæ maris præfuerat, cum omni
commiſſa ſibi parte exercituum na-
uiumque Sex. Pompeium, Cn. Ma-
gni filium, qui ex Hiſpania reuer-
tens, Siciliam armis occupauerat,
petit. ad quem & è Brutianis caſtris 5
& ex Italia, aliiſque terrarum parti-
bus, quos præſenti periculo fortuna
ſubduxerat, proſcripti confluebant.
quippe nullum habentibus ſtatum
quilibet dux erat idoneus; cum for-
tuna non electionem daret, ſed per-
fugium oſtenderet; exitialemque

tempeſtatem fugientibus ſtatio pro
1 portu foret. Hic adoleſcens erat LXXIII.
ſtudiis rudis, ſermone barbarus, impetu
ſtrenuus, manu promtus, cogitatione
celer, fide patri diſſimillimus,
libertorum ſuorum libertus,
ſeruorumque ſeruus; ſpecioſis in-
2 uidens, vt pareret humillimis: quem
ſenatus pæne totus, adhuc è Pompe-
ianis conſtans partibus, poſt Antonii
à Mutina fugam, eodem illo tempo-
re, quo Bruto Caſſioque tranſmari-
nas prouincias decreuerat, reuoca-
catum ex Hiſpania, vbi aduerſus
eum clariſſimum bellum Pollio Aſi-
nius prætorius geſſerat, in paterna
bona reſtituerat, & oræ maritimæ
3 præfecerat. Is tum vt prædiximus, 2,72,4.
occupata Sicilia, ſeruitia fugitiuoſ-
que in numerum exercitus ſui reci-
piens, magnum modum legionum
effecerat; perque Menam & Mene-
cratem, paternos libertos, præfectos
claſſium, latrociniis ac prædationi-
bus infeſtato mari, ad ſe exercitum-
que

que tuendum rapto vtebatur, cum eum non depuderet, vindicatum armis ac ductu patris ſui mare infeſta-

LXXIV. re piraticis ſceleribus. Fractis Bru- 1

tianis Caſſianiſque partibus, Antonius tranſmarinas obiturus prouincias ſubſtitit; Cæſar in Italiam ſe recepit, eamque longe quam ſperauerat tumultuoſiorem reperit. quippe 2

L. Antonius conſul, vitiorum fratris ſui conſors, ſed virtutum, quæ interdum in illo erant expers, modo apud veteranos criminatus Cæſarem, modo eos, qui iuſte diviſione prædiorum nominatiſque colonis agros amiſerant, ad arma conciens, magnum exercitum conflauerat. Ex 3

altera parte vxor Antonii Fuluia, nihil muliebre præter corpus gerens, omnia armis tumultuque miſcebat. Hæc belli ſedem Præneſte ceperat. Antonius pulſus vndique viribus Cæſaris Peruſiam ſe contulerat: Plancus Antonianarum adiutor partium, ſpem magis oſtenderat auxilii,

quam

4 quam opem ferebat Antonio. Vſus
Cæſar virtute & fortuna ſua, Peru-
ſiam expugnauit; Antonium inuio-
latum dimiſit. in Peruſinos magis
ira militum, quam voluntate ſæui-
tum ducis. vrbs incenſa, cuius ini-
tium incendii princeps eius loci fe-
cit Macedonicus; qui ſubiecto re-
bus ac penatibus ſuis igni, transfi-
1 xum ſe gladio flammæ intulit. Per LXXV.
eadem tempora exarſerat in Cam-
pania bellum, quod, profeſſus eo-
rum, qui perdiderant agros, patro-
cinium, ciebat Tib. Claudius Nero,
prætorius & pontifex, Tib. Cæſaris
pater, magni vir animi doctiſſimiq;
ingenii. id quoque aduentu Cæſa-
ris ſepultum atque diſcuſſum eſt.
2 Quis Fortunæ mutationes, quis du-
bios rerum humanarum caſus ſatis
mirari queat? quis non diuerſa præ-
ſentibus contrariaq; exſpectatis aut
3 ſperet aut timeat? Liuia nobiliſſimi
& fortiſſimi viri Druſi Claudiani
filia, genere, probitate, forma Ro-
mana-

manarum eminentiſſima, quam
poſtea coniugem Auguſti vidimus,
quam tranſgreſſi ad deos ſacerdo-
tem ac filiam, tum fugiens mox fu-
2, 94, 1. turi ſui Cæſaris arma, vix bimum
hunc Tiberium Cæſarem, vindicem
Romani imperii, futurumque eiuſ-
dem Cæſaris filium, geſtans ſinu, per
auia itinerum vitatis militum gla-
diis vno comitante, quo facilius oc-
cultaretur fuga, peruenit ad mare,
& cum viro Nerone peruecta in Si-
LXXVI. ciliam eſt. Quod alieno teſtimoni- 1
2,16,2 2, um redderem, in eo non fraudabo
104,3. 2, auum meum. quippe C. Velleius,
115, 1. honoratiſſimo inter illos CCCLX
iudices loco à Cn. Pompeio lectus,
eiuſdem, Marciq; Bruti ac Tironis
præfectus fabrûm, vir nulli ſecun-
dus, in Campania, digreſſu Neronis
à Neapoli, cuius ob ſingularem cum
eo amicitiam partium adiutor fue-
rat, grauis iam ætate & corpore, cum
comes eſſe non poſſet, gladio ſe ipſe
transfixit. Inuiolatam excedere Italia 2

Cæſar

Cæſar paſſus Fuluiam, Plancumque muliebris fugæ comitem. nam Pollio Aſinius cum ſeptem legionibus, diu retenta in poteſtate Antonii Venetia, magnis ſpecioſiſque rebus circa Altinum, aliaſque eius regionis vrbes editis, Antonium petens, vagum adhuc Domitium, quem digreſſum è Brutianis caſtris poſt cædem eius prædiximus, & propriæ 2, 72, 3.
claſſis factum ducem, conſiliis ſuis illectum, ac fide data, iunxit Anto-
3 nio. Quo facto, quiſquis æquum ſe præſtiterit, ſciat non minus à Pollione in Antonium quam ab Antonio in Pollionem eſſe collatum. Aduentus deinde in Italiam Antonii præparatuſque contra eum Cæſaris habuit belli metum: ſed pax circa
4 Brundiſium compoſita. Per quæ tempora Rufi Saluidieni ſceleſta conſilia patefacta ſunt. qui natus obſcuriſſimis initiis, parum habebat ſumma accepiſſe, & proximus à Cn. Pompeio, ipſoque Cæſare ex eque-

equeſtri ordine conſul creatus eſſe,
niſi in id adſcendiſſet, quo infra ſe &
LXXVII. Cæſarem videret & remp. Tum ex- 1
poſtulante conſenſu populi, quem
grauis vrebat infeſto mari annona,
cum Pompeio quoque circa Miſe-
num pax inita: qui haud abſurde
cum in naui Cæſaremque & Anto-
nium cena exciperet, dixit: *In carinis*
ſuis ſe cenam dare. referens hoc di-
ctum ad loci nomen, in quo paterna
domus ab Antonio poſſidebatur.
In hoc pacis federe placuit, *Sicili-* 2
am Achaiamq́; Pompeio concedere.
in quo tamen animus inquies ma-
nere non potuit: id vnum tantum-
modo ſalutare aduentu ſuo patriæ
attulit, quod omnibus proſcriptis,
aliiſque qui ad eum ex diuerſis cauſ-
ſis fugerant, reditum ſalutemque pa-
ctus eſt. quæ res & alios clariſſimos 3
viros, & Neronem Claudium & M.
Silanum, Sentiumque Saturninum
& Aruntium Actium reſtituit reip.
Staium autem Murcum, qui aduen-
tu ſuo

tu ſuo claſſisque celeberrimæ vires eius duplicauerat, inſimulatum falſis criminationibus, quia talem virum collegam officii Mena & Menecrates faſtidierant, Pompeius
1 in Sicilia interfecerat. Hoc tractu LXXVIII.
temporum Octauiam ſororem Cæſaris M. Antonius duxit vxorem. Redierat Pompeius in Siciliam, Antonius in tranſmarinas prouincias: quas magnis momentis Labienus, ex Brutianis caſtris profectus ad Parthos, producto eorum exercitu in Syriam, interfectoque legato Antonii concuſſerat: qui virtute & ductu Ventidii vna cum Parthorum copiis, celeberrimoque iuuenum
2 Pacoro regis filio extinctus eſt. Interim Cæſar per hæc tempora, ne res diſciplinæ inimiciſſima otium corrumperet militem, crebris in Illyrico Dalmatiaque expeditionibus, patientia periculorum bellique expe- 2,109,2.
3 rientia durabat exercitum. Eadem tempeſtate Caluinus Domitius,

cap. 79.
cum ex conſulatu obtineret Hiſpa-
niam, grauiſſimi comparandique
antiquis exempli auctor fuit. quippe
primipili centurionem nomine Vi-
billium, ob turpem ex acie fugam,
LXXIX. fuſte percuſſit. Creſcente in dies & 1
claſſe & fama Pompeii, Cæſar mo-
lem belli eius ſuſpicere ſtatuit. Ædi-
ficandis nauibus contrahendoque
militi ac remigi, naualibuſque ad-
ſueſcendo certaminibus atque exer-
citationibus, præfectus eſt M. Agrip-
pa: virtutis nobiliſſimæ, labore, vi-
gilia, periculo inuictus, parendique
ſed vni ſcientiſſimus, aliis ſane impe-
randi cupidus, & per omnia extra
dilationes poſitus, conſultiſque fa-
cta coniungens. Hic in Auerno ac 2
Lucrino lacu ſpecioſiſſima claſſe fa-
bricata, quotidianis exercitationi-
bus militem remigemque ad ſum-
mam & militaris, & maritimæ rei
perduxit ſcientiam. Hac claſſe Cæ-
ſar, cum prius, deſpondente ei Ne-
rone, cui ante nupta fuerat, Liuiam,
auſpi-

auſpicatis reip. ominibus duxiſſet cap. 79.
eam vxorem, Pompeio Siciliæque
3 bellum intulit. Sed virum humana
ope inuictum, grauiter eo tempore
fortuna concuſſit. quippe longe
maiorem partem claſſis circa Veli-
am Palinurique promontorium,
adorta vis Africi lacerauit ac diſtulit.
Ea patrando bello mora fuit, quod
poſt ea dubia, & interdum ancipiti
4 fortuna geſtum eſt. nam & claſſis
eodem loco vexata eſt tempeſtate,
& vt nauali primo prœlio apud My-
las ductu Agrippæ pugnatum pro-
ſpere; ita inopinato claſſis aduentu,
grauis ſub ipſius Cæſaris oculis circa
Tauromenium accepta clades: ne-
que ab ipſo periculum abfuit. Legio-
nes quæ cum Cornificio erant le-
gato Cæſaris, expoſitæ in terra, pæ-
5 ne à Pompeio oppreſſæ ſunt. Sed an-
cipitis fortuna temporis, matura vir-
tute correcta. Explicatis quippe
vtriuſque partis claſſibus, pæne
omnibus exutus nauibus Pompe-

ius Asiam fuga petiuit. iussuque M. Antonii, cuius opem petierat, dum *inter ducem & supplicem tumultuatur*, & *nunc dignitatem retinet nunc vitam precatur*, à Titio iugulatus est. cui in tantum durauit 6
hoc facinore contractum odium, vt mox ludos in theatro Pompeii faciens, execratione populi, spectacu-
LXXX. lo quod præbebat pelleretur. Ac- 1
ciuerat gerens contra Pompeium bellum ex Africa Cæsar Lepidum cum XII semiplenis legionibus. Hic vir omnium vanissimus, neque vlla virtute tam longam fortunæ indulgentiam meritus, exercitum Pompeii, quia propior fuerat, sequentem non ipsius sed Cæsaris auctoritatem ac fidem, sibi iunxerat: inflatusque amplius XX legio- 2
num numero, in id furoris processerat, vt inutilis in aliena victoria comes, quam diu moratus erat, dissidendo in consiliis Cæsaris & semper diuersa iis quæ aliis placebant dicendo,

çendo, totam victoriam vt suam interpretaretur; audebatque denun-
3 ciare Cæsari, *excederet Sicilia.* Non ab Scipionibus aliisque veteribus Romanorum ducum, quidquam ausum patratumque fortius, quam tunc à Cæsare. Quippe cum inermis & lacernatus esset, præter nomen nihil trahens, ingressus castra Lepidi, euitatis, quæ iussu hominis prauissimi tela in eum iacta erant, cum lacerna eius perforata esset lancea, Aquilam legionis rapere ausus
4 est. Scires quid interesset inter duces. Armati inermem secuti sunt; decimoque anno, quam ad dissimillimam vitæ suæ potentiam peruenerat Lepidus, & à militibus & à fortuna desertus, pulloque velatus amiculo, inter vltimam confluentium ad Cæsarem turbam latens genibus eius aduolutus est. Vita rerumque suarum dominium concessa ei sunt. spoliata quam tueri non poterat di-
1 gnitas. Subita deinde exercitus se- LXXXI.

ditio (qui plerumque contemplatus frequentiam ſuam, à diſciplina deſciſcit; & quod cogere ſe putat poſſe, rogare non ſuſtinet) partim ſeueritate, partim liberalitate diſcuſſa principis. Specioſumque per id 2
tempus adiectum ſupplementum Campanæ coloniæ. eius reditus erant publici: pro his longe vberiores reditus duodecies H-S in Creta inſula redditi, & aqua promiſſa, quæ hodieque ſingulare & ſalubritatis inſtar & amœnitatis ornamentum eſt. Inſigne *coronæ claſſicæ*, quo ne- 3
mo vmquam Romanorum donatus erat, hoc bello Agrippa ſingulari virtute meruit. Victor deinde Cæſar reuerſus in vrbem, contractas emtionibus complures domos per procuratores, quo laxior fieret ipſius, *publicis ſe vſibus deſtinare* profeſſus eſt: templumque Apollini & circa porticus facturum promiſit, quod ab eo ſingulari extructum
LXXXII. munificentia eſt. Qua æſtate Cæſar 1
tam

tam proſpere in Lepidum in Sicilia, bene fortuna in Cæſare & rep. militauit ad Orientem. quippe Antonius cum XIII legionibus ingreſſus Armeniam ac deinde Mediam, & per eas regiones Parthos petens, ha-
2 buit regem eorum obuium. primoque duas legiones, cum omnibus impedimentis tormentiſq; & Statiano legato amiſit; mox ſæpius ipſe, cum ſummo totius exercitus diſcrimine, ea adiit pericula; quibus ſeruari ſe poſſe deſperauerat; amiſſaque non minus quarta parte militum, captiui cuiuſdam, ſed Romani, conſilio ac fide ſeruatus. qui clade
Craſſiani exercitus captus, cum for- 2,46,4.
tunam non animum mutaſſet, acceſſit nocte ad ſtationem Romanam: prædixitque, *ne deſtinatum iter peterent, ſed diuerſo ſilueſtriq;*
3 *peruaderent.* Hoc M. Antonio atq; illis legionibus ſaluti fuit: de quibus tamen totoq; exercitu haud minus pars quarta, vt prædiximus, mi-

litum; calonum seruitiique desiderata tertia est; impedimentorum vix vlla superfuit. Hanc tamen Antonius fugam suam, quia viuus exierat, *Victoriam* vocabat. Qui tertia æstate reuersus in Armeniam, regem eius Artauasden, fraude deceptum catenis, sed ne quid honori deesset, aureis vinxit. Crescente deinde & 4
amoris in Cleopatram incendio, & vitiorum, quæ semper facultatibus
2, 102, 3. licentiaque & assentationibus aluntur, magnitudine, bellum patriæ inferre constituit; cum ante, nouum se *Liberum Patrem* appellari iussisset, cum redimitus hederis, coronaque velatus aurea & thyrsum tenens cothurnisque succinctus, curru, velut Liber Pater, vectus esset Alexandriæ.

LXXXIII. Inter hunc apparatum belli, Plancus 1
non iudicio recta legendi, neque amore reip. aut Cæsaris (quippe hæc semper impugnabat) sed morbo proditor, cum fuisset humillimus assentator reginæ, & infra seruos cliens,

cliens, cum Antonii librarius, cum
obscenissimarum rerum & auctor
& minister, cum in omnia & omni-
2 bus venalis, cum cæruleatus & nu-
dus, caputque redimitus arundine,
& caudam trahens, genibus inni-
xus, *Glaucum* saltasset, in conuiuio
refrigeratus ab Antonio, ob mani-
festarum rapinarum indicia, transfu-
3 git ad Cæsarem. & idem postea cle-
mentiam victoris pro sua virtute
interpretabatur; dictans, *id proba-
tum à Cæsare*, cui ille ignouerat.
hunc mox auunculum Titius imi-
4 tatus est. Haud absurde Coponius,
vir prætorius grauissimus, P. Silii so-
cer, cum recens transfuga, multa
ac nefanda Plancus absenti Antonio
in senatu obiiceret: *Multa*, inquit,
mehercules fecit Antonius, pridie,
1 *quam tu illum relinqueres.* Cæsare LXXXIV.
deinde & Messalla Coruino cos. de-
bellatum apud Actium; vbi longe
ante quam dimicaretur exploratissi-
ma Iulianarum partium fuit victo-

ria. Vigebat in hac parte miles atque 2
imperator, illa marcebant omnia.
hinc remiges firmiſſimi, illinc ino-
pia affectiſſimi. nauium hinc ma-
gnitudo modica cum celeritate; ad-
uerſa illa, ſpecie terribilior. hinc ad
Antonium nemo, illinc ad Cæſa-
rem quotidie aliqui transfugiebant.
Denique in ore atque oculis Anto- 3
nianæ claſſis per M. Agrippam Leu-
cas expugnata, Patræ captæ, Corin-
thus occupata. bis ante vltimum diſ-
crimen claſſis hoſtium ſuperata. Rex
Amyntas meliora & vtiliora ſecu-
tus (nam Deillius exempli ſui tenax
& illo bello) virque clariſſimus Cn.
Domitius, qui ſolus Antonianarum
partium, numquam reginam, niſi
nomine ſalutauit; maximo & præci-
piti periculo transmiſit ad Cæſarem.
LXXXV. Aduenit deinde maximi diſcriminis 1
dies, quo Cæſar Antoniuſque pro-
ductis claſſibus, pro ſalute alter, in
ruinam alter terrarum orbis dimi-
cauere. Dextrum nauium Iuliana- 2
rum

rum cornu M. Lurio commiſſum, læuum Aruntio, Agrippæ omne claſſici certaminis arbitrium. Cæſar ei parti deſtinatus, in quam à fortuna vocaretur, vbique aderat: claſſis Antonii regimen Publicolæ Soſioque commiſſum. At in terra locatum exercitum Taurus Cæſaris, Antonii regebat Canidius. Vbi initum
3 certamen eſt, omnia in altera parte fuere, dux, remiges, milites; in altera nihil, præter milites. prima occupat fugam Cleopatra: Antonius fugientis Reginæ, quam pugnantis militis ſui, comes eſſe maluit; & imperator qui in deſertores ſæuire debuerat, deſertor exercitus ſui fa-
4 ctus eſt. Illis etiam detracto capite, in longum fortiſſime pugnandi durauit conſtantia; & deſperata victoria in mortem dimicabatur. Cæſar, quos ferro poterat interimere, verbis mulcere cupiens, clamitanſque & oſtendens, *fugiſſe Antonium*, quærebat, *pro quo & cum quo pugnarent*

rent? At illi cum diu pro abſente di- 5
micaſſent duce, ægre ſummiſſis ar-
mis ceſſere victoriam; citiuſque *vi-*
2,52,4. *tam veniamq́;* Cæſar promiſit, quam
illis, vt ea precarentur, perſuaſum
eſt. Fuitque in confeſſo, milites opti-
mi imperatoris, imperatorem fuga-
ciſſimi militis functum officio. vt 6
dubites, ſuo ne an Cleopatræ arbi-
trio victoriam temperaturus fuerat,
qui ad eius arbitrium direxit fu-
gam. Idem locatus in terra fecit
exercitus, cum ſe Canidius præcipiti
LXXXVI. fuga rapuiſſet ad Antonium. Quid 1
ille dies terrarum orbi præſtiterit, ex
quo in quem ſtatum peruenerit for-
tuna publica, quis in hoc tranſcurſu
1,16,1.2, tam artati operis exprimere audeat?
55,1.2, Victoria vero fuit clementiſſima;
99,4. nec quiſquam interemtus niſi 2
pauciſſimi, & ii qui deprecari
quidem pro ſe non ſuſtinerent. Ex
qua lenitate ducis colligi potuit,
quem aut initio triumuiratus ſui
aut in campis Philippiis, ſi licuiſ-
ſet victoriæ ſuæ facturus fuerit *

 cap.87.

[*At Sosium L. Aruntii*] prisca grauita-
te celeberrimi fides, mox diu cle-
mentia luctatus sua Cæsar, seruauit
3 incolumem. Non prætereatur Asi-
nii Pollionis factum & dictum me-
morabile. namque cum se post
Brundisinam pacem continuisset in
Italia, neque aut vidisset vnquam re-
ginam aut post eneruatum amore
eius Antonii animum, partibus eius
se miscuisset, rogante Cæsare, *vt se-
cum ad bellum proficisceretur Actia-*
4 *cum*; *Mea*, inquit, *in Antonium
maiora merita sunt, illius in me bene-
ficia notiora: itaq; discrimine vestro
me subtraham, & ero præda victoris.*
1 Proximo deinde anno, persecutus LXXXVII.
reginam Antoniumque Alexandri-
am, vltimam bellis ciuilibus impo-
suit manum. Antonius se ipse non
segniter interemit, adeo vt multa de-
sidiæ crimina morte redimeret. At
Cleopatra, frustratis custodibus, illa-
ta aspide, morsu sane eius, expers
muliebris metus spiritum reddidit.

Fuit-

Fuitque & fortuna & clementia Cæ- 2
2, 56, 1. ſaris dignum, quod nemo ex iis qui contra eum arma tulerant, ab eo iuſſuue eius interemtus. D. Brutum Antonii interemit crudelitas. Sex. Pompeium, ab eodem victum, idem Antonius, cum *dignitatis quoque ſeruandæ dediſſet fidem*, etiam ſpiritu priuauit. Brutus & Caſſius ante 3
quam victorum experirentur animum, voluntaria morte obierunt. Antonii Cleopatræque quis fuiſſet exitus, narrauimus. Canidius timidius deceſſit, quam profeſſioni eius, qua ſemper vſus erat, congruebat. Vltimus autem ex interfectoribus Cæſaris, Parmenſis Caſſius
2, 69, 1. morte pœnas dedit, vt dederat Tre-
LXXXVIII. bonius. Dum vltimam bello Acti 1
aco Alexandrinoque Cæſar imponit manum, M. Lepidus iuuenis forma quam mente melior; Lepidi eius, qui IIIvir fuerat reip. conſtituendæ, filius; Iunia Bruti ſorore natus, *interficiendi, ſimul in Vrbem reuertiſſet,*

Cæſaris

2 *Cæsaris* consilia inierat. Tunc Vrbis custodiis præpositus C. Mæcenas, equestri sed splendido genere natus, 2, 59, 2. vir vbi res vigiliam exigeret, sane exsomnis, prouidens atque agendi sciens; simul veo aliquid ex negotio remitti posset, otio ac mollitiis 2, 98, 3. pæne vltra feminam fluens: non 2, 105, 3. minus Agrippa Cæsari carus, sed minus honoratus: quippe vixit angusto clauo pæne contentus; nec minora consequi potuit, sed non
3 tam concupiuit. hic speculatus est per summam quietem ac dissimulationem præcipitis consilia iuuenis & mira celeritate nullaque cum perturbatione aut rerum aut hominum oppresso Lepido, immane noui ac resurrecturi belli ciuilis restinxit initium. & ille quidem male con-
4 sultorum pœnas exsoluit. Æquetur prædictæ Calpurniæ Antistii, 2, 26, 3. Seruilia Lepidi vxor, quæ viuo igni deuorato, præmaturam mortem immortali nominis sui pensauit memoria.

LXXXIX. moria. Cæſar autem reuerſus in 1
Italiam atque vrbem, quo occurſu,
quo fauore omnium hominum,
ætatium, ordinum exceptus ſit; quæ
magnificentia triumphorum eius,
quæ fuerit munerum, ne in operis
quidem iuſti materia, nedum huius
2,55,1. 2, tam reciſi, digne exprimi poteſt.
103,4. Nihil deinde optare à diis homines, 2
nihil dii hominibus præſtare poſ-
ſunt, nihil voto concipi, nihil feli-
2,103,5. citate conſummari, quod non Au-
guſtus, poſt reditum in Vrbem, reip.
populoque Rom. terrarumque or-
bi repræſentauit. Finita viceſimo 3
anno bella ciuilia, ſepulta externa,
reuocata pax, ſopitus vbique armo-
2, 126, 2. rum furor; reſtituta vis legibus, iu-
&c. diciis auctoritas, ſenatui maieſtas;
imperium magiſtratuum ad priſti-
num redactum modum; tantum-
modo octo prætoribus allecti duo;
priſca illa & antiqua reip. forma re-
uocata; rediit cultus agris, ſacris 4
honos, ſecuritas hominibus, certa
cui-

cuique rerum suarum possessio; le-
ges emendatæ vtiliter, latæ salubri-
ter; senatus sine asperitate, nec sine
seueritate lectus. Principes viri tri-
umphisque & amplissimis honori-
bus functi, hortatu Principis, ad or-
5 nandam Vrbem illecti sunt. Con-
sulatus tantummodo vsque ad vnde-
cimum, quem continuaret Cæsar,
cum sæpe obnitens repugnasset, im-
petrari potuit. nam dictaturam,
quam pertinaciter ei deferebat po-
6 pulus, tam constanter repulit. Bella
sub imperatore gesta, pacatusque
victoriis terrarum orbis, & tot extra
Italiam, domiq; opera, omne æui sui
spatium impensurum in id solum
opus scriptorem fatigent. Nos me-
mores professionis, vniuersam ima-
ginem principatus eius oculis ani-
1 misq; subiecimus. Sepultis, vt præ- xc.
diximus, bellis ciuilibus, coalescen-
tibusque reip. membris, quæ tam
longa annorum series lacerauerat:
Dalmatia XX & CC rebellis, ad cer-

tam confeſſionem pacata eſt impe-
rii; Alpes feris multiſque nationi-
bus celebres perdomitæ; Hiſpaniæ,
nunc ipſius præſentia, nunc Agrip-
pæ, quem vſque in tertium conſula-
tum, & mox collegium tribuniciæ
poteſtatis, amicitia Principis euexe-
rat, multò varioque marte pacatæ.
In quas prouincias cum initio Sci- 2
pione & Sempronio Longo cos. pri-
mo anno ſecundi Punici, abhinc
annos CCL, Romani exercitus miſ-
ſi eſſent, duce Cn. Scipione Africani
patruo, per annos CC in his multo
mutuoque ita certatum eſt ſangui-
ne, vt amiſſis P. R. imperatoribus
exercitibuſque, ſæpe contumelia,
etiam nonnunquam periculum Ro-
mano inferretur imperio. Illæ enim 3
prouinciæ Scipiones conſumſerunt:
illæ contumelioſo XX annorum
bello ſub duce Viriatho maio-
res noſtros exercuerunt: illæ terro-
re Numantini belli, populum R.
concuſſerunt. in illis turpe Q. Pom-
peii

peii fœdus, turpiusque Mancini, se- 2, 1, 4.
natus cum ignominia dediti impe-
ratoris rescidit: illa tot consulares,
illa tot prætorios absumsit duces,
patrumque ætate, in tantum Serto-
rium armis extulit, vt per quinquen-
nium diiudicari non potuerit, *Hispa-
nis Romanisne in armis plus esset ro-
boris, & vter populus alteri pariturus*
4 *foret*. Has igitur prouincias tam
diffusas, tam frequentes, tam feras,
ad eam pacem abhinc annos ferme
L perduxit Cæsar Augustus: vt, quæ
maximis bellis numquam vacaue-
rant, eæ sub C. Antistio, ac deinde
P. Silio legato ceterisque postea et-
1 iam latrociniis vacarent. Dum paca- XCI.
tur Occidens, ab Oriente ac Rege
Parthorum signa Romana, quæ
Crasso oppresso Orodes; quæ Anto-
nio pulso filius eius Phraates cepe-
rant, *Augusto* remissa sunt. quod co-
gnomen illi viro Planci sententia
consensus vniuersi senatus populiq;
2 R. indidit. Erant tamen, qui hunc

feliciſſimum ſtatum odiſſent. quip-
pe L. Murena, & Fannius Cæpio,
diuerſis moribus (nam Murena ſine
hoc facinore potuit videri bonus,
Cæpio & ante hoc erat peſſimus)
cum iniſſent occidendi Cæſaris con-
ſilia, oppreſſi auctoritate publica,
quod vi facere voluerant, iure paſſi
ſunt. Neq; multo poſt Rufus Egna- 3
tius, per omnia gladiatori quam ſe-
natori propior, collecto in ædilita-
te fauore populi, quem exſtinguen-
dis priuata familia incendiis in dies
auxerat, in tantum quidem, vt ei præ-
turam continuaret, mox etiam con-
ſulatum petere auſus; cum eſſet
omni flagitiorum ſcelerumq; con-
ſcientia merſus; nec melior illi res
2, 68, 1. familiaris quam mens foret; aggre-
gatis ſimillimis ſibi, interimere Cæ-
ſarem ſtatuit, vt quo ſaluo ſaluus
2, 68, 1. eſſe non poterat, eo ſublato morere-
tur. Quippe ita ſe mores habent, 4
vt publica quiſque ruina malit occi-
dere, quam ſua proteri, & idem paſ-

ſurus

5 ſurus minus conſpici. Neque hic
prioribus in occultando felicior
fuit: abditusque carceri, cum con-
ſciis facinoris, mortem digniſ-
1 ſimam vita ſua obiit. Præclarum XCII.
excellentis viri factum C. Sentii
Saturnini, circa ea tempora conſu-
2 lis, ne fraudetur memoria. Aberat
in ordinandis Aſiæ Orientiſq; rebus
Cæſar, circumferens terrarum orbi
præſentia ſua pacis ſuæ bona: tum
Sentius forte & ſolus & abſente Cæ-
ſare conſul, cum alia, priſca ſeue-
ritate ſummaque conſtantia, vetere
conſulum more ac ſeueritate geſſiſ-
ſet, protraxiſſet publicanorum frau-
des, puniſſet auaritiam, regeſſiſſet in
ærarium pecunias publicas, tum in
in comitis habendis præcipuum
3 egit conſulem. nam & *quæſturam*
petentes, quos indignos iudicauit,
profiteri vetuit; &, cum, *id factu-*
ros ſe, perſeuerarent, *conſularem, ſi*
in campum deſcendiſſent, vindictam
4 minatus eſt. & Egnatium, floren-

tem fauore publico, ſperantemque,
vt præturam ædilitati, ita conſula-
tum præturæ ſe iuncturum, *profiteri
vetuit*; & cum id non obtinuiſſet,
iurauit *etiam ſi factus eſſet conſul ſuf-
fragiis populi, tamen ſe eum non re-
nunciaturum*. Quod ego factum cui- 5
libet veterum conſulum gloriæ
comparandum reor, niſi quod na-
turaliter, audita viſis laudamus li-
bentius; & præſentia inuidia, præ-
terita veneratione proſequimur; &
his nos obrui, illis inſtrui credimus.
XCIII. Ante triennium fere quam Egnatia- 1
num ſcelus erumperet, circa Mure-
næ Cæpioniſq; coniurationis tem-
pus, abhinc annos L, M. Marcellus
ſororis Augusti Octauiæ filius,
quem homines ita, ſi quid accidiſſet 2
Cæſari, ſucceſſorem potentiæ eius
arbitrabantur futurum, vt tamen id
per M. Agrippam ſecure ei poſſe con-
tingere non exiſtimarent; magni-
ficentiſſimo munere ædilitatis edi-
to deceſſit, admodum iuuenis; ſa-
ne, vt

ne, vt aiunt, ingenuarum virtutum,
lætuſque animi & ingenii, fortunæ-
3 que in quam alebatur capax. Poſt cu-
ius obitum Agrippa, qui *ſub ſpecie*
miniſteriorum principalium profe-
ctus in Aſiam; vt fama loquitur,
ob tacitas cum Marcello offenſiones, 2,99,2.
præſenti ſe ſubduxerat tempori; re-
uerſus inde filiam Cæſaris Iuliam,
quam in matrimonio Marcellus ha-
buerat, duxit vxorem; feminam ne-
que ſibi neque reip. felicis vteri.
1 Hoc tractu temporum, Tib. Clau- XCIV.
dius Nero, quo prius nato, vt prædi-
ximus, Liuia Druſi Claudiani filia, 2,75,3.
deſpondente ei Nerone, cui ante
nupta fuerat, Cæſari nupſerat, innu-
tritus cæleſtium præceptorum diſci-
2 plinis, iuuenis genere, forma, celſi-
tudine corporis, optimis ſtudiis
maximoque ingenio inſtructiſſi-
mus, qui protinus quantus eſt ſpera-
ri potuerat, viſuſque prætulerit prin-
cipem; quæſtor vndeuiceſimum an-
3 num agens, capeſſere cœpit remp.

maximamque difficultatem anno-
næ ac rei frumentariæ inopiam, ita
Oſtiæ atque in vrbe mandato vitrici
moderatus eſt; vt per id, quod age-
bat, quantus euaſurus eſſet, eluceret.
Nec multo poſt miſſus ab eodem 4
vitrico cum exercitu ad viſendas
ordinandaſq; quæ ſub Oriente ſunt,
prouincias, præcipuis omnium vir-
tutum experimentis in eo tractu edi-
tis, cum legionibus ingreſſus Arme-
niam, redacta ea in poteſtatem P. R.
regnum eius Artauaſdi dedit. cuius
rex quoque Parthorum tanti nomi-
nis fama territus, liberos ſuos ad Cæ-
XCV. ſarem miſit obſides. Reuerſum in- 1
de Neronem, Cæſar haud mediocris
belli molem experiri ſtatuit, adiu-
tore operis dato fratre ipſius Druſo
Claudio, quem intra Cæſaris pena-
tes enixa erat Liuia. quippe vterque, 2
diuiſis partibus Rætos Vindelicoſ-
que adgreſſi, multis vrbium & ca-
ſtellorum oppugnationibus, nec
non directa quoque acie feliciter
functi

functi, gentes locis tutiſſimas, aditu difficillimas, numero frequentes, feritate truces, maiore cum periculo quam damno Romani exercitus, 2,97,4.
plurimo cum earum ſanguine, per-
3 domuerunt. Ante quæ tempora cenſura Planci & Pauli acta inter diſcordiam, neque ipſis honori neq; reip. vſui fuit: cum alteri vis cenſoris, alteri vita deeſſet: Paullus vix poſſet implere cenſorē, Plancus timere deberet, ne quidquam obiicere poſſet adoleſcentibꝰ aut obiicientes audire,
1 quod non agnoſceret ſenex. Mors XCVI.
deinde Agrippæ (qui nouitatem ſu- 2,34,3.
am multis rebus nobilitauerat, atq; in hoc perduxerat, vt & Neronis eſſet ſocer; cuiuſque liberos, nepotes ſuos, D. Auguſtus, præpoſitis Caii ac Lucii nominibus adoptauerat) admouit propius Neronem Cæſari. quippe filia eius Iulia, quæ fuerat
2 Agrippæ nupta, Neroni nupſit. Subinde bellum Pannonicum, quod inchoatum Agrippa Marcoque Vini-

cio auo tuo cos. magnum atroxque
& perquam vicinum imminebat
Italiæ, per Neronem geſtum eſt.
Gentes Pannoniorum, Dalmata- 3
rumq; nationes, ſitumq; regionum
ac fluminum, numerumque & mo-
dum virium, excelſiſſimaſq; & mul-
tiplices eo bello victorias tanti im-
peratoris, alio loco explicabimus.
2, 89, 1. Hoc opus ſeruet formam ſuam. Hu-
2,114,4. ius victoriæ compos Nero, ouans
XCVII. triumphauit. Sed dum in hac parte 1
imperii omnia geruntur proſperri-
me, accepta in Germania clades ſub
legato M. Lollio, homine in omnia
pecuniæ quam recte faciendi cupi-
2,100,5. diore inter ſummam vitiorum diſſi-
mulationem vitioſiſſimo; amiſſa-
que legionis V aquila vocauit ab
Vrbe in Gallias Cæſarem. Cura de- 2
inde atque onus Germanici belli de-
legata Druſo Claudio fratri Nero-
nis, adoleſcenti tot tantarumq; vir-
2, 2, 2. tutum, quot & quantas natura mor-
talis recipit, vel induſtria perficit;
cuius

cuius ingenium vtrum bellicis magis operibus, an ciuilibus ſuffecerit
3 artibus, in incerto eſt. Morum certe dulcedo ac ſuauitas, & aduerſus amicos æqua, ac par ſui æſtimatio inimitabilis fuiſſe dicitur. nam pulcritudo corporis proxima fraternæ fuit. Sed illum, magna ex parte domitorem Germaniæ, plurimo eius gentis variis in locis profuſo ſanguine, fatorum iniquitas, conſulem agen-
4 tem annum triceſimum, rapuit. Moles deinde eius belli tranſlata in Neronem eſt, quod is ſua & virtute & fortuna adminiſtrauit, peragratuſq; victor omnes partes Germaniæ, ſine vllo detrimento commiſſi exercitus, quod præcipue huic duci ſem- 2,115,5.
per curæ fuit; ſic perdomuit eam, vt in formam pæne ſtipendiariæ redigeret prouinciæ. Tum alter triumphus, cum altero conſulatu, ei obla-
1 tus eſt. Dum ea, quæ prædiximus, in XCVIII.
Pannonia Germaniaque geruntur, atrox in Thracia bellum ortum, omni-

omnibus eius gentis nationibus in
arma accenſis, L. Piſonis, quem ho-
dieque diligentiſſimum atque eun-
dum leniſſimum ſecuritatis vrbanæ
cuſtodem habemus, virtus compreſ-
ſit. Quippe legatus Cæſaris triennio 2
cum his bellauit; genteſque fero-
ciſſimas, plurimo cum earum exci-
dio, nunc acie, nunc expugnatio-
nibus, in priſtinum pacis redegit
modum; eiusque patratione, Aſiæ
ſecuritatem, Macedoniæ pacem red-
didit. De quo viro hoc omnibus 3
ſentiendum ac prædicandum eſt,
eſſe mores eius vigore ac lenitate
mixtiſſimos, & vix quemquam re-
2, 88, 2. periri poſſe, qui aut otium validius
diligat, aut facilius ſufficiat negotio,
& magis, quæ agenda ſunt, curet ſi-
XCIX. ne vlla oſtentatione agendi. Breui 1
interiecto ſpatio Tib. Nero, duobus
conſulatibus totidemque triumphis
actis, tribuniciæ poteſtatis conſor-
tione æquatus Auguſto, ciuium,
poſt vnum (& hoc, quia volebat)
emi-

eminentissimus, ducum maximus, fama fortunaque celeberrimus, & vere alterum reip. lumen & caput,
2 mira quadam & incredibili atque inenarrabili pietate (cuius caussæ mox detectæ sunt) cum C. Cæsar sumsisset iam virilem togam, Lucius item maturus esset viris, *ne fulgor suus orientium iuuenum obsta-* 2,93,3.
ret initiis, dissimulata caussa consilii sui, *commeatum* ab socero atque eodem vitrico, *acquiescendi à conti-*
3 *nuatione laborum* petiit. Quis fuerit eo tempore ciuitatis habitus, qui singulorum animi, quæ digredientium à tanto viro omnium lacrymæ, quam pæne ei patria manum iniece- 2,86,1.2,
4 rit, iusto seruemus operi. Illud et- 96, 3.2,
iam in hoc transcursu dicendum est, 103, 4.2,
ita septem annos Rhodi moratum, 114,4.
vt omnes, qui pro consulibus legatique, in transmarinas profecti prouincias, visendi eius gatia ad eum conuenientes, semper priuato (si illa maiestas priuata vmquam fuit) fa-

sces

ſces ſuos ſummiſerint, faſſique ſint,
otium eius honoratius imperio ſuo.
c. Senſit terrarum orbis, digreſſum à 1
cuſtodia Neronem Vrbis. nam &
Parthus deſciſcens à ſocietate Ro-
mana, adiecit Armeniæ manum, &
Germania, auerſis domitoris ſui
oculis, rebellauit. At in Vrbe, eo
ipſo anno, quo magnificentiſſimi
gladiatorii muneris naumachiæque
ſpectaculis, D. Auguſtus, abhinc an-
nos XXX, ſe & Gallo Caninio cos.
dedicato Martis templo, animos
oculoſque P. R. repleuerat, fœda di-
ctu memoriaque horrenda in ipſius
domo tempeſtas erupit. Quippe fi- 3
lia eius Iulia, per omnia tanti paren-
tis ac viri immemor, nihil quod fa-
cere aut pati turpiter poſſet femina,
luxuria, libidine infectum reliquit;
magnitudinemq; fortunæ ſuæ pec-
candi licentia metiebatur; quid-
quid liberet, pro licito vindicans.
Tum Iulus Antonius, ſingulare ex-
emplum clementiæ Cæſaris, viola- 4
tor

tor eiusdomus, ipſe ſceleris à ſe commiſſi vltor fuit; quem, victo eius patre, non tantum incolumitate donauerat, ſed ſacerdotio, prætura, conſulatu, prouinciis honoratum tum etiam matrimonio ſororis ſuæ filiæ, in artiſſimam affinitatem rece-
5 perat. Quinctiuſque Criſpinus, ſingularem nequitiam ſupercilio truci protegens, & Appius Claudius & Sempronius Gracchus, ac Scipio, aliique minoris nominis, vtriuſque ordinis viri, quaſi cuiuſlibet vxore violata, pœnas pendere; cum Cæſaris filiam & Neronis violaſſent coniugem. Iulia relegata in inſulam, patriæq; & parentum ſubducta oculis. quam tamen comitata mater Scribonia, voluntarii exſilii per- 2, 97, 1.
1 manſit comes. Breue ab hoc interceſſerat ſpatium, cum C. Cæſar, ante aliis prouinciis ad ſedandum obitis, in Syriam miſſus, conuento prius Tib. Nerone, cui omnem honorem, vt ſuperiori, habuit, tam varie C I.

ſe ibi

ſe ibi geſſit, vt nec laudaturum magna, nec vituperaturum mediocris materia deficiat, cum rege Parthorum iuuene excelſiſſimo, in inſula quam amnis Euphrates ambiebat, æquato vtriuſque partis numero coiit. Quod ſpectaculum ſtantis 2
ex diuerſo hinc Romani, illinc Parthorum exercitus, cum duo inter ſe eminentiſſima imperiorum & hominum coirent capita, perquam clarum & memorabile, ſub initia ſtipendiorum meorum, tribuno
2, 104, 3. militum mihi viſere contigit. quem 3
1, 111, 3. militiæ gradum ante ſub patre tuo, *M. Vinici*, & P. Silio auſpicatus, in Thracia Macedoniaque, mox Achaia Aſiaque, & omnibus ad Orientem viſis prouinciis, & ore atq; vtroque maris Pontici latere, haud iniucunda tot rerum, locorum, gentium, vrbium recordatione perfruor. Prior Parthus apud Caium in noſtra ripa, poſterior hic apud re-
CII. gem in hoſtili epulatus eſt. Quo 1
tem-

tempore M. Lollii, quem veluti moderatorem iuuentæ filii sui Augustus esse voluerat, perfida & plena subdoli ac versuti animi consilia, per Parthum indicata, Cæsari fama vulgauit. cuius mors intra paucos dies fortuita, an voluntaria fuerit, ignoro. Sed quam hunc decessisse lætati homines, tam paullo post obisse Censorinum in iisdem prouinciis, grauiter tulit ciuitas, virum deme-
2 rendis hominibus genitum. Armeniam deinde ingressus, prima parte introitus prospere gessit; mox in colloquium (cui se temere crediderat) circa Artageram grauiter à quodam, nomine Adduo, vulneratus, ex eo, vt corpus minus habile, ita animum minus vtilem reip. habere coe-
3 pit. Nec defuit conuersatio hominum, vitia eius assentatione alentiũ. etenim semper magnæ fortunæ comes adest adulatio. 2, 82, 4. per quæ eo duct[us] erat, vt in vltimo ac remotissimo terrarum orbis angulo consenesce-

re, quam Romam regredi mallet.
Deinde reluctatus, inuitusque reuer- 4
tens in Italiam, in vrbe Lyciæ (Limy-
ram nominant) morbo obiit; cum
ante annum ferme L. Cæsar, frater
eius, Hispanias petens Massiliæ de-
CIII. cessisset. Sed fortuna, quæ subduxe- 1
rat spem magni nominis, iam tum
reip. sua præsidia reddiderat. quippe
ante vtriusque horum obitum, pa-
tre tuo P. Vinicio cos. Tib. Nero, re-
uersus Rhodo, incredibili lætitia pa-
triam repleuerat. Non est diu cun- 2
ctatus Cæsar Augustus. neque enim
quærendus erat, quem legeret; sed
legendus, qui eminebat. Itaque,
quod post Lucii mortem adhuc Ca-
io viuo facere voluerat, atque ve-
hementer repugnante Nerone erat
inhibitus, post vtriusque adolescen-
tium obitum facere perseuerauit,
vt & tribuniciæ potestatis consor-
tionem Neroni constitueret, mul-
tum quidem eo cum domi, tum in
senatu recusante, & eum Ælio Ca-

to &

cap. 104.
to & Sentio cos. V Kalend. Iul. post
V.C. annis DCCLIV, abhinc annis
4 XXVII adoptaret. Lætitiam illius
diei, concursumque ciuitatis, & vo-
ta pæne inserentium cælo manus,
spemque conceptæ perpetuæ secu-
ritatis, æternitatisque Romani im-
perii, vix in illo iusto opere abunde 2, 89, 1. 2,
persequi poterimus, nedum hic im- 99, 3. 2,
5 plere tentemus. Id vnum dixisse iu- 114, 4.
uat, quam ille omnibus fuerit ca-
rus. tum refulsit certa spes libero-
rum parentibus, viris matrimonio-
rum, dominis patrimonii, omni-
bus hominibus, salutis, quietis,
pacis, tranquillitatis; adeo, vt nec
plus sperari potuerit, nec spei re- 2, 89, 2.
1 sponderi felicius. Adoptatus ea- CIV.
dem die etiam M. Agrippa, quem
post mortem Agrippæ Iulia enixa
erat. sed in Neronis adoptione illud
adiectum, his ipsis Cæsaris verbis:
2 *Hoc*, inquit, *reip. caussa facio.* Non
diu vindicem custodemque imperii
sui morata in Vrbe patria, protinus

cap.104. in Germaniam misit; vbi ante triennium sub M. Vinicio, auo tuo, clarissimo viro, immensum exarserat bellum. erat & ab eo quibusdam in locis gestum, quibusdam sustentatum feliciter, eoque nomine decreta ei cum speciosissima inscriptione operum ornamenta triumphalia. Hoc tempus me functum 3
2, 101, 2. ante tribunatu castrorum, Ti. Cæ-
2, 111, 3. saris militem fecit. quippe protinus ab adoptione missus cum eo præfectus equitum in Germaniam, successor officii patris mei, cælestissimorum eius operum per annos continuos IX præfectus aut legatus, spectator & pro captu mediocritatis meæ adiutor fui. Neque illi spe- 4
ctaculo, quo fructus sum, simile condicio mortalis recipere videtur mihi; cum per celeberrimam Italiæ partem, tractum omnem Galliæ prouinciarum, veterem imperatorem, & ante meritis ac viribus, quam nomine, Cæsarem reuisentes, sibi

ſibi quiſque quam illi gratularen-
5 tur plenius. At vero militum con-
ſpectu eius elicitæ gaudio lacrymæ,
alacritaſque & ſalutationis noua
quædam exſultatio, & contingendi
manum cupiditas, non continen-
tium protinus, quin adiicerent;
*Videmus te, imperator, ſaluum re-
cepimus:* ac deinde, *Ego tecum,
imperator, in Armenia; ego in Ræ-
tia fui; Ego à te in Vindelicis, ego
in Pannonia, ego in Germania do-*
1 *natus ſum.* Neque verbis expri- CV.
mi, & fortaſſe vix mereri fidem
poteſt, intrata protinus Germania,
ſubacti Caninefates, Attuari, Bru-
cteri, recepti Cheruſci gentes, &
amnis, mox noſtra clade nobilis,
tranſitus Viſurgis: penetrata vlte-
2 riora. cum omnem partem aſper-
rimi & periculoſiſſimi belli Cæ-
ſar vindicaret; in iis quæ minoris
erant diſcriminis, Sentium Satur-
ninum, qui tum legatus patris eius
in Germania fuerat, præfeciſſet;

virum multiplicem in virtutibus, 3
nauum, agilem, prouidum, milita-
riumque officiorum patientem ac
2, 88, 2. peritum pariter, ſed eundem, vbi
negotia feciſſent locum otio, libe-
raliter lauteque eo abutentem; ita
tamen, vt eum ſplendidum ac hila-
rem potius, quam luxurioſum aut
deſidem diceres. de cuius viri claro
2,103,3. celebrique conſulatu prædiximus.
Anni eius æſtiua, vſque in menſem 4
Decembrem perducta, immanis
emolumentum fecere victoriæ. Pie-
tas ſua Cæſarem, pæne obſtructis
hieme alpibus, in vrbem traxit: ad
tutelam imperii eum veris initio
reduxit in Germaniam; in cuius
mediis finibus, ad caput Iuliæ flumi-
nis, hiberna digrediens princeps lo-
CVI. cauerat. Pro dii boni, quanti volu- 1
minis opera inſequenti æſtate, ſub
duce Tiberio Cæſare, geſſimus! Per-
luſtrata armis tota Germania eſt.
Victæ gentes, pæne nominibus in-
cognitæ. Receptæ Cauchorum na-
tiones

tiones. omnis eorum iuuentus, in-
finita numero, immensa corpori-
bus, situ locorum tutissima, traditis
armis, vna cum ducibus suis, septa
fulgenti armatoque militum no-
strorum agmine, ante imperatoris
2 procubuit tribunal. Fracti Lango-
bardi; gens etiam Germana ferita-
te ferocior: denique quod num-
quam antea spe conceptum, nedum
opere tentatum erat, ad quadringen-
tesimum miliarium, à Rheno vsq;
ad flumen Albim, qui Semnonum
Hermundorumq; fines præterfluit,
Romanus cum signis perductus ex-
3 ercitus: & eodem, mira felicitate &
cura ducis, temporum quoque ob-
seruantia, classis quæ Oceani cir-
cumnauigauerat sinus, ab inaudito
atque incognito ante mari flumine
Albi subuecta, plurimarum genti-
um victoria, cum abundantissima
rerum omnium copia exercitui
1 Cæsarique se iunxit. Non tempero CVII.
mihi, quin tantæ rerum magnitu-

dini hoc, qualecumque est, inseram. Cum citeriorem ripam prædicti fluminis castris occupassemus, & vlterior armata hostium iuuentute fulgeret, sub omnem motum nostrarum nauium protinus refugientium, vnus è barbaris, ætate senior, corpore excellens, dignitate, quantum ostendebat cultus, eminens, cauatum, vt illis mos est, ex materia conscendit alueum, solusque id nauigii genus temperans, ad medium processit fluminis; & petiit, *liceret sibi, sine periculo, in eam quam armis tenebamus egredi ripam, ac videre Cæsarem.* Data petenti facultas. Tum 2
appulso lintre, & diu tacitus contemplatus Cæsarem, *Nostra quidem,* inquit, *furit iuuentus, quæ cum vestrum numen absentium colat, præsentium potius arma metuit, quam sequitur fidem. sed ego beneficio ac permissu tuo, Cæsar, quos ante audiebam, hodie vidi deos: nec feliciorem vllum vitæ meæ aut optaui aut sensi diem.*

Impe-

Impetratoque, *vt manum continge-*
ret, reuerſus in nauiculam, ſine fine
reſpectans Cæſarem, ripæ ſuorum
3 appulſus eſt. Victor omnium gen-
tium locorumque quos adierat
Cæſar, cum incolumi inuiolatoque
& ſemel tantummodo, magna cum
clade hoſtium, fraude eorum ten-
tato exercitu, in hiberna legiones
reduxit; eadem qua priore anno
1 feſtinatione vrbem petens. Nihil CVIII.
erat iam in Germania, quod vinci
poſſet, præter gentem Marcoman-
norum; quæ Maroboduo duce,
excita ſedibus ſuis, atque in interio-
ra refugiens, incinctos Herciniæ ſil-
2 uæ campos incolebat. Nulla feſti-
natio huius viri mentionem tranſ-
gredi debet. Maroboduus genere
nobilis, corpore præualens, animo
ferox, natione magis quam ratione 2,118,2.
barbarus, non tumultuarium neque
fortuitum, neque mobilem & ex
voluntate parentium conſtantem
inter ſuos occupauit principatum;

sed certum imperium, vimque 3
regiam complexus animo, statuit,auocata procul à Romanis gente sua, eo progredi; vbi cum propter potentiora arma refugisset,sua faceret potentissima. Occupatis igitur, quos prædiximus, locis, finitimos omnes aut bello domuit,aut

CIX. condicionibus iuris sui fecit. Cor- 1
pus suum custoditum, imperium perpetuis exercitiis pæne ad Romanæ disciplinæ formam redactum, breui in eminens & nostro quoque imperio timendum perduxit fastigium; gerebatque se ita aduersus Romanos, vt neque bello nos lacesseret, & si lacesseretur superesse sibi vim ac voluntatem resistendi declararet. Legati quos mittebat ad 2
Cæsares, interdum *vt supplicem commendabant*, interdum *vt pro pari loquebantur*. Gentibus hominibusq; à nobis desciscentibus erat apud eum perfugium; totumque ex male dissimulato agebat æmulum: exercitumq;

tumque quem LXX millium peditum, quattuor equitum fecerat, aſſiduis aduerſus finitimos bellis exercendo, maiori quam quod ha-
3 bebat operi præparabat. Eratque etiam eo timendus, quod, cum Germaniam ad læuam, & in fronte Pannoniam ad dextram, à tergo ſedium ſuarum haberet Noricos, tanquam in omnes ſemper venturus, ab
4 omnibus timebatur. Nec ſecuram incrementi ſui patiebatur eſſe Italiam: quippe cum à ſummis Alpium iugis, quæ finem Italiæ terminant, initium eius finium haud multo plus CC millibus paſſuum
5 abeſſet. Huncvirum & hanc regionem proximo anno diuerſis è partibus Tib. Cæſar aggredi ſtatuit. Sentio Saturnino mandatum, vt per Cattos, exciſis continentibus Herciniæ ſiluis, legiones Boiohœmum (id regioni, quam incolebat Maroboduus, nomen eſt)**duceret*: ipſe à Carnunto, qui locus Norici Regni

proxi-

proximus ab hac parte erat, exerci-
tum qui in Illyrico merebat ducere
CX. in Marcomannos orsus est. Rum- 1
pit, interdum moratur proposita ho-
minum Fortuna. Præparauerat iam
hiberna Cæsar ad Danubium, ad-
motoque exercitu non plus quam V
dierum iter à primis hostium, Sa-
turninum admoueri placuerat.* pæ- 2
ne æquali diuisæ interuallo ab hoste,
intra paucos dies in prædicto loco
cum Cæsare iuncturæ erant; cum
vniuersa Pannonia, insolens longæ
pacis bonis, & adulta viribus Dal-
matia, omnibus tractus eius genti-
bus in societatem adductis, ex con-
stituto arma corripuit. Tum neces- 3
saria gloriosis præposita: neque
tutum visum, abdito in interiora
exercitu, vacuam tam vicino hosti
relinquere Italiam. Gentium natio-
numque, quæ rebellauerant, omnis
numerus amplius DCCC millibus
explebat. ducenta fere peditum col-
ligebantur, armis habilia; equitum
nouem.

 cap. 110.

4 nouem. cuius immensæ multitudinis, parentis acerrimis ac peritissimis ducibus, pars petere Italiam decreuerat, iunctam sibi Nauporti ac Tergestis confinio; pars in Macedoniam eruperat; pars suis sedibus præsidium esse destinauerat. Proxima duobus Batonibus ac Pinneti, duci-
5 bus auctoritas erat. In omnibus autem Pannoniis non disciplinæ tantummodo, sed linguæ quoque notitia Romanæ; plerisque etiam litterarum vsus & familiaris animorum erat exercitatio. Itaque hercules nulla vmquam natio tam mature consilio belli bellum iunxit ac de-
6 creta patrauit. oppressi ciues Romani, trucidati negotiatores, magnus vexillariorum numerus, ad internecionem, ea in regione, quæ plurimum ab imperatore aberat, cæsus. occupata armis Macedonia; omnia & in omnibus locis igni ferroque vastata: quin tantus etiam huius belli metus fuit, vt stabilem illum,

illum & firmatum tantorum bello-
rum experientia, Cæſaris Auguſti
animum quateret atque terreret.
CXI. Habiti itaque delectus, reuocati vn- 1
dique omnes veterani, viri femi-
næque ex cenſu libertinum coactæ
dare militem. Audita in ſenatu vox
principis, *decimo die, ni caueretur,
poſſe hoſtem in vrbis Romanæ venire
conſpectum.* Senatorum equitum-
que Romanorum exactæ ad id bel-
lum operæ pollicitæ. Omnia hæc 2
fruſtra præparaſſemus, niſi qui illa
regeret fuiſſet. Itaque vt præſidium
militum, reſp. ab Auguſto ducem in
bellum popoſcit Tiberium. Ha- 3
buit in hoc quoque bello medio-
critas noſtra ſpecioſi miniſtri lo-
2, 101, 2. cum. Finita equeſtri militia, deſi-
2, 104, 3. gnatus quæſtor, nec dum ſenator
æquatus ſenatoribus, etiam deſi-
gnatus tribunus plebis partem ex-
ercitus ab Vrbe, traditi ab Auguſto,
perduxi ad filium eius. in quæſtura 4
deinde, remiſſa ſorte prouinciæ, le-

gatus

 cap. 112.

gatus eiusdem ad eundem missus, quas nos primo anno acies hostium vidimus? quantis prudentia ducis opportunitatibus, furentes eorum vires vniuersas euasimus partibus? quanto cum temperamento simul vtilitatis res auctoritate imperatoris agi vidimus? qua prudentia hiberna disposita sunt? quanto opere, inclusus custodiis exercitus nostri, ne qua posset erumpere, inopsque copiarum & intra se furens, viribus
1 hostis elanguesceret? Felix euentu, CXII.
forte conatu, prima æstate belli Messallini opus mandandum est me-
2 moriæ. qui vir animo etiam quam gente nobilior, dignissimus qui & patrem Coruinum habuisset, & cognomen suum Cottæ fratri relinqueret, præpositus Illyrico, subita rebellione, cum semiplena legione vicesima circumdatus hostili exercitu, amplius XX millia hostium fudit fugauitque, & ob id ornamentis triumphalibus honoratus est.

Ita

Cap.112. Ita placebat barbaris numerus ſuus, 3
ita fiducia virium, vt, vbicumque Cæſar eſſet, nihil in ſe reponerent. pars exercitus eorum propoſita ipſi duci, & ad arbitrium vtilitatemque noſtram macerata, perductaque ad exitiabilem famem, neque inſtantem ſuſtinere, neque facientibus copiam pugnandi dirigentibuſque aciem auſa congredi, occupato monte Claudio, munitione ſe defendit. At ea pars, quæ obuiam ſe 4
effuderat exercitui, quem A. Cæcina, & Siluanus Plautius conſulares ex tranſmarinis adducebant prouinciis, circumfuſa V legionibus noſtris auxiliaribuſque & equitatu regio (quippe magnam Thracum manum iunctus prædictis ducibus Rhœmetalces Thraciæ rex in adiutorium eius belli ſecum trahebat) pæne exitiabilem omnibus cladem intulit. Fugata regiorum equeſtris 5
acies, fugatæ alæ, conuerſæ cohortes ſunt, apud ſigna quoque legio-

num

cap. 112.
num trepidatum, sed Romana vir-
tus militi plus eo tempore vindica-
tum gloriæ, quam ducibus reliquit:
qui multum à more imperatoris sui
discrepantes, ante in hostem inci-
derunt, quam per exploratores, vbi
6 hostis esset, cognoscerent. Iam igi-
tur in dubiis rebus semetipsæ legio-
nes adhortatæ, iugulatis ab hoste
quibusdam tribunis militum, inter-
emto præfecto castrorum, præfe-
ctisque cohortium, non incruentis
centurionibus (*è*) quibus etiam pri-
mi ordines cecidere, inuasere ho-
stes: nec sustinuisse contenti, per-
rupta eorum acie, ex insperato victo-
7 riam vindicauerunt. Hoc fere tem-
pore Agrippa, qui eodem die, quo
Tiberius, adoptatus ab auo suo na-
turali erat, & iam ante biennium,
qualis esset, apparere cœperat, mira
prauitate animi atque ingenii in
præcipitia conuersus, patris atque 2,10,1.
eiusdem aui sui animum alienauit
sibi; moxque crescentibus in dies

vitiis, dignum furore suo habuit
CXIII. exitum. Accipe nunc, *M. Vinici*, 1
tantum in bello ducem, quantum
in pace vides principem. Iunctis
exercitibus, quique sub Cæsare fue-
rant, quique ad eum venerant, con-
tractisque in vna castra decem legio-
nibus, LXX amplius cohortibus,
quatuordecim (*alis*) sed pluribus
quam decem veteranorum milli-
bus, ad hoc magno voluntariorum
numero, frequentique equite regio;
tanto denique exercitu, quantus
nullo vmquam loco post bella fue-
rat ciuilia, omnes eo ipso læti erant,
maximamque fiduciam victoriæ in
numero reponebant. At imperator 2
optimus eorum quæ agebat iudex,
& vtilia speciosis præferens, quod-
que semper eum facientem vidi, in
omnibus bellis, quæ probanda es-
sent non quæ vtique probarentur
sequens, paucis diebus exercitum
qui venerat, ad refouendas ex itine-
re eius vires, moratus; cum eum
maio-

 cap.114.

maiorem, quam vt temperari poſſet,
neque habilem gubernaculo cerne-
3 ret, dimittere ſtatuit: proſecutuſq;
longo & perquam laborioſo itine-
re, cuius difficultas narrari vix
poteſt, vt neque vniuerſos quiſ-
quam auderet aggredi, & partem
digredientium ſuorum metu vni-
uerſi tentare non poſſet, remiſit eo
vnde venerant, & ipſe aſperrimæ hi-
emis initio regreſſus Siſciam, lega-
tos, inter quos ipſi fuimus, partitis 2,111,3.
1 præfecit hibernis. O rem dictu non CXIV.
eminentem, ſed ſolida veraque vir-
tute atque vtilitate maximam, expe-
rientia ſuauiſſimam, humanitate
ſingularem! Per omne belli Ger-
manici Pannonicique tempus, ne-
mo è nobis, gradumve noſtrum aut
præcedentibus aut ſequentibus, im-
becillus fuit, cuius ſalus ac valetu-
do non ita ſuſtentaretur Cæſaris cu-
ra, tanquam diſtractiſſimus ille tan-
torum onerum mole huic vni ne-
2 gotio vacaret animus. Erat deſide-

 ranti-

rantibus paratum iunctum vehiculum; lectica eius publicata, cuius beneficium cum alii,tum ego ſenſi. Iam medici,iam apparatus cibi,iam in hoc ſolum importatum inſtrumentum balinei, nullius non ſuccurrit valetudini. Domus tantum ac domeſtici deerant; ceterum nihil, quod ab illis aut præſtari aut deſiderari poſſet. Adiiciam illud,quod, 3
quiſquis illis temporibus interfuit, vt alia quæ retuli agnoſcat protinus. Solus ſemper equo vectus eſt; ſolus cum iis, quos inuitauerat, maiore parte æſtiuarum expeditionum, cenauit ſedens; non ſequentibus diſciplinam, quatenus exemplo non nocebatur, ignouit; admonitio frequens inerat, & caſtigatio, vindicta rariſſima: agebatque medium,plurima diſſimulantis, aliqua inhibentis.
Hiems emolumentum patrati belli 4
contulit. ſed inſequenti æſtate omnis Pannonia, reliquiis totius belli in Dalmatia manentibus, pa-
ccem

cem petiit. Ferocem illam tot mil-
lium iuuentutem, paullo ante ser-
uitutem minatam Italiæ, confe-
rentem arma, quibus vsa erat apud
flumen nomine Bathinum, pro-
sternentemque se vniuersam geni-
bus imperatoris, Batonemque & Pi- 2,110,4.
netem excelsissimos duces, ca-
ptum alterum, alterum deditum,
iustis voluminibus ordine narrabi- 2,103,4.
5 mus, vt spero. Autumno victor 2,119,1.
in hiberna reducitur exercitus, cu-
ius omnibus copiis à Cæsaribus M.
Lepidus præfectus est, vir nominis
ac fortunæ eorum proximus: quem
in quantum quisque aut cognosce-
re aut intelligere potuit, in tan-
tum miratur ac diligit, tantorum-
que nominum, quibus ortus est, or-
1 namentum iudicat. Cæsar ad alte- CXV.
ram Belli Delmatici molem ani-
mum atque arma contulit. in qua
regione quali adiutore legatoque
fratre meo, Magio Celere Velleia- 2,121,3.2,
no, vsus sit, ipsius patrisque eius præ- 76,1.

dicatione testatum est, & amplissimorum honorum, quibus triumphans eum Cæsar donauit, signat memoria. Initio æstatis Lepidus, 2
educto hibernis exercitu, per gentes integras immunesque adhuc clade belli, & eo feroces ac truces, tendens ad Tiberium imperatorem, & cum difficultate locorum & cum vi hostium luctatus, magna cum clade obsistentium, excisis agris, exustis ædificiis, cæsis viris, lætus victoria, prædaque onustus, peruenit ad Cæsarem; & ob ea, quæ si pro- 3
priis gessisset auspiciis, triumphare debuerat, ornamentis triumphalibus, consentiente cum iudicio principum voluntate senatus, donatus est. Illa æstas maximi belli consum- 4
mauit effectus. quippe Daorisi & Desitiates Delmatæ, situ locorum ac montium, ingeniorum ferocia, mira etiam pugnandi scientia & præcipue angustiis saltuum pæne inexpugnabiles, non iam ductu, sed

mani-

manibus atque armis ipsius Cæsaris tum demum pacati sunt, cum
5 pæne funditus euersi forent. Nihil in hoc tanto bello, nihil in Germania aut videre maius aut mirari magis potui, quam quod imperatori numquam adeo vlla opportuna visa est victoriæ occasio, quam damno 2,97,4.2,
amissi pensaret militis. semperque 120,2.
visum est gloriosum, quod esset tutissimum, & ante conscientiæ quam famæ consultum; nec vmquam consilia ducis iudicio exercitus, sed exercitus prouidentia ducis rectus 2,113,2.
1 est. Magna in bello Delmatico ex- CXVI.
perimenta virtutis in multos ac difficiles locos præmissus Germanicus dedit; celebris etiam opera diligenti Q. Iulius Postumus, vir consularis, præpositus Delmatiæ, ornamenta meruit triumphalia: quem honorem ante paucos annos Passienus & Cossus, viri quibusdam diuersis virtutibus celebres, in Africa me-
2 ruerant. Sed Cossus victoriæ testi-

monium etiam in cognomen filii
contulit, adoleſcentis in omnium
virtutum exempla geniti. At Poſtu-
mi operum L. Apronius particeps,
illa quoque militia eos, quos mox
conſecutus eſt, honores excellenti
virtute meruit. Vtinam non maio- 3
ribus experimentis teſtatum eſſet,
quantum in omni re Fortuna poſ-
ſet; ſed in hoc quoque genere ab-
unde agnoſci vis eius poteſt. nam
& Seianus, vir antiquiſſimi moris,
& priſcam grauitatem ſemper hu-
manitate temperans, in Germania,
Illyricoque, & mox in Africa, ſplen-
dididiſſimis functus miniſteriis, non
merito ſed materia adipiſcendi tri-
umphalia defectus eſt. Et A. Lici- 4
nius Nerua Silianus, P. Silii filius,
1, 9, 3. quem virum, ne qui intellexit qui-
dem, abunde miratus eſt, ne nihil
non optimo ciui, ſimpliciſſimo du-
ci periſſet, præreptus immature, &
fructu ampliſſimæ principis amici-
tiæ & conſummatione euectæ in al-
tiſſi-

tissimum paternumque fastigium
5 imaginis defectus est. Horum viro-
rum mentione si quis quæsisse me
dicet locum, fatentem arguet. ne-
que enim iustus sine mendacio can-
1 dor apud bonos crimini est. Tan- CXVII.
tum quod vltimam imposuerat
Pannonico ac Delmatico bello Cæ-
sar manum, cum, intra quinq; con-
summati tanti operis dies, funestæ
ex Germania epistolæ: *cæsi Vari, tru-
cidatarumq; legionum trium, toti-
demq; alarum, & sex cohortium.* ve-
lut in hoc saltem tantummodo in-
dulgente nobis fortuna, ne occu-
pato duce, * & caussa perso-
2 na moram exigit. Varus Quincti-
lius illustri magis quam nobili or-
tus familia, vir ingenio mitis, mori-
bus quietus, vt corpore & animo
immobilior, otio magis castrorum
quam bellicæ assuetus militiæ; pe-
cuniæ vero quam non contemtor,
Syria cui præfuerat declarauit; quam
pauper diuitem ingressus, diues

pauperem reliquit: Is cum exerci- 3
tui, qui erat in Germania, præeſſet,
concepit eſſe homines qui nihil præ-
ter vocem membraque haberent
hominum; quique gladiis domari
non poterant, poſſe iure mulceri.
Quo propoſito mediam ingreſſus 4
Germaniam, velut inter viros pacis
gaudentes dulcedine, iuriſdictioni-
bus agendoque pro tribunali ordi-
CXVIII. ne, trahebat æſtiua. At illi, quod 1
niſi expertus vix credebat, in ſum-
ma feritate verſutiſſimi, natumque
mendacio genus, ſimulantes fictas
litium ſeries, & nunc *prouocantes*
alter alterum iniuria, nunc *agentes*
gratias, quod eas Romana iuſtitia fi-
niret, feritasq. ſua nouitate incognitæ
diſciplinæ miteſceret, & ſolita armis
diſcerni iure terminarentur, in ſum-
mam ſocordiam perduxere Quin-
ctilium, vſque eo, vt ſe prætorem
vrbanum in foro ius dicere, non
in mediis Germaniæ finibus exer-
citui præeſſe crederet. Tum iuue- 2
nis

nis genere nobilis, manu fortis, 2, 108, 2.
ſenſu celer, vltra barbarum promtus ingenio, nomine Arminius, Sigimeri principis gentis eius filius, ardorem animi vultu oculiſque præferens, aſſiduus militiæ noſtræ prioris comes, & iam ciuitatis Romanæ ius equeſtremq; conſecutus gradum, ſegnitia ducis in occaſionem ſceleris vſus eſt; haud imprudenter ſpeculatus, neminem celerius opprimi, quam qui nihil timeret; & frequentiſſimum initium eſſe
3 calamitatis, ſecuritatem. Primo igitur paucos, mox plures in ſocietatem conſilii recipit; *opprimi poſſe Romanos*, & dicit & perſuadet; decretis facta iungit; tempus inſi-
4 diarum conſtituit. Id Varo per virum eius gentis fidelem clarique nominis Segeſten indicatur. ſed præualebant iam fata conſiliis, omnemque animi eius aciem præ- 2, 57, 3.
ſtinxerant. Quippe ita ſe res habet, vt plerumque, qui fortunam mutatu-

taturus est, consilia corrumpat, effi-
ciatque, quod miserrimum est, vt
quod accidit id etiam merito acci-
disse videatur, & casus in culpam
transeat. *Negat* itaque *se credere*, 5
spemq. in se beneuolentiæ ex merito
æstimare profitetur. Nec diutius, post
primum indicem, secundo relictus
CXIX. locus. Ordinem atrocissimæ cala 1
mitatis, qua nulla, post Crassi in Par
this damnum, in externis genti-
bus grauior Romanis fuit, iustis vo-
2, 103, 4. luminibus, vt alii, ita nos conabi-
2, 114, 5. mur exponere. Nunc summa de-
flenda est. Exercitus omnium for- 2
tissimus, disciplina, manu, experi-
entiaque bellorum inter Romanos
milites princeps, marcore ducis,
perfidia hostis, iniquitate fortunæ
circumuentus; cum ne pugnandi
quidem egregie occasio in quan-
tum voluerant data esset miseris,
castigatis etiam quibusdam graui
pœna, quia Romanis & armis & ani-
mis vsi fuissent, inclusus siluis, palu-
dibus,

dibus, inſidiis ab eo hoſte ad in-
ternecionem trucidatus eſt, quem
ita ſemper more pecudum trucida-
uerat, vt vitam aut mortem eius
nunc ira nunc venia temperaret.
3 Duci plus ad moriendum quam ad
pugnandum animi fuit. quippe pa-
terni auitique exempli ſucceſſor, ſe
ipſe transfixit. At è præfectis caſtro-
rum duobus quam clarum exem-
plum L. Eggius, tam turpe Ceionius
prodidit; qui cum longe maxi-
mam partem abſumſiſſet acies, au-
ctor deditionis ſupplicio quam
4 prœlio mori maluit. At Vala Numo-
nius, legatus Vari, cetera quietus ac
probus, diri auctor exempli, ſpo-
liatum equite peditem relinquens,
fuga cum alis Rhenum petere in-
greſſus eſt. quod factum eius fortu-
na vlta eſt. non enim deſertis ſuper-
5 fuit, ſed deſertor occidit. Vari cor-
pus ſemiuſtum hoſtilis lacerauerat
feritas; caput eius abſciſſum latum-
que ad Maroboduum, & ab eo miſ-
ſum

ſum ad Cæſarem, gentilicii tamen tumuli ſepultura honoratum eſt.

CXX. His auditis, reuolat ad patrem Cæſar: perpetuus patronus Romani imperii, aſſuetam ſibi cauſſam ſuſcipit. Mittitur ad Germaniam, Gallias confirmat, diſponit exercitus, præſidia munit, ſe magnitudine ſua non fiducia hoſtium metiens, qui Cimbricam Teutonicamque militiam Italiæ minabantur; vltro Rhenum cum exercitu tranſgreditur. Arminio territo, quem arcuiſſe pater & patria contenti erant, penetrat interius, aperit limites, vaſtat agros, vrit domos, fundit obuios; maximaque cum gloria, incolumi omnium, quos transduxerat, numero, in hiberna reuertitur. Reddatur verum L. Aſprenati teſtimonium; qui legatus ſub auunculo ſuo Varo militans, naua virilique opera duarum legionum, quibus præerat, exercitum immunem tanta calamitate ſeruauit; matureque adin-

[Margin notes: 1 (beside "His auditis"); 2 (beside "ditur. Arminio"); 2, 97, 4. (beside "columi omnium"); 2, 115, 5. (beside "rat, numero"); 3 (beside "Reddatur verum")]

ad inferiora hiberna descendendo, vacillantium etiam cis Rhenum sitarum gentium animos confirmauit. Sunt tamen, qui, vt viuos ab eo vindicatos, ita iugulatorum sub Varo occupata crediderint patrimonia, hereditatemque excisi exercitus, in quantum voluerit, ab eo
4 aditam. Lucii etiam Cæditii, præfecti castrorum, eorumque, qui vna circumdati Alisone immensis Germanorum copiis obsidebantur, laudanda virtus est; qui omnibus difficultatibus superatis, quas inopia rerum intolerabiles, vis hostium faciebat inexsuperabiles, nec temerario consilio, nec segni prouidentia vsi, speculatique opportunitatem, ferro sibi ad suos peperere reditum.
5 Ex quo apparet, Varum sane grauem & bonæ voluntatis virum, magis imperatoris defectum consilio, quam virtute destitutum militum, se magnificentissimumque
6 perdidisse exercitum. Cum in ca-

ptiuos

ptiuos sæuiretur à Germanis, præclari facinoris auctor fuit Caldus Cœlius, vetustate familiæ suæ dignissimus; qui complexus catenarum, quibus vinctus erat, seriem, ita illas inlisit capiti suo, vt protinus pariter sanguinis cerebrique profluuio ex-
CXXI. spiraret. Eadem & virtus & fortu- 1
na subsequenti tempore ingressa animum imperatoris Tiberii fuit, quæ initio fuerat; qui concussis hostium viribus, classicis peditumque expeditionibus, cum res Galliarum maximæ molis, accensasque plebis Viennensium dissensiones, coercitione magis quam pœna mollisset; & senatus populusq; Rom. (postulante patre eius) *vt æquum ei ius in omnibus prouinciis exercitibusque esset, quam erat ipsi*, decreto complexus esset: (etenim absur- 2
dum erat, non esse sub illo, quæ ab illo vindicabantur; & qui ad opem ferendam primus erat, ad vindicandum honorem non iudicari parem)

rem) in Vrbem reuersus, iampri-
dem debitum, sed continuatione
bellorum dilatum, ex Pannoniis
3 Delmatisque egit triumphum. cu-
ius magnificentiam quis miretur
in Cæsare? fortunæ vero quis non
miretur indulgentiam? quippe
omnes eminentissimos hostium du-
ces non occisos fama narrauit, sed
vinctos triumphus ostendit. quem
mihi, fratrique meo, inter præcipuos 2,111,3.2,
præcipuisque donis adornatos vi- 115,1.
1 ros, comitari contigit. Quis non in- CXXII.
ter reliqua, quibus singularis mo-
deratio Ti. Cæsaris elucet atque
eminet, hoc quoque miretur, quod,
cum sine vlla dubitatione septem
triumphos meruerit, tribus con-
2 tentus fuerit? Quis enim dubi-
tare potest, quin ex Armenia re-
cepta, & ex rege ei præposito, cu-
ius capiti insigne regium sua ma-
nu imposuerat, ordinatisque rebus
Orientis, ouans triumphare de-
buerit? &, Vindelicorum Rhæto-

rumque victor, curru Vrbem ingredi? fractis deinde post adoptionem 3
continua triennii militia Germaniæ viribus, idem illi honor & deferendus & recipiendus fuerit? & post cladem sub Varo acceptam, ocius prosperrimo rerum euentu, eadem excisa Germania, triumphum summi ducis adornare debuerit? Sed in 4
hoc viro nescias, vtrum magis mireris, quod laborum periculorumque semper excessit modum, an
CXXIII. quod honorum temperauit. Venitur ad tempus, in quo fuit plurimum metus. quippe Cæsar Augustus, cum Germanicum nepotem suum, reliqua belli patraturum misisset in Germaniam, Tiberium autem filium missurus esset in Illyricum, ad firmanda pace, quæ bello subegerat, prosequens eum, simulque interfuturus athletarum certaminis ludicro, quod eius honori sacratum à Neapolitanis est, processit in Campaniam: quamquam iam 2

motus

motus imbecillitatis inclinatæque in deterius principia valetudinis senserat; tamen obnitente vi animi, prosecutus filium, digressusque ab eo Beneuenti, ipse Nolam petiit; & ingrauescente in dies valetudine, cum sciret, quis volenti omnia post se salua remanere, accersendus foret, festinanter reuocauit filium. ille ad patrem patriæ expectato reuo-
3 lauit maturius. Tum *securum se* Augustus prædicans, circumfususq; amplexibus Tiberii sui, *commendans illi sua, atq; ipsius opera, nec quidquam de fine, si fata poscerent, recusans,* subrefectus primo conspectu alloquioque carissimi sibi spiritus, mox cum omnem curam fata vincerent, in sua resolutus initia, Pompeio Apuleioque cos. septuagesimo sexto anno, animam cælestem cælo reddi-
1 dit. Quid tunc homines timuerint, CXXIV.
quæ senatus trepidatio, quæ populi confusio, quis orbis metus, in quam arto salutis exitiique fuerimus con-

finio, neque mihi tam festinanti exprimere vacat; neque, cui vacat, potest. Id solum voce publica dixisse habeo. Cuius orbis ruinam timueramus, eum ne commotum quidem sensimus. tantaque vnius viri maiestas fuit, vt nec bonis, neque contra malos opus armis foret. Vna 2
tamen veluti luctatio ciuitatis fuit; pugnantis cum Cæsare senatus populique Romani, *vt stationi paternæ succederet*: illius, *vt potius æqualem ciuem, quam eminentem liceret agere principem.* tandem magis ratione quam honore victus est: cum quidquid tuendum non suscepisset, periturum videret. solique huic contigit, pæne diutius recusare principatum, quam, vt occuparent eum, alii armis pugnauerant. Post redditum 3
cælo patrem, & corpus eius humanis honoribus, nomen diuinis honoratum, primum principalium eius operum fuit ordinatio comitiorum; quam manu sua scriptam

D. Au-

4 D. Auguſtus reliquerat. Quo tem- cap.125.
pore mihi fratrique meo, candida-
tis Cæſaris, proxime à nobiliſſimis
ac ſacerdotibus viris, deſtinari præ-
toribus contigit: conſecutis, vt ne-
que poſt nos quemquam D. Augu-
ſtus, neq; ante nos Cæſar commen-
1 daret Tiberius. Tulit protinus & CXXV.
voti & conſilii ſui pretium reſp. ne-
que diu latuit, aut quid non impe-
trando paſſuri fuiſſemus; aut quid
impetrando profeciſſemus. quippe
exercitus qui in Germania milita-
bat, præſentiſque Germanici impe-
rio regebatur, ſimulque legiones
quæ in Illyrico erant, rabie quadam
& profunda confundendi omnia
cupiditate, *nouum ducem, nouum ſta-*
2 *tum, nouam quærebant remp.* quinet-
iam auſi ſunt minari, *daturos ſena-*
tui, daturos principi leges; *modum*
ſtipendii, finem militiæ ſibi ipſi conſti-
tuere conati ſunt. proceſſum etiam
in arma, ferrumq; ſtrictum eſt; &
pæne in vltimum gladiorum erupit

impunitas defuitq; qui contra remp.
duceret, non qui ſequerentur. Sed 3
hæc omnia veteris imperatoris ma-
turitas, *multa inhibentis, aliqua cum*
grauitate pollicentis, inter ſeueram
præcipue noſtrorum vltionem, mi-
tis aliorum caſtigatio, breui ſopiit
ac ſuſtulit. Quo quidem tempore, 4
vt pleraq; ignaue Germanicus, ita
Druſus, qui à patre in idipſum, plu-
rimo quidem igne emicans incen-
dium militaris tumultus miſſus
erat, priſca antiquaque ſeueritate
vſus, ancipitia ſibi tam re quam ex-
emplo pernicioſa, & his ipſis mili-
tum gladiis, quibus obſeſſus erat,
obſidentes coercuit: ſingulari adiu- 5
tore in eo negotio vſus, Iunio Blæſo,
viro neſcias vtiliore in caſtris, an
1,12,3. meliore in toga. qui, poſt paucos
annos proconſul in Africa, orna-
menta triumphalia, cum appellatio-
ne *Imperatoria* meruit. ac Hiſpa-
nias exercitumque virtutibus cele-
berrimaque in Illyrico militia, vt
prædi-

prædiximus, cum imperio obtine-
ret, in ſumma pace, quiete conti-
nuit; cum ei pietas rectiſſima ſen-
tiendi, & auctoritas quæ ſentiebat
obtinendi ſupereſſet. cuius curam
ac fidem Dolabella quoque, vir ſim-
plicitatis generoſiſſimæ, in maxima
parte Illyrici per omnia imitatus eſt.
1 Horum XVI annorum opera quis, CXXVI.
cum inſerta ſint oculis animiſque
omnium, in partibus eloquatur?
Sacrauit parentem ſuum Cæſar non
imperio, ſed religione: non appella-
2 uit eum, ſed fecit deum. reuocata
in forum fides, ſummota è foro ſe-
ditio, ambitio campo, diſcordia cu- 2, 89, 3.
ria, ſepultæque ac ſitu obſitæ; iuſti- & 4.
tia, æquitas, induſtria ciuitati reddi-
tæ; acceſſit magiſtratibus aucto-
ritas, ſenatui maieſtas, iudiciis graui-
tas; compreſſa theatralis ſeditio;
recte faciendi omnibus aut incuſſa
voluntas, aut impoſita neceſſitas.
honorantur recta, praua puniuntur.
3 ſuſpicit potentem humilis, non ti-

met. antecedit non contemnit hu-
miliorem potens. quando annona
moderatior? quando pax lætior?
Diffuſa in Orientis Occidentiſque
tractus, quidquid meridiano aut
ſeptentrione finitur, pax Auguſta
per omnes terrarum orbis angulos
à latrociniorum metu ſeruat immu-
nes. Fortuita non ciuium tantum- 4
modo, ſed Vrbium damna Princi-
pis munificentia vindicat. Reſtitu-
tæ vrbes Aſiæ. vindicatæ ab iniuriis
magiſtratuum prouinciæ. honor di-
gnis paratiſſimus. pœna in malos
ſera, ſed aliqua. ſuperatur æquitate
gratia, ambitio virtute. nam facere 5
recte ciues ſuos, Princeps optimus
faciendo docet; cumque ſit impe-
rio maximus, exemplo maior eſt.
CXXVII. Raro eminentes viri non magnis 1
adiutoribus ad gubernandam for-
tunam ſuam vſi ſunt; vt duo Sci-
piones duobus Læliis, quos per
omnia æquauerunt ſibi; vt D. Au-
guſtus M. Agrippa, & maxime ab

eo,

 cap.127.

eo, Statilio Tauro. quibus nouitas
familiæ haud obſtitit, quo minus ad 2,96,1.
multiplices conſulatus triumphoſ-
que, & complura eniterentur ſacer-
2 dotia. etenim magna negotia ma-
gnis adiutoribus egent. Neque in
paruo paucitas miniſteria defecit.
Intereſtque reip. quod vſu neceſſa-
rium, & dignitate eminere; vtilita-
3 temque auctoritate muniri. Sub
his exemplis Tiberius Cæſar Seia-
num Ælium, principe equeſtris
ordinis patre natum, materno ve-
ro genere clariſſimas vetereſque &
inſignes honoribus complexum fa-
milias, habentem conſulares fra-
tres, conſobrinos, auunculum,
ipſum vero laboris ac fidei capaciſ-
ſimum, ſufficiente etiam vigori ani-
mi compage corporis, ſingularem
principalium onerum adiutorem
4 in omnia habuit atque habet: vi-
rum ſeueritatis lætiſſimæ, hilarita-
tis priſcæ, actu otioſis ſimillimum,
nihil ſibi vindicantem, eoque aſſe-

quentem omnia, ſemper infra aliorum æſtimationes ſe metientem, vultu vitaque tranquillum, animo
CXXVIII. exſomnem. In huius virtutum æſti- 1
mationem iampridem iudicia ciuitatis cum iudiciis principis certant. neque nouus hic mos ſenatus populique R. eſt, putandi *quod optimum ſit eſſe nobiliſſimum.* nam & illi antiqui, ante primum bellum Punicum, abhinc annos CCC, T.
1, 13, 2. 2, Coruncanium, hominem nouum,
34, 3. 2, 51, cum aliis omnibus honoribus, tum
3. 2, 96, 1. pontificatu etiam maximo, ad principale extulere faſtigium; & eque- 2
ſtri loco natum Sp. Caruilium, & mox M. Catonem, nouum etiam, Tuſculo, Vrbis inquilinum, Mummiumque Achaicum in conſulatus, cenſuras, & triumphos prouexere. &, qui C. Marium, ignotæ ori- 3
ginis, vſque ad ſextum conſulatum ſine dubitatione Romani nominis habuere principem; &, qui M. Tullio tantum tribuere, vt pæne aſſentatione

tatione sua, quibus vellet principatus conciliaret; quique nihil Asinio Pollioni negauerunt, quod nobilissimis summo cum sudore consequendum foret; profecto hoc senserunt, *in cuiuscumque animo virtus inesset, ei plurimum esse tribuendum.*
4 Hæc naturalis exempli imitatio ad experiendum Seianum, Cæsarem; ad iuuanda vero onera principis, Seianum protulit; senatumque & pop. Rom. eo perduxit, vt quod vsu optimum intelligit, id in tutelam secu-
1 ritatis suæ libenter aduocet. Sed CXXIX.
proposita quasi vniuersa principatus Ti. Cæsaris forma, singula recenseamus. Qua ille prudentia Rhascupolim, interemtorem fratris sui filii Cotys, consortisque eiusdem imperii, euocauit? singulari in eo negotio vsus opera Flacci Pomponii, consularis viri, nati ad omnia quæ recte facienda sunt, simplicique virtute merentis semper, quam captan-
2 tis gloriam. Cum quanta grauitate, vt se-

vt ſenator & iudex, non vt princeps,
& cauſſas preſſius audit? quam ce-
leriter Libonem ingratum & noua
molientem oppreſſit? Quibus præ-
ceptis inſtructum Germanicum ſu-
um, imbutumque rudimentis mi-
litiæ ſecum actæ, domitorem rece-
pit Germaniæ? Quibus iuuentam
eius exaggerauit honoribus, reſpon-
dente cultu triumphi rerum quas
geſſerat magnitudini? Quoties po- 3
pulum congiariis honorauit, ſena-
torumque cenſum cum id ſenatu
auctore facere potuit, quam liben-
ter expleuit, vt neque luxuriam in-
uitaret, neque honeſtam pauperta-
tem pateretur dignitate deſtitui?
Quanto cum honore Germanicum
ſuum in tranſmarinas miſit prouin-
cias? Qua vi, conſiliorum ſuorum 4
miniſtro & adiutore vſus Druſo, filio
ſuo, Maroboduum inhærentem oc-
cupati regni finibus, pace maieſta-
tis eius dixerim, velut ſerpentem
abſtruſam terræ, ſalubribus conſi-
liorum

liorum suorum medicamentis coëgit egredi? quam illum & honorate, nec secure continet? Quantæ mo-
5 lis bellum, principe Galliarum ciente Sacrouiro, Floroque Iulio, mira celeritate ac virtute compressit, vt ante populus Rom. vicisse se quam bellare cognosceret; nunciosque periculi victoriæ præcederet nuncius. Magni etiam terroris bellum Africum, & quotidiano auctu maius, auspiciis consiliisque eius
1 breui sepultum est. Quanta suo CXXX.
suorumque nomine exstruxit opera? Quam pia munificentia superque humanam euecta fidem templum patri molitur? Quam magnifico animi temperamento Cn. quoque Pompeii munera absumpta igni restituit? qui, quidquid vmquam claritudine eminuit, id veluti cog-
2 natum censet tuendum. Qua liberalitate cum alias, tum proxime incenso monte Cœlio, omnis ordinis hominum iacturæ, patrimonio succurrit

cap.130. currit ſuo? Quanta cum quiete ho-
minum, rem perpetui præcipuique
timoris, ſupplementum, ſine trepi-
datione dilectus, prouidet? Si aut 3
natura patitur, aut mediocritas re-
cipit hominum, apud aures deorum
de his queri; quid hic meruit? pri-
mum, vt ſcelerata Druſus Libo ini-
ret conſilia; deinde, vt Silius & Piſo;
quorum alterius dignitatem conſti-
tuit, auxit alterius? Vt ad maiora
tranſcendam, quamquam & hæc
ille duxit maxima; quid, vt iuuenes
amitteret filios? quid, vt nepotem
ex Druſo ſuo? Dolenda adhuc retu- 4
limus: veniendum ad erubeſcenda
eſt. Quantis hoc triennium, *M. Vini-
ci*, doloribus lacerauit animum eius?
quamdiu abſtruſo, quod miſerri-
mum eſt, pectus eius flagrauit incen-
dio? quod ex nuru, quod ex nepote
dolere, indignari, erubeſcere coa-
ctus eſt. Cuius temporis ægritudi- 5
nem auxit amiſſa mater eminentiſ-
2,35,2. ſima, & per omnia deis quam ho-
mini-

minibus similior femina; cuius potentiam nemo sensit, nisi aut leuatione periculi aut accessione digni-
1 tatis. Voto finiendum volumen sit. CXXXI.
IVPPITER Capitoline & auctor ac stator Romani nominis, Gradiue Mars, perpetuorumq; custos Vestæ ignium, & quidquid numinum hanc Romani Imperii molem in amplissimum terrarum orbis fastigium extulit, vos publica voce obtestor atq; precor, custodite, seruate, protegite hunc statum. hanc pacem; eiq; functo longissima statione mortali destinate successores quam serissimos, sed eos quorum ceruices, tam fortiter sustinendo terrarum orbis imperio sufficiant, quam huius suffecisse sensimus; consiliaq; omnium ciuium aut pia * * *



DE VELLEII VITA ET SCRIPTIS, EX GERARD. IOAN. VOSSII De Historicis Lat. Lib. I. C. XXIV.

sicut in editione Velleiana auctius publicauit FILIVS.



VELLEIVS PATERCVLVS *primum tribunus militum in Thracia fuit, hinc præfectus equitum in Germania, exinde quæstor, inque quæstura, remissa sorte prouinciæ, legatus Tiberii bello Pannonico, denique primo Tiberii anno cum fratre Prætor destinatus. quæ vniuersa de se ipso narrat Velleius. Hosce honores, & quos tum maiores & consanguinei gesserint, his verbis complecti studuit Aventinus, eos referens, è quibus in primo annalium scribendo profecit*: P. Velleius Paterculus homo militaris, ex celeberrimis Campanorum Principibus prognatus, in Germania sub Tiberio præfectus equitum fuit. Tribunus ante castrorum, item quæstor & legatus in bello Pannonico. Scripsit sexto (decimo-sexto *dicere debuerat*) imperii Tiberiani anno. Item maiores eius, ataui, abaui, aui, patruus, pater, Magius Celer frater,

disciplina bellica, ac rebus ciuilibus clarissimi extitere duces: prætores, judices senatores, præfecti fabrum, tribuni castrorum, legati imperatoribus Romanis fuerunt. *Hæc Auentinus.* Hic Velleius *duos historiæ* scripsit *libros ad M. Vinicium consulem*, progenerum Tiberii Cæsaris, *Tacito* etiam memoratum *in sexto annalium*: vbi illum patre & auo, consularibus ortum dicit: item *Dioni libro extremo*, vbi eum à Messallina docet interfectum, quod caput cum ea collimare nollet. *Vinucium* aliqui appellant: sed Dioni quoque est Ὀυΐνικιος. Librorum Velleii, bona pars deperiit. Dictio eius, plane Romana, atque elegans. Quædam etiam habet, quæ haud alibi inuenias. Sed in sui æui rebus nimis domui Augustæ, & Seiano adulatur. *Iustiores commentarios promittit libro* II. Harum præteritarumque rerum ordo, cum iustius aliorum voluminibus promatur, tum vti spero, nostris explicabitur. *Ac postea*: Captum alterum, alterum deditum iustis voluminibus ordine narrabimus, vt spero. Si Beatum Rhenanum audimus, qui primus Velleium in lucem protraxit, est idem ille, quem Tacitus vocat P. Velleium. Nec alia mens, vel Iacobi Schegkii, vel Valentis Acidalii.

Eam-

Eamq; ſententiam probant codice Burerii; vbi *Publius* appelletur, non *Caius*, vt eſt in vulgatis: ſed nihil tale in *variantibus Burerii lectionibus* reperias. Eſt & tertia ſententia. Nam *Marcum* vocat Priſcianus libro VI. Ita enim habet & antiquiſſima *editio Veneta* anni cIↄccccLXXVI & recentiſſima *Heliæ Putſchii*, imo & optimæ notæ codex M.S. meus: vt omnino huic ſententiæ potius accedam. Porro & *fragmentum Velleii*, quod fruſtra in editis quæras, inueniſſe ſe ait Wolfgangus Lazius lib. I. commentariorum Reip. Rom. cap. VIII. Inſcriptio illius erat *Velleii* Excerpta Ex Gallica Historia. Fragmentum ipſum iſtiusmodi eſt. *Dum hæc circa Rhenum geruntur, in Noricorum finibus graue vulnus populus Romanus accepit. Quippe Germanorum gentes, quæ Rhætias occuparant, non longe ab Alpibus, tractu pari, patentibus campis, vbi duo rapidiſſimi amnes inter ſe confluunt, in ipſis Noricis finibus ciuitatem, non quidem muro, ſed vallo foſſaq; cinxerunt: quam appellabant Ciſara, ex nomine deæ Ciſæ, quam religioſiſſime colebant. cuius templum quoq; ex lignis barbarico ritu conſtructum, poſtquam eo colonia Romanorum deducta eſt, inuiolatum permanſit, at vetuſtate conlapſum, nomen colli ſeruauit. Hanc vrbem T. Annius Prætor ad arcendas barbarorum*

excursiones, Kal. Sextil. exercitu circumuenit. Ad meridianam oppidi partem; quæ sola à continenti erat, Prætor ipse; cum legione Martia, operosissime communiuit: ad occidentem vero, qua barbarorum aduentus erat, Auar, Bogudis Regis filius, cum equitatu omni & auxiliaribus Macedonum copiis, inter flumen & vallum, locò castris parum amplò, infelici temeritate extra flumen consedit. Pulcra indoles, non minus Romanis, quam Græcis literis instructa. Igitur LIX *die, quam eo ventum est, cum is dies deæ Cisæ celeberrimus, ludum & lasciuiam magis, quam formidinem ostentaret; immanis barbarorum multitudo ex proximis syluis repente erumpens ex improuiso, castra irrupit. Equitatum omnem, & quod miserius erat, auxilia sociorum deleuit. Auar cum in hostium potestatem regio habitu viuus venisset, pecudis more mactatur, oppidani vero non minori fortuna, sed maiori virtute, Prætorem in auxilium sociis properantem adoriuntur. Romani haud segniter resistunt. Duo principes Oppidanorum, Habbino & Caccus, in primis pugnantes cadunt. Et inclinata iam res Oppidanorum erat, ni maturassent auxilium ferre socii, in altera ripa iam victoria potiti. Deniq; coadunatis viribus castra irrumpunt. Prætorem, qui paulo altiorem tumulum frustra ceperat, Romana vi resistentem obtruncant. Legionem diuinam*

nam, vt ne nuncius supereſſet, funditus delent. Verres ſolus, tribunus militum, amne transmiſſo in proximis paludibus ſe occultans, honeſtam mortem ſubterfugit. Nec multo poſt Siciliæ Proconſul immani auaritia turpem mortem promeruit. Etiam lib. V. eiusdem operis cap. V. & aliis aliquot locis, Velleiani huius fragmenti, meminit Lazius. Sed qui naſum habet, ſatis odoratur, ſtylum eius ſapere ſcriptorem, qui ſeculis aliquot Velleio iunior ſit. Nec in re pauca ſunt quæ peccentur. Ea adferrem, niſi id cum cura feciſſet vir ſummus, Marcus Velſerus, in rerum Auguſtanarum Vindelicarum libris. Sed quod Velſerus non vidit, monere operæ pretium videtur, fragmentum hoc totum, ſed paucis inſertis, legi apud *Conradum à Lichtenav, Abbatem Vrspergenſem*: quem in Chronico vide, poſt ea, quæ de anno M C LXVI expoſuit. Lemma eius capitis eſt. *De Auguſta Vindelicorum, vel Rhætiæ.* Ætatem eiusce Conradi inde cognoſcimus, quod initio Pontificatus Innocentii tertii, hoc eſt anno cIↄcxcvIII, *laicum ſe*, atque adeo minorennem fuiſſe, dicat: anno autem cIↄ cc xv referat ſe abbatem factum Vrspergenſem: hiſtoriam vero ſuam perducat vsque ad annum cIↄ cc xxIx. Quare, aut ex Abbate Vrs-

pergensi id fragmentum fuerit; aut inde, unde ea hauserat Vrspergensis.

I. H. BOECLERI
ORATIO
Habita an. Christiano cIↄ Iↄc xxxv. cum priuatam
VELLEII PATERCVLI
interpretationem auspicaretur.



ELLEIVM PATERCVLVM politissime eloquentem virum, & breuitatis eruditissimæ Historicum, etiam eo tempore suspicatus sum, quo credere aut iudicare nondum potui, id est, cum primum legissem. Rapiebat me per scriptores, quos sæpe laudari audiebam, puerilis curiositas: ita enim potius dixerim, quam industriam, quæ in ætatem istam nondum competere poterat. factumque est, vt vno ferme tempore *Florus* & *Velleius* obtingerent. In illo timidius, & cum horrore quodam profundioris genii versabar: in hoc lætiora erant pleraque, faciliusque admissurus videbatur meam cogitationem, etiam cum non admisit. In Floro ora-

ro oratoris grauitatem panegyricam, quia capere fas non erat, vt ſunt animoſa & in longum iaciuntur puerorum vota, audebam optare: In Velleio latere videbatur omnis diligentia Hiſtorici & artes; quamquam animo ad elegantiarum nouitatem prono, ſupra hiſtoricum placebat. Hærentem ergo inter voluptatem, quam ſuauitas guſtata commouerat, & deſiderium, quod variæ opinio artis excitauerat: tranſuerſus, vt ſic dicam, turbo plane de ſtatu, quem moliebar, repulit. Fruſtra & inepte amoris ac iudicii rationes erant ſubductæ, poſtquam in ſummi Viri & Criticorum ferme principis cenſuram Velleius pridem, ego ex quo æſtimare Velleium cœperam, incidimus. Niſi quod, tacite & plus miſerabar conditionem optimi doctiſſimiq; viri, qui cum primus Velleium edidiſſet pariter & laudaſſet, induſtriæ præmium apud omnes, culpam laudationis apud præcipuum iudicem adeptus eſt. Exercuerat iam frequens eius rei cura meam diſquiſitionem, nec comparare eruditorum ſententias interim aut detrectare decebat: cum ex nec-opinato mitiorem factum, quem reuerebar, Cenſorem, notamque prioris ſeueritatis, alibi elogio plane magnifico inductam animaduerti. *Serium,*

doctum, quantumvis opus, eo magis serio, quia sero, appellabat, quod antea nulla magnopere laude dignabatur. Igitur Rhenani quidem vicem impensius lætabar, quem licet fortasse aliquando officiosæ obsequium manus, & in confragoso nitens opera amplius quam optabat evexerit: tamen cetera viri virtus, &, cuius vel inter errandum ostendebat vestigia, iudicii rectitudo, *risu, explosione, conuitiis* haud dubie superiorem alias quoque debuerat fecisse. Verum, vt Lipsiani stili aculeos, toties in tam melleis scriptis obuios inquirerem, non permisi mihi: quippe cuius profectui vtilius videbatur ac conuenientius, in ipsius rei momenta animum intendere, & quicquid in Velleio laudaretur, paulatim iudicio delibare, commentando excogitare, obseruatione penetrare, ratione complecti: adeoque ad primi affectus mei propensionisque accuratum examen inter summorum hominum approbationes legitimo quasi tramite procedere. Creuit cum ætate ac disciplina id studium: quæq; in Historicorum præcipuis commendabant eruditi, ea clanculum ad Velleium contendere, & pleraque accommodare institueram. Quamvis enim vsitatas maiorum operum conditori-

bus

bus artes, anguſtioris ſcripturæ modus excludat, neque oſtendi tam copioſa erudi-tio poſſe videatur, vbi non poteſt explicari & quodammodo expandi: vix tamen li-cuerit aliquid nominare, cuius hic non reperiantur ſpecimina, eximia propoſiti ſo-lertia, velut in compendio concinnata. Quod vt amplius intelligatur, ante cetera totius formam operis & conſilium indaga-bimus. Breuem ſane, vt prædiximus, am-bitum deſignauit Auctor: ſed quo tamen ampliſſimæ commentationis prolixitas con-cluderetur. Non vt in anguſtias, diffuſa per terrarum orbem Romana celebritas ar-ctaretur, ſcriptionem contraxit: ſed, vt ſola collectim æſtimaretur populi principis ma-gnitudo, ſcribendi neruos & momenta com-pegit. Nimirum vt alii ſplendoris Romani decus, cum pompa & paratu in oculos hu-mani orbis diſperſerunt: ita Velleius lucis ipſius vtilitates, cum cura & arte, pruden-tiſſimi cuiuſque induſtriæ accommodauit. Qua in re prorſus miror, diſſociabiles lau-des, artis quodam commento ita copulatas, vt cum rerum compoſitioni ſolum videatur vacaſſe, nihil omiſerit ornamentorum: ne-que magis compendio expoſitionum alios vicerit, quam exponendi genio inſtructuq;

æquarit. Iamprimum ipſa rerum ſeries, quam eſt accurato ordine diſtincta, quam facili tenore continuata, quam vtili opportunitate interiuncta, quam diligenti deſignata notatione temporum? Quæ vt prouide & ex vſu lectoris diſpenſet, aliquando eruit ex abdito, nonnunquam ſcrutatur ex veſtigio; alicubi anteuertit, eſt cum differt aut ſuſpendit. Neque ita *turbare temporum ſeriem aut negligere* dicendus eſt, quod nonnullis animaduerto in ſuſpicionem veniſſe. Cur diſpergeret temporibus, quæ cognitio argumenti connectit? cur miſceret deſcribendo, quæ nec deſcribi niſi ſigillatim poſſunt, neque miſceri, niſi confundere inſtituas, debent. Scilicet non tempus, ſed indoles geſtorum; non interualla actuum, ſed affinitas negotiorum; non euentuum ſupputatio, ſed cognatio principiorum, cauſſarum, momentorum, coniungunt aut ſeparant, aut miſcent hiſtoriam. quæ ſi in diuerſa tendit, cauebit ne vnum videatur finem præferre; ſin ab eiuſdem generis primordio ad eandem metam proficiſcitur, melius miſcebit narratio, quæ propoſito cohærent, neq; tam ſeorſim conferendo aliena, quam viciſſim propria ordinando, ſtabile continuumque opus perſequetur. Vtriuſque rei exemplum

plum in Nostro habemus. qui non magis carpi debet, cum in diuersis, rerum integritatem tempori anteponit, quam cum atti-nentium cohærentiumque membra temporis respectu serieque discriminat. Quod ille quidem tanta præstitit dexteritate, vt inter consummata eius artis exempla esse mereatur. Sicut & in ceteris. Inter quæ non minimæ rem curæ semper arbitratus sum, *constituta recte & decenter aptata historiæ principia.* Nostis, Auditores, quid in Sallustio desideret summus Criticorum Fabius. De aliis nil permittemus nobis hoc tempore, vel suspicari, vel iudicare. nisi quod omnino paucos prisci recentisque æui eo nomine mirari possumus. Equidem, qui accuratiorem ab alto notitiam moliuntur, facile superflui aut molesti apparent: sicut rursum, qui propiore ingressu opus ordiuntur, aliquando de gratia pariter & prudentia periclitantur. Verum adhuc facilius incipitur hæc tela quam pertexitur: fitque haud raro, vt à laudabili origine petita principia per anfractus aut ambages morose potius circumducantur, quam ad institutum constanter deducantur. est vbi saltus & præcipitia obserues, nec rariores lapsus. quosdam crassior per suscepta rapit spiri-

ſpiritus; nonnullis delicata mollities generoſæ aggreſſionis impedimentum adfert. Et, quandoquidem à longinquis aliquorum præſtructionibus non abhorrere talis comparatio videtur, poſt reductam ex alto nauiculam, ſæpe in ipſo portu naufragium aditur. Dicas, prorſus in irritum ardui laboris exorſa recidiſſe, quoties inuita concinnitate operi adhæſere, aut in ipſo connectendi articulo obhæſere. Noſter, ſicut nec alienum ſuo volumini principium accerſiuit, ita nec nouum affectauit: ſed, vnde plerique Romana cœperant, à gentis nobiliſſimæ conditoribus, Troianis, eorumque poſt excidium demigrationibus, ita progreſſus eſt ad inſtitutum, vt in ſimili conatu ſic tamen pleroſque præfandi nobilitate ſuperaret. Cuius conſilii rationes ſigillatim arbitrari poteſt, qui aduertit, quam & gentis ipſius admirationi & Hiſtoriæ totius vſibus propoſitoque ſingula conueniant. Vt conſtaret de admiranda fatorum prouiſione, in excitanda vrbe regnatrice, quædam tam efficacis curæ præludia, vt ſic dicam, ſparſit prudentiſſimus ſcriptor, dum tot vrbes, tot gentes, ex ipſis Troiæ cineribus, vnde caput vrbium gentiumque Roma tandem emerſurum erat, ſuſcitatas exortaſque comme-

commemorat. Iam ipſi gentium, quos ſubtexit, caſus, translationes, profectiones, exilia, vnam ſedem; vnum quærunt in Latio terminum, vbi non *regna* modo *Troiæ reſurgerent*, quod poëta ait, ſed regnorum fata, vt in domicilium & officinam, coirent olim indeq; terris diſpenſarentur. Æquum enim erat, vt qui maxima omnis fortunæ exempla erat daturus populus, è mediis fortunæ caſibus, &, ſi cum ipſis gentilibus hic loquendum eſſet, è luſibus fortunæ variis, poſt alternatas ſæpe vices, poſt mutata ſæpe diſcrimina, deniq; vt miraculum omnis æui & humanani generis ſtupor, exiſteret. Vix tempero mihi, Auditores, quin in hoc limine ſubſiſtam parumper, & libero cogitationis proſpectu in altum iſtud & tremendum Prouidentiæ æquor intuear; in quo alii per mille mortis ſpecimina ad vitam & ſalutem tendunt, alii inter ipſa fauentis cæli ventique beneficia gurgitibus hauriuntur; quidam errant, plures fluctuant, plerique aliquid timent aut patiuntur, neque pauci interim in errore patriam, in fluctu quietem, in formidine ſecuritatem inueniunt: adeoque, vt ad inſtitutum redeamus, non Troës modo ex ruinis ſuis ſpem mutuati; eiuſdem auſpicio, per varios metus, *Ilium*

in

in Italiam portant victosq; penates; ſed Romani, Troiana propago, expletis potentiæ fatis, Italiam ſuam, ad Iliacas origines & communionem ſortis reuehunt: vt vel ſic natalium ſinceritatem parentibus probent, à quibus fragilitatis exemplo non degeneraſſent. Fallor an præcipua, certe prima hæc eſt Hiſtoricæ diſciplinæ philoſophia: ex qua niſi cetera intelligantur iudiceturque, nulla ſine nube cognitio, nulla ſine vanitate vtilitas procedet. Quo illuſtrioribus notis ſignandum ſibi hunc tramitem Velleius exiſtimauit. cuius Principium, non rumorum fabularumq; varietatem, neque otioſas ſuper conſilio fabulatorum diſputationes; ſed eminentiſſima quæque ciuilis ſolertiæ meditamenta, ſic ad Romanam dignitatem accommodat, vt alii verborum honore eam exornaſſe, hic argumentorum ſplendore videatur oſtentaſſe. Quod ſi aliquis, plura quam neceſſe erat huc conducta, forte coniectare velit, eum ipſa totius operis tractatio in progreſſu ad ingreſſum reducet, atque ita docebit, præmunitionis verius neceſſariæ, quàm iucundæ præfationis id conſilium fuiſſe. De quo neque nunc dubitare audebit, qui de ſola temporum ratione & notis cogitabit. quæ cum egregium hiſtoriæ lu-

men commodent; singularis prorsus hic Velleii cura elucet. qui vt Vrbis conditæ epocham, quam dicunt, certa designatione posset constituere, à Troiæ excidio, id est, à solenni & omnibus vsitato charactere auspicandum habuit: ne in multis hæreret lector, quæ non aliunde deducuntur. Sicut & ab Olympiade. cuius primordia ignorare, est Romæ paulo post nascentis tempora ignorare. Cumque fato quodam singulari huius studii, inde ab antiquo, summa scriptorum in notandis temporibus occurrat dissensio: veluti filum quoddam Ariadnes putari debet, ætas aut exitus magnorum virorum, mutatio rerump. successio imperiorum, instauratio vrbium; quæque alia vel annis definiuntur, vel comparatione ordinantur, vel indiciis inuestigantur, vel argumentis disquiruntur. Quorum nihil omisit Velleius in exordio, donec per tam cognatas vtilesq; notas ipsa Vrbis & suæ historiæ initia non tam accedit, quam continuat. Solemus in eximiis rerum conditoribus non parui æstimare, interposita de gestis iudicia, insertas opportune sententias, ostensam grauiter disciplinam, eruta solerter arcana, caussasque & consilia euentuum non minus, quam euentus, explanata, hæc enim

vt ardua cumprimis philoſophia eſt, ita non poteſt aliunde melius peti, quam vnde hiſtoria prodit; è pectore, inquam, plus peritia quam litteris, imò ſic litteris, vt peritia fecundo, omniſque ciuilis ac militaris actus artibus inſtructo: quale nimirum ad ſcribendam hiſtoriam adferri debet. Hinc profundæ Taciti graueſque ſententiæ, hinc Salluſtii incitata ſeueritas, hinc Liuii diſertæ interpretationes; hinc ſuauiſſima Curtii & tempeſtiua diſciplina; hinc eximia monita, vt è fonte, manauerunt. hinc Velleianæ quoque prudentiæ accincta & nitida inſtitutio deriuanda eſt. cur enim eum omitteremus, qui vt apparatus, quem dixi, vbertate à ceteris vincitur, ita habilitate compendii & ſapiendi neruis, omnium artem aſſequitur aut æquat, nonnullorum etiam antecurrit? Dicta iacit, vt quædam fulgoris tela: quæ & lumen & vires ſuas in animo capacis lectoris relinquunt. aliquando geminat, interim cumulat. Atque licet ſæpe id faciat, nec defatigat legentem, nec ſatiat. namque ne tædio locus ſit, opportunitas efficit; fatigationi, dulcitudo & agilitas, ſi permittitis ita loqui, Auditores, ſententiarum obſtat. Subeſt ſecretioris prudentiæ defenſio: & quod

quod seueris operum iudicibus vel in diffusioris scriptionis corpore ipsa frequentia displicere posset, in hoc transcursu rerum non potest non placere: quia pars narrationis, dicam amplius, pars compendii est, sententiarum disciplinæq; assiduitas. Quam & tum profitetur, cum personas nihil aliud quam describit. Hujus laudis propria quædam excellentia Velleio debetur. qui, quod accurate & ad morum ingeniorumq; sapientiam accommodate viros memorabiles velut interpretatur, communione artis aliis iungitur: quod autem vna eademque opera tam signate, tam lucide per moris boni prauique notas & characteres, adhibito insuper quodam nouitatis, inuenti, elegantiæ commento, facies, vt ita loquar, vitæ morumque diuersas exprimit deformatque, eius rei exemplum non inuenisse sed fecisse credendus est. Multis obtenditur vnaquæque natura inuolucris: & in tanta moris humani varietate crebra aberrandi occasio præbetur. Dixerim; non Aristotelem philosophando, non Theophrastum notando, non describendo Historicos eam prudentiam exhausisse, non longæuorum vetustissimos viuendo eas obseruationes implesse. Hinc est, quod ingenio & sagaci-

tate doctorum quotidie plura eruuntur: in quorum scriptis inter argumenta profundioris sapientiæ pono, quidquid tale obseruo. Cumprimis autem singularis industria requiritur, vt ciuilis vitæ proprietas vbique attendatur, vt ab ethico commodata Politico seruiant; vt quæ illi originem debent, huic debeant faciem & imaginem: quod negotium rursus periculo non vacat. nam & artis profunditate opus est, & nitore ciuilis cultus. vnde videas interdum alteri studentes alterum dimittere, id est, ipso suæ scriptionis decore excidere. quæ nisi coniungat talia, auctoritas Historiæ obtineri non potest. in qua nihil humile, scholasticum, affectatum, sed nec ineruditum quid aut rude locum habet. Accedit noua ex temporum fortuna & fati publici habitu difficultas. quo perturbato, vt pleraque alia, sic hominum ingenia studiaq; obscurantur aut occultantur. vnde bonus aliquando apparet, cuius inter malos astutia est occultior: aut vitiosus suspectatur, cuius vel in latebris securitatem quærit virtus, vel in minus grato opere inuidiosa fatigatur industria, vel generositate instituti non intelligitur prudentia, vel adiutorum solitudine caussa proditur. Sed nec à priuatis morum

notis,

notis, publica æstimatio satis vbique distinguitur: cum tamen in personis ipsis, hominumque indole ac studiis, omnis publicæ rei semina reponant necesse est, qui ad fecundam ciuilis peritiæ frugem votis ac opera contendunt. Semper sunt in magna ciuitate aut imperio aliqui, quorum spiritu publica inflantur, impetu præcipitantur, ardore incenduntur, motu agitantur, vi sustinentur. hos cum Velleio notasse, & suis quibusdam lineamentis discreuisse, est ipsius status viscera inspexisse. nam cetera multitudo, pars sequuntur antecedentes, pars fluctuant circa conspicuos, rarissimus quisque sibi aut suæ reip. seorsim sapit. Licebit nobis, Auditores, in hac Velleianæ prudentiæ parte, ipsam clauem totius disciplinæ constituere, atque ex tam accurata ingeniorum descriptione, non actus modo ipsius indolem propositumque condiscere, sed ingentia illa & numquam modicis sideribus agitata Romæ fata, ex his veluti primordiis surgentia & progredientia animaduertere. Hic Paullos & Scipiones, viros in tantum laudandos, in quantum intelligi virtus potest, ipsam Romanæ potentiæ magnitudinem non illustrasse modo suis ingeniis, sed condidisse obseruabimus. Hic

Gracchorum optima, ſed inquieta ingenia, nihil immotum nihil quietum in Rep. cernemus relinquere. Hic non Druſos citius & Sulpicios à laudata indole, quam remp. à ſua pace degenerare reperiemus. Hic Pompeius & Cæſar ſui ingenii fortunæque vaſtitate laborantes, in ſocietatem morbi remp. trahent; quæ vt tantam indolem fidelius ac ex more ſequatur, premi & ipſa volet ſuæ magnitudinis onere. Hic aliquis vana & ſtolida prauitate, alius ingenioſa nequitia, miros publice ludos dabunt. Denique ad Octauii ingenium omne imperii corpus circumagetur; mouebitur & quieſcet. Verum hæc ſuis ipſa momentis conſpectiora, longe eminent. cetera per ſingulares morum variorum notationes, deſignata perite diſcrimina; etiam per comparatas inter ſe ſubtiliter naturas, in ampliorem ſapiendi circulum patent; quam ſine exemplis & extra rem præſentem dici aut intelligi poteſt. Faciliorem habent intelligentiam *egreßiones*, & hiſtoriæ quædam diuerticula. quod proprium alias maioris operis ornamentum, vtiliſſima ſuauitate mutuatus Noſter, res cognitione admirandas, temporibus inuolutas aut diſperſas, opportuniſſime collegit & ſub veram ac

genui-

genuinam æstimationem dedit. Ita enim satis fortasse non ad defensionem modo, sed ad commendationem huius industriæ dixerim. Nam qui prorsus eam Historico adimunt, semper mihi parum vel comiter vel eleganter opinari visi sunt. sicut aut delicati est aut importuni, prudentiam ac ingenium scriptoris, post vnum & si forte alterum excursum, in ordinem redigere atque ad reliqua coërcere. Quæ nequaquam ideo monemus, vt ineptos rudesque nonnullorum conatus, qui alienissimis nugarum ambagibus vtramque paginam opplent, excusatione & venia dignemur: sed vt maximorum virorum auctoritas, quæ si non inuenerat, certe fecerat rationem, citra inuidiam nec extra laudem constituatur. Velleio ipsa obseruationis & annotationis nouitas gratiam addit. Quam est enim iucundum, modo conducta in vnum ingeniorum artiumque miracula contemplari? modo indagare congregati eius, vt sic dicam, fati caussas, ambitum, terminos? modo colonias, modo prouincias, ex omni memoria & tot veterum commentariis, velut ex fuga recolligere? Quo factum est, vt nec in vulgari aut nota aut inani expositione videretur tam seria festinatio scriptoris hæsisse;

nec posterorum quisquam carpere auderet, cuius soli Velleio deberet notitiam. Ac cetera quidem, quibus maiores illi perfectæ historiæ scriptores vel ornamenti vel artis & disciplinæ caussa vsi sunt, imitatus est felicissima dexteritate, & in minore forma non minus tamen ad viuum expressit omnia. nisi quod *orationibus* inserendis sibi temperandum duxit. idque eo magis, quod nec contextus arctatæ narrationis pertingit ad occasiones habitarum vltro citroque orationum, sed factorum euentuumque apices directo transcursu stringit. Neque interim eloquentiam ostendere non potuit; quæ vndique exsplendescit. Miratur diligentissimus Rhenanus facundiæ nomine, erumpens illud è Velleiano non affectu magis, sicut ipse veniæ petendæ præfatur, quam iudicio, orationis telum, pro Cicerone in Antonium tanto vibratum impetu tamq; efficaci ictu infixum, vt cum ipso, quem vindicat, certasse videatur, si quid post infestas Philippicas, infestius iaculari in parricidam liceret. Equidem oratoris facultatem, quam in Historico requirunt eruditi, non hic tantum, sed in omni scriptura Velleiana, valde otiosus sit qui non agnoscat. Quare & verbis hic parcendum arbitror: nisi veli-

mus

mus ea commemorare, quæ nostræ commentationi propiora sunt: nitorem eruditioni, grauitatem suauitati, simplicitatem arti tam permista commode, vt nouum quodammodo dicendi genus, & proprius venustatis character inde concinnatus, simul æui eloquentissimi genium spiret, simul scriptoris ingenio, reperti tum primum decoris gratiam debeat. Videor mihi in eo reperisse specimen dictionis, quod prudentissimi oris Politicus optaret, quoties ad elegantiam & nouitatem quandam apud teretes & eruditas aures accedendum, nec à ciuili tamen dignitate discedendum est. Multi post ipsum idem cupiuere, idem tentauere: sed quantum interest, inter facultatem sapientis & conatum rhetoricantis! Quo plerumque corrumpitur eloquentiæ puritas: cui nullum maius quam ab imparis imitatoris studio periculum imminet. Namque, vt semel hoc experimentis temporum notetur, non tam quæritur solicitudine scribendi & arte, quam in ipso scriptoris ingenio nascitur diserta & victura oratio. Quare, cum nihil ex arte ignoret, qui ita scribit, sæpissime, tanquam ignoraret, scribit. Vt vel ideo frustra sint, qui seruiliter in ordinem cogunt scribentis calamum, &

modo aliquid demtum verbis aut ſententiæ, modo additum vellent. Imo quod volunt, audent aliqui: et quoniam illud potius probant, hoc ex ſuo ingenio reformant. quaſi Velleio id agendum olim fuerit, ne à cuiuſquam conſuetudine & iudicio vſpiam recederet. Longe generoſior eſt maſcula & ciuilis Hiſtorici eloquentia, quam vt vbiq; ſcholam & rhetorem metuat. cui niſi ſubducat mature manum, tam longe à robore & virili cultu, quam prope ab artificio & mollitie aberit. Suffocatur, ſi non ſpiret libere, viuida indoles: et ſi vbertatem omnem excludas, maciem induces: ſicut contractior facies, ampliando in monſtrum diducitur. Atque hactenus quidem tum laudari abunde, tum optima cum ratione defendi meruit Velleius. quamquam in vtroque ita ſimus verſati, vt parce & rudiore Minerua (quippe qui nec ipſi libertatis in ſcribendo & ſimplicitatis immemores ſimus) pleraque delibauerimus. Veniendum nunc eſt ad næuum tam pulcri corporis intolerabilem, atque tot iam doctorum probris infamatum. Cum enim illuſtres ſane & magnificæ ſint in Hiſtoria prudentiæ eloquentiæque laudes: Veritatis tamen decus intimius eſt & antiquius. Vt propterea parum ſuæ exiſti-

existimationi consuluisse videatur Velleius, dum ceteris dotibus præcellere maluit, quæ propter vnam placent, quam neglexit. Adulatur Tiberio, sub quo scripsit, sub quo domi militiæque dignitates adeptus est: adulatur Liuiæ Seianoque; sed his propter Tiberium. in cuius gratiam, immortale etiam eius temporis decus Germanicum parum honorifice, id est, parum ex fide & merito memorat. Male id factum: quis enim bonus vir dissimulet iniuriam veritati in ipso regno, vt sic dicam, suo illatam? sed bene habet, quod non amplius, quam dictum est, patet hæc deformitas: cetera incorrupta venustate præfulgent. Nimirum hoc non tam Velleii, quam humani generis vitium est. præsentia & nostra cum prudentissime pensitamus, non sine studiis partium affectuque æstimamus: aut cum recte iudicauimus, metu temporum iudicium abscondimus. Itaq; Historicum in hunc diem noui neminem, qui principis sui superstitis, ipse superstes, vitia euulgarit. nisi quod prudentium nonnemo in eo sibi cauit, ne, quod liberius litteris consignauerat, ante suprema sua publicarentur. Dicam quod res est: Nemini, qui res suæ ætatis scripsit, vsquequaque & adeo credendum est, vt odio &

amore, ſpe & metu plane immunis, id eſt, homine maior habeatur. Neque potius abſoluenda credulitas hic lectoris videtur, quam ſcriptoris infirmitas. Qui ſi errore magis quam conſilio verum corrumpit, iam veniæ locus eſt: ſin contra ſententiam animi falſa pro veris tradidit, tum vero ſicut legentium reprehenſionem merito incurrit. ita ſimplicitati rarius imponere poteſt. præſertim vbi aliorum opera rerum fides ita in lucem vindicata eſt, vt facilis veri falſiq; ſit diſcriminatio. Id quod in Velleio etiam accidit. qui non minus irritis quam vanis encomiis ornat, quos ſeueriora & plura publicæ auctoritatis monumenta grauius notauere. Vnde hæc talia etiam alias potius petenda fuerant, quam ex eo ſcriptore, cuius & opera aulæ obſtricta, & veneratio Principi debita, & affectus ac per hunc ipſa ratio iudiciumque ad Auguſtæ domus ſplendorem inclinatum, neque ſilentii neque expoſitionis planam facilemque viam habuit. Nam quod Vir doctiſſimus hic excipit, *Neminem ſilentii cauſſam reddere*: fortaſſe vix locum habet in ſcriptura Velleii. qui in hoc hiſtoriæ ambitu propoſitoque ſi omiſiſſet Tiberiana tempora, haud dubie ſuſpicionem in ſe principis & aulicorum, non ſine peri-

periculo concitaſſet. At cur operi ſuo, inquis, non poſuit anguſtiorem modum? non enim credam fore, qui increpet, cur non plane omiſerit hiſtoriæ totius conſilium? Equidem, ſi breuiarii alicuius indolem cogitamus, rurſum aut indocta aut ſuſpecta eſt partium temporumque detruncatio: nec videtur conſultum, vt propter pauca, quæ non audet retegere, ceteris quoque abſtineat Hiſtoricus, quæ viſa ſibi aut perſpecta, præ aliis accurate poteſt interpretari. Debent hæc veſtros quoque animos admonere, Auditores, & circa præſentium ſtudia temporum erudire. Nihil magis in ore, in votis, in conatis hominum eſt, quam hiſtoria noſtræ ætatis. Eam cum rerum amplitudine, conſiliorum profunditate, varietate iudiciorum difficillimam, hoc quidem reip. ſtatu, ne tentandam autument prudentes, &, ob amota iam bellorum vaſtatione non pauca ſubſidia, vix in pace, & ſubuenientibus partium commentariis ac auctoritate publica, ſine periculo proceſſuram credere poſſint: imperitiſſimus quiſque, nec minus litteris quam modeſtia vacuus animo agitat, & mox certatim attaminabit. cuius vanitatis præludia iam & ſpecimina habemus. Verum his nos extra conſiderationem noſtram

ſtram reiectis, de idoneo tanti operis condi-
tore videbimus. qui facilius optari quam re-
periri poterit. Etenim ex iis qui rerum actu
ſplendeſcunt, quotusquiſque ſatis eruditio-
nis ad hoc inſtitutum adferet? Ignoſcent
ſpero viri ſummi (quorum artes non minus
alias & æſtimare & venerari ſoleo, quam
eorum quiſquam; qui ex propinquo qui-
dem, ſed fortunam plerumq; non animum
res illuſtres gerentium intuentur aut intel-
ligunt) ſi tot artium, quibus ad poſteros va-
lere conſueuit Hiſtoria, cultum copiamque,
vitæ tam occupatæ rarius exiſtimem conue-
nire. Non dico, nullum ex hoc genere eſſe
talem: ſed an, qui talis eſt, ſuſcepturus ſit in
ſe id onus; an partim potius quam vniuer-
ſim ſuſcepturus ſit; an, cum ſuſceperit, ſuf-
ficientibus partium inſtrumentis vſurus ſit;
hæc & talia non minimam habent dubita-
tionem. Superſunt ergo eruditi: qui in ſtu-
diis vitam, non quibuſuis ſane ſed talibus
potiſſimum, agitant. Inter eos, ſi hoc æuum
ſpectes (nam quid poſtea futurum ſit, nil
attinet diuinare) non deſunt forte, qui ea,
qua hic opus eſt, beneuolentia adiuti, indu-
ſtrie vſurparent id muneris. niſi quod æui
genio & ciuilis vitæ faſtu quam ſolicitiſſi-
me ab eiuſmodi opera remouentur. Quo fit,

vt alii

vt alii omnibus rebus impares, ſed Politicis nominibus tumentes, præferantur inſtru-ctiſſimis viris. quorum ſolida & ex puris fontibus hauſta prudentia, à conuitio & probris tam hodie abeſt prope, quam olim ab honore & præmio. Id quod non tam ipſo-rum quam poſteritatis intereſſe ſciri debe-bat. Dicamus interim: non deeſſe viros ani-mo, ſtudiis, ſtilo noſtris temporibus dicen-dis pares; num exiſtimamus, tam inuictæ ve-ritatis vllius manum fore, vt æq; ſecus geſta ſummorum principum, quam præclare fa-ctitata; æq; arcana aularum, quam ſpecioſa interpretamenta, plane pleneque deformet? nam hoc Velleii cauſſa, cœpimus quærere. Non fiet iſtud, ò mei, non fiet. Etiam cum non ſupererunt, quorum auſpiciis conſili-iſq; omnia geſta ſunt, poſteritas eorum time-bitur. Atque vt cedat timor, vt deſint adula-tionis ſtudiiq; & odii nomina: ipſa ſæculi indoles non capiet hanc ſimplicitatem. Au-licarum aurium animorumque quotidie delicatius fit iudicium: atque dum hone-ſtiſſimis titulis & graui ſupercilio maieſta-tem imperiorum in ſublimius & maius in-terpretantur, qui ex officii decoro id facere poſſunt, prudentiſſimus quiſque, cum ra-tione mauult obſequi ad maiorem ſceptro-

rum

rum reuerentiam vocantibus, quam cum periculo modestiæ nouum quidem sed plausibilem morem detrectare. Ita crimen paulatim habere incipit, quod aliquando in in laude ponebatur: atque vt olim aduersus veritatis, qua posteritas & totus orbis erudiri debebat, priuilegium, nulla maiestatis exceptio valebat, sic, postquam maiestatem in multis ipsa reuereri veritas didicit, nemo scribentium, publicarum & aulicarum offensionum tam erit auidus, vt quæ inter noua regnorum secreta hodie asseruari nouit, eliminare in publicum contendat: cum præsertim pro inepto & imprudente spernatur, qui à ciuilium, vt volunt videri, magistrorum, & virorum eminenti auctoritate publicas res tractantium sapientia discedit. Ita paucis, si modo cuiquam, aduersus sæculum mens constabit. Neque enim Poëtarum tantum & Rhetorum ludus, aut sub tyrannis metus est, vt Nerones & Domitianos, mera monstra insolentis potentatus & prodigia, bonorum principum laudibus honestent; sed mollitie temporum & imbellia animorum, à virtute & veritate sub ipsa virtutis opinione deficitur: succedunt noui mores, noua sapientia, noua eloquentia. cui nec simulationis iam & negli-

negligentiæ ſupereſt occaſio: cum in partem officii publici recepta eſt, quæ olim adulatio dicebatur. Eum ſane nec laude amplius arbitror nec venia dignum Hiſtoricum, qui ſub ſpecioſæ commendationis velo, rerum turpium deteſtationem aſtute abſcondere inſtituat. quale commentum in Poëta Lucano, ingenioſius ſuſpicari quam grauius perſuadere, ſummo Viro libuit. Faciendum ergo non minus in noſtris, Auditores, erit, quod ſæpius memini monuiſſe, in antiquis tenendum eſſe. ipſe ſcriptorum diſſenſus & à vero diſceſſus, ad verum nos deducet: et vt Cæſaris geſta ex vero æſtimemus, præter Cæſarem, Diones, Tranquilli, ceteriq; liberioris ſtili homines conſulendi erunt. in quibus ipſis tamen ſupra aut intra veri fidem aliqua obſeruabis, vt ſic ad genuinam veritatis faciem ipſa comparatione diuerſitatis peruenias. Nimirum qui adipiſcendæ cauſſa prudentiæ memorias rerum & annales tractat, non contentus erit vnius partis tradita cognouiſſe: ſed aduerſæ etiam aut diuerſæ partis commentariis ad ipſa coniectationis & iudicii ciuilis fundamenta conſtituenda indigebit. Sed hec commentatio longius nos incepto abduxerit. Igitur ad Velleium redimus; qui eam

operis

operis ſui, de qua diſſeruimus; labem multis magniſque redimit virtutibus. Quarum adhuc illuſtrior erat futura admiratio, ſi totus ad nos perueniſſet. Quam ille nobis ingenia Regum arteſque luculente notaret! quam accurate momenta inſtitutæ libertatis, & ſemina certaminum publicorum, ſuis quæque locis diſponeret! quam animoſe feſtinantem ad victorias externas populum ſequeretur, quam prouide victorem admoneret! quantum in ipſo felicitatis curſu latere periculi animaduerteret! Quam vbique fortunam ſuæ ciuitatis & indolem in numerato haberet; eaſque veluti per gradus vigoris & potentiæ ad fatalem exciſæ Carthaginis terminum deduceret! ſicut ab hoc momento relabentes in iis, quæ habemus, per ſingulos lapſus, celeriter quidem ſed notanter præcipitat: & quæ non ſentientibus Romanis clanculum obrepſerant, aut veloci frequentia perculſos cæcauerant, in apertam ordinatamque vindicat notitiam. cuius rei cauſſa ſubſiſtit aliquando & obſeruationis ciuilis epocham, vt ſic loquar, vnde in poſterum proceſſura ſit fati publici diſciplina, ſtatuit. Ita Gracchanum tumultum cædemque grauiſſima nota ſignat: *Hoc initium*, inquit, *in vrbe Roma ciuilis ſanguinis, gladio-*

gladiorumque impunitatis fuit. initium ideo, quia exemplum. quod non oſtendit modo flagitia, ſed auſpicatur. Ab hoc initio maxima quæque & continua mala pendebunt: ab hoc initio ad calamitatum extrema fiet progreſſus: ab hoc initio ad finem ſtatus ac ſecuritatis publicæ proficietur. Eo celerius, quia impune. nam vt malorum, ita *impunitatis* hoc initium eſt: qua non ad turpitudinem morum, ad petulantiam, ad luxum, contumaciam conniuetur per indulgentiam; ſed qua ſuperuecta ſuppliciorum auctoritati ſcelerum atrocitas, emendari per imbelliam non poteſt. *Gladiorum ciuili ſanguine* rubentium impunitas eſt: quam temporis neceſſitas commendauit primo, mox depulſa neceſſitate ciuitas retinuit, ſiue expellere non potuit. Ex hoc ſanguine natæ ſunt quædam ciuiles Furiæ. quæ nihil ſanum deinceps, nihil intactum reliquere. Abominamini fors tam diram imaginem: verum vt comparationem molliam, in argumento nihil occurret modicum. Eſt morborum quoddam genus, quos acutos vocant medicorum filii. hi ſtatim nobiliſſimas quaſque corporis partes ipſamque vitæ ac vigoris ſedem inuadunt: iecur incendunt,

cerebrum onerant, cor debilitant. atque hæc omnia celerrime, & tamquam ad mortem festinandam, videmus fieri. Prorsus tale aliquid Roma ab hoc initio, de quo diximus, experitur: dum *ius vi obruitur*. ipse spiritus vitalis, quo salus publica viuit vigetque, ipsa virium & roboris origo haud dubie in iure & legibus intelligitur. iuris beneficio est resp. iure ordinatur, iure regitur, iure stabilitur, iure conseruatur, iure continetur. Quamdiu iuri sua auctoritas, tantisper ciuitati sua constat sanitas. Igitur quantum à iure disceditur, tantum à rep. degeneratur. quæ amittit se ipsam, cum ius amisit. Ab hoc nisi vis omnis diligentissime arceatur & validissime, mora nulla est, quin vna oppressione confestim obruatur. Ex eo tempore nihil ordinatum, nihil moderatum, nihil honestum supererit. quos merita virtutis contulerant honores; dignitates, quos iudicia consensusq; bonorum tribuerant; Magistratus, quos suffragia ciuium demandarant, vis in posterum dabit, *priorq;* ceteris *habebitur* ac ad principale in rep. fastigium ascendet, qui opibus, factione, audacia *potentior* erit. Nemo ius dicenti auscultabit: nemo feret monentem. neq; minus consilium sapientis, quam legum

gum auctoritas, repudiabitur. Itaque ergo *discordiæ ciuium, antea condicionibus sanari solitæ, ferro diiudicabuntur.* id est, bellis omnia ardebunt pariter & miscebuntur. Quid enim inter violentos vnquam concors? quid inter eos moderate discors? condiciones rationis & iuris filiæ sunt: sicut ferrum ab omni æuo ministerium violentiæ infamauit. illis obducuntur vulnera, hoc rescinduntur: illis sopiuntur lites, hoc exasperantur. sed præplacebit tamen ferrum bellumque, postquam semel ius displicuit. Sufficiet imo ipsum belli nomen, vt pax & quies spernantur. neque quisquam, cuius caussam sequatur, sed cuius vim & prædam, cogitabit: sicut nec suscipiendi belli caussæ expectabuntur, sed spes & cupiditas arripientur. hæc sunt Velleii nostri, *bella non caussis inita, sed prout eorum merces fuit.* Quibus verbis ipsam morbi ad perdendam remp. properantis vim & impetum, expletis iam augmentis toto nocendi instrumento vehementem demonstrat. vna scilicet interpretatione centum circiter annorum fata complexus: quibus in mutationem sui demersa resp. vix tandem in nouam faciem emersit. Sed quid vni exem-

plo huius curæ prudentiæque immoror, quaſi non ſatius eſſet in ipſo Auctore communi obſeruationis & commentationis ſtudio, omnia complecti? Huc enim potius nos vocat instituti ratio & induſtriæ noſtræ: quam, omiſſis ſiue dilatis laudibus Velleianis ceteris in rem præſentem ſtrenue transferemus, Auditores. DIXI.

I. H. B.

NOTÆ

IN VELLEIVM.



Lib. I cap. 1. v. 1. *Tempeſtate diſtr.*) Loqui Velleium de Metabo ſiue Metaponto, nec *Lipſius*, qui primo de Epeo coniecerat, negauit. Hic enim Metaponti vrbis conditor *Stephano* & *Seruio* memoratur. τὸν γὰρ Μετάποντον οἱ βάρβαροι μέταβον ἔλεγον. Quæ verba Stephani, articulo poſtulante, ita interpretantur, vt *Metabus à barbaris dictus* intelligatur, *qui vero nomine eſſet Metapontus*. Quapropter etiam à *Cl. Salmaſio in Plin. exercit. p.* 65. refutatur ea aſſertio: cum aliunde conſtet, *verum nomen Metabi in Metaponti appellationem à barbaris demutatum eſſe*. Fuerit itaque fortaſſe apud Steph. translocatio vel nominum vel articuli librariis tribuenda. de quo tamen nihil pronuntio. *Strabo l.* 6. ad Pylios, qui cum Neſtore ab Ilio nauigarunt, vniuerſim, Metaponti

ponti originem refert: vt & *Solin: polyhiſtor. cap.* 2.

Teucer non receptus) Quæ hic facta memorat Velleius, futura coniicit Teucer apud *Sophocl. in Aiace*, cum Telamonis iram aduerſus venientem ſine fratre, ſibi figurat. Inter alia veluti παράφρασιν Velleianorum verborum habent illa:

— ποῖον οὐκ ἐρεῖ κακόν;
τὸν ἐκ δορὸς γεγῶτα πολεμίου νόθον,
τὸν δειλίᾳ προδόντα καὶ κακανδρίᾳ
σὲ φίλτατ᾽ Αἴας, ἢ δόλοισιν, ὡς τὰ σὰ
κράτη θανόντος, καὶ δόμους νέμοιμι σούς.
τοιαῦτ᾽ ἀνὴρ δύσοργος ἐν γήρᾳ βαρὺς
ἐρεῖ, πρὸς οὐδὲν εἰς ἔριν θυμούμενος.
τέλος δ᾽ ἀπωστὸς γῆς ἀπορριφθήσομαι.
&c.

vide de hiſtoria amplius, præſertim *Seruium ad* II *Virg. Æn. Iuſtin.* 4, 2, 3. *Dict. Cretenſ. l.* 6. *Interpretes Horatii ad od.* 7 *l.* 1.

Cauſſæ Seueritatis eius: quia non tantum pietati erga neceſſitudines & memoriæ propinquorum deberi vltionem inimicorum credebant gentiles, ſed in virtutis parte vniuerſim ponebant vltionis exactionem vid. *Ariſtot.* 4 *Nicomach.* 5 *& Grot. annot. ad lib.* 2 *de Ver. Chr. relig. p.* 251. ſicut ex diuerſo, omiſſa vltio impium animum & turpi ac proditrice ignauia degenerem arguebat. Quæ dedecora apud Sophoclem Electra ſorori obiicit, cum ea nollet vindicandæ necis paternæ ſociam ſe præbere. Accedunt ſuſpiciones de quibus adducti antea verſus: & quod ſibi quoque ab eo metuebat haud dubie Telamo, qui neceſſitudinem fratris, imperium & mandata patris ſemel auſus eſſet violare.

Pyrrhus Epir. occ.) *Iuſtin.* 17, 3. *Plutarch. Pyrrho pr.*

Ephyram in Theſprot.) differentiæ cauſſa

addit *in Thesp.* cum plura hoc nomine loca legantur. de quibus *Stephan.* in Ἔφυρα, quæ & ἐφύρη. Adde infra 1, 3, 3.

Phidippus) quidni in textum reciperemus hunc pro *Philippo?* cui nullum hic locum esse, doctis pridem animaduersum est.

1, 1, 2. *rex regum Ag.*) vid. Indicem

duas a patria nomine) *Mycena* ab Agam. patria; *Pergamum* à Troia: Sed quid *Tegea*, quam Talthybius præco Agamemnonis dicitur condidisse. Ita quærenti *Aldo* respondet *Schegkius*, auspiciis Agamemnonis conditam à Talthybio. Itaque non immerito Agamemnonem fecerit auctorem Noster.

Scelere patruelis &c.) *Æschylus* & *Seneca* in Agamemnone sua. *Pausan.* in Corinth. *Liban.* declam. 5.

1, 1, 3. *hunc orestes m.*) *Æschylus* in Choëphoris; *Sophocles* & *Euripides* in Electra videndi.

factum eius à diis comprob.) *Rectumne fuerit ab Oreste matrem occidi, cum illa Orestis patrem occidisset*; inter vsitatas priscorum Rhetorum exercitationes disquisitum est. Meminit *Auctor lib. ad Herenn.* 1, 16, & *Cic.* 1 de inuent. 14, vbi colorem Orestis firmamenti loco vsurpandum, hunc adfert: *eiusmodi animum matris suæ fuisse in patrem suum, in seipsum ac sorores, in regnum, in famam generis & familiæ, vt ab ea pœnas liberi sui potissimum petere debuerint*. *Libanius* declamat. 5. tota Orestis apologiam conscripsit. *Velleius* omissis aliis argumentis, ab euentu & subsecuta felicitate iudicat. Ita *Lucanus* de Cæsaris victoria & Pompeii interitu:

Victrix caussa diis placuit, sed victa Catoni.

quod ante eum *Cicero pro Ligario c.* 6 dixerat: *caussa ab initio dubia, quod erat aliquid in vtraque parte quod probari posset: nunc melior certe ea*

te ea iudicanda est, quam etiam dii adiuuerunt. Licet hic videri possit τῇ ὑποθέσει δουλεύειν. Est autem argumentum valde infirmum, sicut ipsorummet gentilium (nam à Christianis prorsus abesse debet iste error) testimoniis probari potest. Igitur longe verior est in hoc genere *Iustini*, quam Velleii, sententia 16,1,4: *in parricidio, nulla satis iusta caussa ad sceleris patrocinia praetexi potest.* neque scelus scelere vlciscendum est. quidquid discernant hic potentum domos à priuatis familiis, quibus mos est, adulandi caussa iusti iniustique discrimina confundere & subuertere. Quid quod Poëtæ, furias Orestis non ob aliud confinxère, quam vt immissam diuinitus parricidæ pœnam eo phantasmate signarent, atque sic docerent, numquam impune talia perpetrari? *Cic. orat. pro Sex. Rosc.* 24.

regnauit LXX) *Valde dissentit* (inquit Lipsius) *Eusebianum Chronicon: Mycenis post mortem Ægisthi Orestes regnauit annis* XV. *credo fuisse* LXV. Quæ postrema viri diligentissimi verba non ad Euseb. refero (nil enim caussæ apparet, cur ita opinaretur) sed ad Velleium. in cuius codicibus si forte fuerit LXV (pro LXX sc. quod nunc habetur) existimari potest, quinquagenarii notam à librario potius, quam ab auctore additam. Non dubito, tale quid in animo habuisse Lipsium: cui breuitas sua fraudi esse interim non debet.

Nam quod pacta eius) *Euripides* in Andromacha. *Iustin.* 17,3,7. et quos ibi annotauit ac conciliauit felicis memoriæ Vir, *Matthias Berneggerus*, præceptor noster desideratissimus.

1,1,4. *Et loco & incolis & mari nom. d.*) locum siue regionem, *Tyrrheniam*; incolas, *Tyrrhenos*; mare, *Tyrrhenum* intelligit. Historiam habes apud *Tacit.* 4 A. 55. *Strabon. lib.* 5, ubi *Atys rex fame & sterilitate coactus, altero è duobus filiis*

Lydo ſorte detento, alterum Tyrrhenum cum maiore populi parte amandaſſe, memoratur, &c. addenda quæ *Caſaubonus* ex *Feſto Seruioq;* ad eum locum notauit. Plenius illam famem & demigrationem narrauit *Herodotus lib.* 1. Diodorus lib. 5 maris appellationem inde petit: *cum Tyrrheni plurimum claſſe pollerent, & imperium mari obtinerent, factum eſſe, ut ſubiectum Italiæ mare, de ipſorum nomine*, Tyrrhenum *diceretur*. Alias opiniones ſuggerit *Seruius* ad verſ. Æn. 1. *Gens inimica mihi* Tyrrhenum *nauigat* æquor. *Appiano* Τυῤῥηνικοὶ Λυδῶν ἄποικοι in *Punic.* dicuntur. *Iuſtinus, Tuſcorum populos à Lydia venisse* ſcribit 20, 1, 7. Atque ita quidem communiter de Tyrrhenorum origine traditur. *Dionyſio* tamen *potius indigenæ, quam aduenæ* videntur *lib.* 1. cuius argumenta (à *diuerſitate linguæ, religionum, legum, ſtudiorum* præcipue petita) *minime vana* exiſtimat *Lipſius* ad *Senec. Conſol. Helu.* 6.

Penthilus & Tiſamenus regnauere triennio) Penthilum Oreſtæ ſucceſſiſſe *Strabo in Geographicis*, auctor eſt lib. 13. de Tiſameno *Pauſanias in Corinth*: Ὀρέςου δὲ ἀποθανόντος, ἔσχε Τισαμενὸς τὴν ἀρχὴν ἑρμιόνης τῆς μενελάου καὶ Ὀρέςου παῖς. Quidam Tiſamenum primo loco, ſicut alii Penthilum ponunt; & in annotatione annorum maxima occurrit diſcrepantia. Velleiana quidem computatio, in ſe ſpectata ſatis congruit. nam ſi Ægiſtho VII, Oreſti LXX, Penthilo & Tiſameno III annos tribuimus, efficietur octogenarium iſtud interuallum à Troiæ excidio uſque ad Heraclidarum reditum. Verum ſi hanc ſententiam cum aliis conferamus (puta cum *Africano, Euſebio* &c.) deprehendemus, tam certum eſſe, Oreſtis liberos diutius quam triennio imperaſſe, (quippe cum Penthilo XXII anni, nec pauciores Tiſameno aſſignentur) quam incertum,

imo

imo falsum est, Oresten LXX annis imperium tenuisse. Igitur illud Velleii *triennium*, valde mihi semper suspectum fuit: existimabamq; aliquando, Auctorem scripsisse, *Mycenis*; aut locum plane corruptum mutilumue esse. At obstabat huic opinationi congruentia totius interualli, de qua antea dictum. nisi quod rursum infirmabatur hæc cogitatio, postquam de LXX Orestis annis (an Velleius sc. ita scripserit) merito dubitari cœptum est. Coniiciant hic amplius, qui otio & ingenio abundant.

1, 2, 1. *Tum fere octog.* &c.) Magnus *Scaliger in animaduersionibus Eusebianis* quatuor nobilia interualla, inter cladem Ilii, & primam Olympiadem notat, quibus tanquam metis designant tempus illud veteres Chronologi, Herodotus, & alii. primum est ἡρακλειδῶν κάθοδος à Troi capt. LXXX an. (num. Euseb. DCCCCXV) 2 οἰκισμὸς Λέσβου καὶ τὰ πόλεις post clad. Ilii CXX (n. Euseb. DCCCCLV 3 Ἰωνικὴ ἀποικία, καὶ κτίσις Κύμης Φρικωνίδος, post Troi. CXL (n. Euseb. DCCCCLXXV) 4 κτίσις Κύμης ὑπὸ Σμυρναίων CLVIII post Troi. (n. Euseb.) DCCCCXCIII. De primo hic agendnm; id est de *reditu Heraclidarum*. prorsus celebris est hic character, primum quodammodo initium historiæ veræ. Sed in diuersa tempora coniicitur ab Historicis: forte, quia conatus irriti τῆς καθόδου, id nomen à nonnullis tulerunt: sicut bene coniicit *Scaliger in Euseb.* Nam Heraclidæ, mortuo Eurystheo, à quo Peloponneso pulsi fuerunt, cum primo reditum conantes, cæde Hylli ausis excidissent; posteaque rursum frustra eum conatum resumsissent, tertia demum vice, Tisameno in Peloponneso imperante, destinata perfecerunt. De primo conatu & interitu Hylli vid. *Diodor. lib.* 4 & Tegeatarum orationem ap. *Herodot. lib.* 9. *Pausan. Arcad.* In tempore vltimi & veri reditus designando, consentiunt *Velleio* non *Tatianus* mo-

do, & *Plutarchus*, de quibus *Lipsius* monuit, sed *Thucydides* etiam ἐν τηλαυγεῖ προσώπῳ seuerissimi operis. Accedit approbatio recentiorum. *Scaliger* in *animadu. Euseb.* *certum est*, inquit, *octoginta post Ilii excidium annis Heraclidas patriæ restitutos imperium Peloponnesi obtinuisse.* Hunc *Caluisius*, & Chronologorum accuratissimus quisq; sequuntur. *Strabo l.13. pag.582*, LX tantum annos numerat. Quo loco tamen, si *sexaginta annos* ad *Penthili in Thraciam progressum siue expeditionem* referas, & quod sequitur, ὑπ' αὐτὴν τὴν τῶν ἡρακλειδῶν εἰς πελοπόννησον κάθοδον, non præcise, sed ἐν πλάτει sumas, sicut fieri apud Chronologos interdum videmus, facile conciliabitur cum Nostro & veritate. Quod si hoc durius videbitur, non possumus Straboni, contra eos, quos prædiximus, & *Pausaniam* qui Tisameni imperio non Penthili tribuit hunc reditum, auscultare. Dicat hic aliquis: *Pausaniam in Messen.* dicere τὴν κάθοδον ἡρακλειδῶν γενομένην δύο γενεαῖς ὕστερον, *duabus post confectum bellum Troicum ætatibus accidisse reditum Heraclidarum.* Iam si γενεὰ, secundum *Muretum Var. Lect.* 10,8, & *alios*, *triginta annorum* statuenda est, prodibunt non LXXX ceterorum, sed LX Strabonis anni. Verum quemadmodum certissimum est eos errasse, qui ap. *Homerum* Nestoris γενεὰς (de quibus *Muretus*) pro singulis sæculis, siue centenariis accepere: ita prorsus periculosum est vel *præcise*, vel *vbiq;* de 30 annis pronuntiare. Sane nec Latini *sæculum* & *ætatem* hoc significatu, quo γενεὰ Græcorum plerumque accipienda venit, certo annorum numero ἀπολύτως definiuere. Quinimo variare isthæc talia pro captu ac conditione temporum videmus. Sic respectu μακροβιότητος primæuorum hominum productiores ætates numerat sacer codex: quasi in angustiore posterorum æuo, vsus loquendi εὐλόγως con-

contraxit. Itaque, ut ad rem reuertamur, tam procliue nobis fuerit, de *quadraginta* & circiter, annis γενεὰν accipere, quam aliis de *triginta* existimare libuit. Certe ap. *Matthaeum Euang.* 24, 34 & *Luc.* 21, 32 γενεὰ 40 circiter annis metienda erit, si *Erasmi*, *Bezæ*, aliorumque expositionem, simplicissimam sc. & scopo textus accommodatissimam (v. *Harmon. Euangel. Gerhardi* τοῦ θαυμασίου *cap.* 161) sequamur.

centesimo & vig. q. Herc. a.d.e.) *Ioseph. Scaliger* ad num. DCCCXXV *Chron. Euseb.* notat: τὴν ἡρακλέως ἀποθέωσιν (*de qua vid. Diodor.* 4.) *Velleius Paterculus* ait contigisse annis CXX ante Heraclidarum reditum, hoc est, XL annis ante Ilii euersionem, numero DCCXCV. Quod falsum conuincit numerus DCCCXV, quo agon olympiacus ab Hercule est instauratus. Hactenus ille. Diligentiores ergo Chronologi XCV circiter annis ante Heraclid. reditum, Herculis obitum ponunt.

duces rec. i. f. Temenus Cresphontes Aristod.) Temeno Argi cessere; Cresphonti, per sortem, Messene (*Pausan. Messen.*) Aristodemus ipse iam è medio sublatus erat: igitur filii eius gemini, Procles & Eurysthenes Sparta potiuntur. à quibus οἰκίαι δύο βασίλειαι, familiæ duæ regiæ Spartanorum ortæ sunt. *Pausan Lacon.* Nisi quod *Velleio* in Aristodemi persona patrocinatur *Herodotus*: id quod *Lipsio* notatum.

quorum atauus) de Hercule sermo est, qui horum trium abauus fuit, si proprie loquendum sit, pro quo *Velleius atauum* dixit: & *Lipsius* in enumeratione stemmatis retinuit. quem vel illud à suspicione erroris vindicare debet, quod in serie stemmatis nihil prorsus mutauit. Qui enim cuiquam moderate cogitanti verisimile videatur, eum cum non altius quam ab abauo ad abnepotes sc-

niem

riem repeteret, verum cognationis nomen ignoraſſe, aut ab abauo atauum non potuiſſe diſtinguere? nimirum permutari interdum hæc nomina ſciebat: & hic exemplum in manibus erat.

1, 2, 2. *Codrus, &c.*) Hiſtoriam Codri ſcripſere *Iuſtin.* 2, 6, 16 & ſeq. quique ibi *Bongarſiana* & *Berneggeriana* induſtria annotati ſunt Auctores; quos nihil attinet huc tranſcribere. Addimus autem *Lycurgum*, qui *in orat. aduerſ. Leocratem* diligenter & fuſius ceteris rem commemorat. Illud quoque monemus, inter allegatos *Seruium* ad *eclog.* 5 & *Auguſtinum* d. C. D. 18, 19, hunc Athenienſem Codrum regem, cum Virgiliano paſtore confundere, id quod non ſemel Scaligero notatum.

imprudenter, rix. ciens, interemt.) Nil opus erat *Acidaliano* verborum traiectu. Quin potius rem ipſam attendimus, quæ vltro ſuppeditat *Lipſianam* interpunctionem. *de induſtria immixtus eſt hoſtium caſtris & rixam mouit* (quantum ad προαίρεσιν Codri) *imprudenter* autem *interemptus eſt* (quantum ad ignorationem hoſtium pertinet) ſed hæc clariora ſunt, quam ut moneri debeant.

1, 2, 3. *Quis eum non miretur*) Rhetorum is campus eſt, in rebus fortiter & præclare geſtis, certare ſententiis, inuentionibus, ornatu. *Cic.* 1. *offic.* 18. Mutuantur ex eo inſtituto aliquid Hiſtorici, quoties magna exempla ad inſigniorem famam prodenda ſunt. Tyronum in gratiam, & ſemel, id monemus, vt hanc Velleianam ἐπιχείρησιν cum ceterorum ſententiis, qui eandem hiſtoriam tractauere vel attigere, contendere diſcant.

1, 2, 4. *Huius fil. Medon. pr. Archon A. f.*) Vltimum regem fuiſſe Codrum conſenſu traditur: ſed apud *Iuſtinum* 2, 7, 2 ſaltus committitur, vbi ſtatim *annui magiſtratus*, omiſſis XIII perpetuis, & VII decennalibus Archontibus, reges ſequuntur. qua de

re

re etiam *Bongarsius*. Excidiſſe hanc narrationem, aut à mutilatore omiſſam eſſe, exiſtimat *Io. Meursius in Archontibus Athen. lib.* 1. *c.* 1. apud quem vide, quæ ad h. l. Velleiani explicationem faciunt.

Vsq; ad Charopem) Tredecim fuere, quorum ſeriem & nomina *Euſebius* refert, & *Meurſius* loco iam laudato. continuatur autem hæc narratio infra c. 8, 3.

1, 2, 5. *digredientes finib. Atticis Meg.*) victi ſc. prælio & à Codro profligati ex Attica. *Strab.* 9. p. 393.

mediam Corinth. Athen.) *Stephanus de Vrb.* Μέγαρα, πόλις περὶ τὸν ἰσθμόν, μέση πελοποννήσου καὶ Ἀττικῆς, καὶ Βοιωτίας.

1, 2, 6. *inſulam circumfuſ. Oc. Gades condidit*) *Lipſius*, cum videret non inſulas ſed in inſulis oppida ab hominibus condi, correxit hunc locum, & de quarto in vltimum caſum mutauit, quæ hic de inſula dicuntur. Atque id εὐστόχως à *Lipſio* factum, exiſtimauit *Pet. Faber Semeſtr.* 3 *c.* 4. p. 26. *in marg.* Sed tuetur librorum conſenſum & auctoritatem *Cl. Salmaſius* ad *Tertullian Pall.* c. 2 p. 121. ea ratione: quod hic *condere*, ſit *Vrbibus inædificare*. vt Græcorum κτίζειν, *Vrbibus inſtruere*. Itaque & *inſulam, Gades* dictam, & *condere inſulam*, eſſe *Vrbibus inſtruere*. Ceterum, quæ de *Gadium* origine memorantur, vide omnino apud *Strabonem l.* 3. *non procul à fine. Plin.* 4, 22 & 5, 19. *Diodor. l.* 5.

1, 3, 1. *Achai ex Lacon.*) *Strab. l.* 8. ἐν τοῖς Ἀχαϊκοῖς. *Polyb.* 2, *p.* 128. *Pauſan. Achaic. pr.*

Pelaſgi Athenas commigr.) *Lipſius* miratus *Dionyſium lib.* 1. dum caſus & ſedes Pelasgorum exequitur, nullam Atticæ mentionem facere. Atqui continebatur id iam in verbis *Thucydidis*, quæ ex *lib.* 4 *Dionyſius* adducit: vbi *Pelaſgi Lemnum olim & Athenas incoluiſſe* dicuntur. De vtraque ſede

etiam

etiam *Strabo lib. 5 p. 221.* Fuerunt autem Pelasgi vaga & migrationibus dedita gens, πολύπλανον καὶ ταχὺ τὸ ἔθνος πρὸς ἐπαναστάσεις, teste *eodem lib.* 13. p. 621. vnde a *Dionysio* πλανῆται vocantur *lib.* 2 *pr.* Porro quæ Athenas commigrandi plerisque caussa fuerit *Thucyd.* annotauit lib. 1. ἐκ γὰρ τῆς ἄλλης Ἑλλάδος οἱ πολέμῳ ἢ στάσει ἐκπίπτοντες παρ' Ἀθηναίους οἱ δυνατώτατοι, ὡς βέβαιον ὄν, ἀνεχώρουν. *Ex cetera enim Græcia potentissimi quique bello aut seditione pulsi, Athenas, tanquam stabilem sedem, sese conferebant.* Vt habet versio *Generosissimi Enenckelii.*

ab eius nom. Thessalia) *Strabo* de *Thessaliæ* nominibus & nominum rationibus differit, fine *l.* 9. adde *Scalig. animaduers. Euseb.* ad n. CCXXVI, vbi *Thessalus Græci filius* memoratur. *Diodorus l.* 4 appellationem à *Thessalo* Iasonis & Medeæ filio repetit, non dissimulans tamen: esse alias de hoc nomine opiniones, de quibus alibi dicturus sit. Dixit haud dubie: sed vetustas intercepit.

1, 3, 2. *mirari conuenit eos)* Nulla erat ratio idonea cur hoc, *conuenit*, in *subuenit* mutaret *Acidalius.* Prorsus enim cum elegantia id Velleius scripserat, sicut alias, *Par est, fas est*, eidem sensui seruire videmus. v. *Indic.*

Quod cum alii faciant, Tragici frequentissime faciunt) obnubilat splendorem orationis vox, *faciant*, commodius subintelligeretur. inquit *Gruterus.* interim certum est, *Velleium* tantopere elegantiæ dictionis non studuisse, quin multa eiusmodi simplicius dicta admitteret. Id quod de plerisque Auctoribus, etiam Poetis, existimare conuenit. Vt fortasse frustra sint, qui ad περιεργίαν vsque, criticam censuram exercere velint.

Nihil enim ex persona poëtæ) secus est in Epica poesi: vbi ex persona poetæ multa interseruntur, vt mox obseruat Noster circa appellationem

nem Corinthi. *Quippe omnis poëtæ oratio, aut narratione simplici, aut sola imitatione, aut utroque constat.* simplici narratione: *Vt Arati de astris apud Græcos, Lucretii de natura ap. Latinos poema.* Imitatione: *cum sublatis poëta quæ interseruntur verbis solæ personæ repræsentantur; quibus sermo omnis tribuitur. Quod cum in comœdia, tum & in Tragœdia, fieri est necesse. Quibus ideoq; proprie à Platone* imitatio *tribuitur.* vtroque: *quemadmodum in epico Homeri aut Maronis. In quo aliorum sermonibus, sæpe poëtæ interseritur.* Libuit hæc ad illustrandam nostri Auctoris censuram verbis *Dan. Heinsii* exponere, qui in subtilissimæ eruditionis commentario *de constitut. Tragoed. c.* 2 ex mente Platonis ita disserit.

à Thess. Herc. filio &c.) *Thessaliæ nomen non reperitur apud Homerum, quum tamen in Boeotia Thessali Herculis filii meminerit, a quo non potest videri dicta Thessalia.* Iuuat Velleianum argumentum hæc *Scaligeri ad Euseb.* notatio.

1, 3, 3. *Paulo ante Aletes, sextus ab H.* &c.) *Vtrumq; falsum* (ait *Scaliger in animadu. Euseb.*) *& sextum fuisse ab Hercule, qui quintus esset; & Corinthum condidisse, quam Sisyphidæ per multos annos antea obtinuerant.* Prius istud *Lipsio* etiam animaduersum. posterius refutatione non indiget, *si condendi* vocem de *restitutione* accipiamus. v. *Indic. Pindaro olymp.* 13 Corinthii dicuntur παῖδες Ἀλάτα id est ἀπόγονοι Ἀλῆτε, vbi *Scholiastes* videndus. Adde *Euseb. n.* CCCCXCVI.

quæ antea fuere Ephyre) sc. ante Aletæ tempora. neque quisquam aliter accepit. vid. *Stephan. in voc.* Ἔφυρα & Κόρινθος.

claustra Peloponn. continentem) adeundus omnino *Strabo lib.* 8 in descriptione Corinthi. Hinc inter *compedes Græciæ*, Philippo; aliis inter *vincula*

Græciæ

Græciæ vrbs memorata, ap. *eund. lib.* 9 & *Polyb.* 17. confer quæ habet *Pausan. Corinth.* pr *Thucyd.* 1 p. 10 *Horatii interpretes ad od.* 7 *l.* 1. Illud *continentem* à mala manu esse existimat *Gruterus*. Non ausim statim assentire.

ab Homero nom. Corinth.) sicut rursum ὅμηρ☉ τὸ ἐφύρη περὶ Κορίνθου ἔφη. notante *Stephano* in ἐφυρ.

1, 4, 1. *Chalcida & Eretriam*) interponit copulam liber ex editione Rhenani expressus, quem secutus sum. Quod si sola interpunctione ista placet distinguere, non repugno: præferam tamen hanc lectionem. *Strabo lib.* 10 non longe à principio, πρὸ τῶν τρωικῶν ante bellum Troianum conditas ab Atheniensib. has vrbes memorat. quod *Lipsius* iam notauit. De nominibus earum adi *Stephan.*

Laced. in Asia Magnesiam) Eam sc. quæ ad Sipylum, de qua etiam *Eusebius* capiendus DCCCCLXI, monente *Scaligero*, qui nostri Auctoris locum illuc retulit.

Chalcidenses Hippocle & Megasth. ducibus Cumas in Italia condid.) congruit *Strabo lib.* 5 p. 243 nisi quod Cumas Italicas non χαλκιδέων solum, sed & κυμαίων (*ap. Dionysium lib.* 7 *Eretrienses Chalcidensibus iunguntur*) κτίσμα facit, alterumque è ducibus Hippoclen Cumæum; alterum Megasthenem Chalcidensem asserit. Iam *cum variæ variis locis Cumæ fuerint* (verba *Causaboni* ad Strabonis locum huc transcribere libet) *quas enumerat Stephanus, dubitari potest, ex qua Cumani isti sint profecti, qui Cumam Campaniæ condiderunt. puto tamen è Cuma Euboica: nam & Chalcis in Eubœa. Ideo ait Virgilius,*

Et tandem Euboicis Cumarum allabitur oris.

Hactenus Casaubonus. adde & *Scaligerum*

animadu. Euseb. ad num. DCCCCLXVI. qui de tempore istud dubium mouet: *apud Euseb. conditus Cumarum in Italia ponitur annis* CXXXI *post Troica. Strabo & Velleius ante Troica.* producit deinde hæc Nostri verba. certe *Velleius* non ante sed post Troica ponit Cumarum initium. quod contextus historiæ facile euincit. Interim ante Troica Cumas conditas autumat etiam *Cl. Salmasius in Solin.* p. 72. ubi & de Cumæis, quos Strabo cum Chalcidensibus Cumarum in Italia auctores facit, contra Scaligerum disputat. Quod *Lipsius* miratur in *Chron. Euseb.* haberi: *Myčena in Italia condita, quæ nunc Cumæ*: de eo non est dubitandum, scriptum esse, *Cyme in Ital.* c. &c.

columbæ antecedentis volatu) Quid opus erat ulla critica manu in loco tam sano? An enim *anteducentis*, aut, *ante se dantis* melius aut Latinius exprimit quod volebat Auctor? Nonne castigatissimæ Latinitatis scriptor *Curtius lib.* 4, 7, 15 bis ita loquitur? *complures corui agmini occurrunt, modico volatu prima signa* antecedentes: *& modo humi residebant, quum lentius agmen incederet, modo se pennis leuabant*, antecedentium *iterque monstrantium ritu.* Quem locum *Grutero* iam adductum, vindicandæ optimæ lectioni video. Rei ipsius mirificæ plura annotauit *Cl. Freinshemius* Noster exempla. *Lucanus Panegyrico ad Pisonem*, hoc prodigio conditam memorat:

Testis Acidalia quæ condidit alite muros,
Euboicam referens fecunda Neapolis arcem.

Quæ verba adductis *Statii* locis illustrat *Scaliger in appendice Virgiliana.*

nocturno æris sono, qualis cerealib. sacris cieri solet) *Mysteria, Initia, Initiorum sacra, noctes initiorum*, quæ ab Atheniensibus *Cereri* celebraban-

brabantur (v. *Brisson. lib* 1 *formul.*) intelligit. Æris sonus in sacris non inusitatus. itaque addit *nocturni* epitheton: vt ad cerealia, quæ nocte celebrata, restringatur. Tangit hunc æris clangorem, & matronarum celebrantium clamorem *Iustinus*, 2,8,2 *Lipsius* ad h. l. & *Schegkius* consulendi.

1, 4, 2. *pars h. c. m. p. interuallo Neapolim cond.*) vnde & *Neapolis* i. e. *noua Vrbs* dicta. *Strabo lib.* 5 Μετὰ δὲ Δικαιαρχίαν ἐστὶ Νεάπολις Κυμαίων. ὕστερον δὲ καὶ Χαλκιδεῖς ἐπῴκησαν, καὶ Πιθηκουσαίων τινὲς, καὶ Ἀθηναίων, ὥστε καὶ Νεάπολις ἐκλήθη διὰ τοῦτο. Antea *Palæopolin* fuisse è *Liuii* 8, 22 monuit ad h. l. *Lipsius.* Verba Historici faciunt ad explicationem Vellei & Strabonis. *Palæpolis fuit haud procul inde, vbi nunc Neapolis sita est. duabus vrbibus populus idem habitabat: Cumis erant oriundi. Cumani Chalcide Euboica originem trahunt. Classe, qua aduecti a domo fuerant, multum in ora maris eius, quod accolunt, potuere. Primo in insulas Ænariam & Pithecusas egressi, dein in continentem ausi sedes transferre.*

in Romanos fides) *Liu.* 23 &c.

amœnitate dign.) videnda quæ *Cl. Freinsh.* ad *Flor.* 1, 16 notauit.

Cumanos Osca mutauit vicinia) Ita solet fieri, vt demigrationibus gentium partim inferantur in nouas sedes & viciniam peregrini mores, p rtim à vicinis paulatim accipiantur. Etiam mixturæ locus est. Exempla passim sunt obuia.

vires veteres magnitudo ost. mœnium) Hoc argumentum valde est incertum. οὐ γὰρ ἀκριβὲς σημεῖον τὸ ἐκ τῶν τόπων τὰς δυνάμεις τῶν ἀνθρώπων στοχάζεσθαι, ait *Scholiastes Thucydidis* ad nobilissimam obseruationem, quæ ἐν τηλαυγεῖ προσώπῳ seuerissimi operis ab Historico suppeditatur, vbi monet, *veteres Mycenarum angustias non recte à posteris allegari*

gari ad negandam Vrbis, qua olim pollebat potentiam. Postea exemplis duobus allatis, altero euincit insuper, *neq; in contrariam partem argumentum de magnitudine valere. Nam si nunc*, inquit, *Lacedæmoniorum desolaretur Vrbs, templis solum & ædificiorum relictis areis, incredibilem posteris, post longius elapsum tempus, eorum potentiam gloriamq; fore crediderim. qui tamen nunc ex quinque Peloponnesi partibus, duas ipsi tenent, vniuersæ autem & multis extra eam Sociis præsunt: Verum quia Vrbs neq; tectis frequens, nec templis sumtuosisq; ædificiis exornata est, vicatim antiquo Græciæ more habitata, impar famæ suæ videretur. Sin idem eueniat in Atheniensium Vrbe: duplo maior, quam est reuera, eorum potentia, Vrbis faciem intuenti censeretur.* Ex quibus omnibus, *Non igitur ex aspectu Vrbis de potentia iudicandum esse*, infert. Digna fuit quæ hic quoq; legeretur notatio; quoniam crebri circa hanc rem errores iudicantium obseruantur; &, ne inconsulte arrepta Velleii verba, vltra quam fas est valere crederentur.

1, 4, 3. *Magna vis Græcæ iuuent.*) Recte monuit *Gruterus*, non debuisse à *Schegkio* & *Acidalio* (quorum errorem etiam *Taubman. in culic Virgil.* suum fecit) *Græciæ iuuentutis* legi, ex sphalmate editionis Rhenani. Etiam exempla, quæ firmandæ isti opinatiunculæ adducuntur, dexteriore opus habent & explicatione & applicatione.

abundantia virium sedes quæritans) crebra demigrationum caussa. Ita *Galli abundante multitudine, cum eos non caperent terræ, quæ genuerant, trecena millia hominum ad sedes nouas quærendas, velut ver sacrum miserunt. Iustin.* 24, 4, 1. vbi *Berneggerianæ notæ* videndæ.

nam & Iones, duce Ione pr. &c.) Hæc est celebris illa ἰωνικὴ ἀποικία: cuius historiam cum iis, quæ antea acciderunt, videtur confundere *Velleius*. Non enim *Ione* duce hæc in Asiam demigrauit multitudo, sed Codri filio. *Strab. lib. 8, p. 383. distinguit historiam. Ionem Xuthi filium Athenis imperasse*, ait. *circa hæc tempora, abundante hominum multitudine, in Peloponnesum emissam Ionum coloniam indeq́ʒ Ægialeæ nomen in Ioniæ appellationem transiuisse. Post Heraclidarum reditum pulsos ab Achæis Iones, rediuisse Athenas, atqʒ inde cum Codridis Ionicam coloniam in Asiam deduxisse, conditis* ibi XII *Vrbibus; quot in Peloponneso antea obtinuerant*. confer *lib. 14 pr.* His consentit *Pausanias Achaic. pr. Ælian. Var. lib. 8 c. 5. Plutarchus de exil. Ammian. Marcell. 28. Tertullian. de pall.* locis à Lipsio partim productis. Adde *Cononis narrat. 2 apud Photium* n. CLXXXVI p. 423. *Scalig. animadu. Euseb. ad n.* 975. Velleianum in tempore & personis errorem (nam *Ion* numero Eusebiano DCLXXXII, *hæc Ionica emigratio* n. DCCCCLXXV memoratur) perstrinxit serio *Lipsius*: nec immerito. Quamdiu quidem hæc lectio retinebitur. Et de alia suspicari sine vestigiis librorum, anceps fuerit. Existimabam olim; *Loqui eum de duobus diuersis temporibus*, atque illud velle, ac fortean scripsisse; Ionas, duce Ione profectos *quondam* Athenis, nobiliss. p. &c: *nunc nimirum* occupauisse. verum sic quoque difficultas ex historia superest.

nobiliss. part. reg. maritimæ) ἐν τῇ παραλίᾳ τῆς Καρίας καὶ τῆς Λυδίας, *in maritima quæ inter Cariam est & Lydiam ora. Strabo* 8.

Vrbesque Constit. Eph. &c.) *Teum* inseri debere Velleianæ scriptioni non statim dixerim: licet historia videatur postulare. De vrbibus ipsis earumque conditoribus vide *Strabon. 14 pr.* & *Stephan.*

phan de Vrbib. De *Erythræ* conditore disputat. *Meursius Lect. Attic.* 5, 8.

1, 4, 4. *Et mox Æolii eadem prof. Gr.*) *Strabo* aliter *lib.* 13. Τέτρασι γενεαῖς πρεσβυτέραν φασὶ τὴν Αἰολικὴν ἀποικίαν τῆς Ἰωνικῆς, διατριβὰς δὲ λαβεῖν καὶ χρόνους μακροτέρους. *Traditum est Æolicam coloniam quatuor ætatibus Ionica priorem fuisse, & moras traxisse ac longius tempus.* de quibus moris etiam Velleius mox meminit. vide *Scalig. animadu. Euseb.* ad n. DCCCCLXXV.

& alias Vrbes quæ sunt in L.) *Gruterus* pro putido glossemate delet, *Vrbes quæ sunt.* Sed ad hunc modum multa in Velleio tollenda fuerint. quæ vt κρίσιν interim aliquam admittunt, ita medicinam nondum efflagitant. Ceterum de vrbibus hic memoratis *Vid. Strab.* 13. *Herodot.* 1, *Stephanum* περὶ πόλεων. pro *Larissa*, *Antissam* prætulit vetus codex. Vbi *Sylburgius* annotat, *nullam reperiri in Æolide.* Sed haud dubie, ad *Lesbum* respexit, qui ita exscripsit. Ἄντισσα πόλις Λέσβου, ἐφεξῆς τῷ Σιγείῳ *Stephan.* & *Strabo* 13.

1, 5, 1. *Magnitudine operis, & fulgore carm.*) Retinuimus *Operis*, quod erat in Rhenani codice.

Solus appellari Poëta meruit) Ita iudicat *Aristoteles de Poët. c.* 4 & explicat frequens Homeri laudator *Cicero in Topic.* 13: *Homerus propter excellentiam commune poëtarum* nomen *efficit apud Græcos suum.* *Proclus apud Photium* ὁ Ὅμηρος ποιητὴν καὶ ὁ Δημοσθένης τὸν ῥήτορα ᾠκειώσατο *Senec. ep.* 58. de iis quæ per excellentiam esse ait Plato: *Poëta communiter dicitur. omnibus enim versus facientibus hoc nomen est. sed jam apud Græcos in unius notam cessit. Homerum intelligas, cum audieris Poëtam.* Magnificum autem cum primis hoc à Velleio *Homeri elogium*: quod per partes verissi-

mum esse ostendit, & illustrauit *Lipsius:* quem non exscribo. Interim adeundi Auctores ipsi: quorũ aliquos (nam quod operæ pretium omnia certatim à veteribus congesta cõsectandi præconia?) hic nominare lubet. Ac vitâ quidem diuini poëtæ *Herodoto* scriptore circumfertur. *Plutarchi*, qui è pluribus superat *libellus*, de arte eius Poëtica potissimum disquirit. Adde *Dion. Chrysost. serm.* 53. *Suid. in* ὅμηρος. *Strabon.* 1. & passim. *Quintilian.* 10, 1. Plin. 7, 29. *Gyrald. hist. poët. dialog.* 2.

1, 5, 2. *præter Homerum & Archilochum*) Archilochus ille præstantissimis poëtis, quoties in exemplum nominandi sunt, tum ab aliis, tum à Cicerone coniungitur, *Orator. c.* 1. *In poëtis, non Homero soli locus est (vt de Græcis loquar) aut Archilocho, aut Sophocli, aut Pindaro: sed horum vel secundis, vel etiam infra secundos.* It. 2. *de finib.* 34.

1, 5, 3. *Hic longius à temporib. belli, q. e. T. abfuit*) De ætate Homeri magna & nota est Auctorum dissensio: quam si quis conciliare, aut ex re incerta certam facere instituerit, otio & labore abuti queat videri. Si cui vacat aut curæ est talia indagare, adeat *Herodot. & Plutarch. Suid. Gyrald.* locis supra laudatis, & *Gell. noct. Att.* 17, 21. *Scaliger. animadu. Euseb. ad n.* DCCCCXCVI. præsertim *Lips. ad h. t.* Interim ratio Velleii valde proba. cuius etiam opinioni facilius, quam cuiusquam, hac in parte subscripserim, quippe quæ nec *Gellio* disconuenit multum, nec *Ciceroni*, qui in *Bruto* (c. 10.) inquit: *Homeri etsi incerta sunt tempora, tamen annis multis fuit ante Romulum.* Id quod alibi etiam dixerat Tullius, sicut ex Augustin. 22. d. C. D. 6. discimus.

1, 5, 4. *quod sæpe illud vsurpat,* οἷοι νῦν βροτοί εἰσι) Dubiũ nullum est, quin rectè & ex mente Velleii suppleuerit lacunam in libris apparentem *Vrsinus.*

hoc enim ut hominum i. s. notatur diff.) paraphrasis ista est: cum Homerus dicit, *quales nunc sunt homines*, non staturæ modo & mensuræ in ipsis hominibus diuersitatem notat, sed sæcula quoque antiquiora, suo æuo quodammodo opponit, & ea, quam dixi, staturæ diuersitate tanquam charactere discriminat, alios & maiores olim Troicis temporibus homines fuisse, eo autem, quo Iliada suam scripsit, longe iam minores esse significans. Plin. 7, 16. *Iam ante annos prope mille (obserua hic obiter aliquid de ætate Poetæ) vates ille Homerus non cessauit minora corpora mortalium quam prisca conqueri.* *Gellius* 3,10. cum refutasset *Herodotum*, inuento Orestis corpori VII. cubita longitudinis admensum, subiicit ἐπιπληκτικῶς: *nisi si, ut Homerus opinatus est, vastiora prolixioraque fuerint corpora hominum antiquorum; & nunc quasi iam mundo senescente, rerum atque hominum decrementa sunt.* *Iuuenalis Sat.* 15. v.69.

Nam genus hoc viuo iam decrescebat Homero.
Terra malos homines nunc educat atque pusillos.

De re ipsa testatur etiam *Solinus Polyhist. edit. Camertis*, 5; *Draudii*, 3; *Salmasii*, 1. *capite: si de ipsis hominum formis requiramus, liquido manifestabitur, nihil de se antiquitatem mendaciter prædicasse, sed corruptam degeneri successione subolem nostri temporis per nascentium detrimenta decus veteris proceritudinis perdidisse.* paullo post: *Quis enim iam isto æuo non minor parentibus suis nascitur?* &c. Addenda quæ à laudatis modo *Editoribus* annotata sunt. item: *Hug. Grot. ad lib. 1, de ver. chr. rel. p. 19. Ludouic. Viu. ad Augustin. de C. D. 15, 9. Interp. Virgil. ad illud 12. Æn. Qualia nunc hominum producit corpora tellus. Bernegger. p. m. Quæst. in Germ. Tac. 14. an ab æuo in æuum statura homi-*

ra hominum minuatur? Id. q. 18. Quâ occasione plerique, quos laudaui, de *Gigantibus* disquirunt, eosque fuisse omnino, confirmant.

Quem si quis cœcum genitum putat &c.) Non negat Noster *Cæcum fuisse* (sicut existimat *Gyraldus*) sed *cæcum genitum esse*. Tantam enim rerum omnium peritiam, & ostensa in toto opere rerum oculis vsurpatarum vestigia, imo specimina, non conuenire ei, qui ab vtero matris cæcus prodiit, omnes intelligunt. Ceterum sicut manifeste falsum & confictum est, *Cæcum natum*: ita quod *cæcus postea factus* sit, tradit quidem *Herodotus &* alii, sed certitudo eius asseuerationis duabus rationibus infirmari potest. *Primo* enim, quod dicitur, ideo pro *Melesigene, Homerum* vocitatum, quod Cumæorum lingua *Homerus* cœcum notaret, in dubium vocatur eorum auctoritate, qui alias, atque, vt videtur, magis probabiles eius appellationis caussas adferunt. vid. *Suid.* & *Gyrald. hist. poet. dialog.* 2. *Deinde*, non congruit hæc *illata cæcitas*, cum eo, quod sub fide Historica videtur *Suidas* tradere: figmentum istud *congenitæ cœcitatis* inde originem traxisse, quod Homerus cupiditatis, cuius illecebræ oculis primo omnium insinuantur, siue quæ per oculos in animum ingreditur, per omnem vitam victor extiterit. Quanquam aliis alias placuit huius fictionis interpretationes excogitare, de quibus *Gyrald.* loco, quem prædiximus.

1, 6, 1. *Qui id obtin. annis* MLXX.) *Iustin.* 1, 2, 13. annos *mille trecentos* assignat: *Diodorus Sic. lib.* 2. amplius cIↃ CCCC: *Georg. Monachus* cIↃ CCCLX. *Eusebius* (n. 1197.) cIↃ CCXL: vnde *Lipsius* existimat in *Velleio* rescribendum MCCXXX. adde *Annium comment.* ad *Metasthenem*: & vide omnino, quæ *Scaliger* notauit ad *Euseb.* l. modo nominat. & *Schubert*, *de scrupul. Chronolog. lib.* 2. *c.* 4. *&* 5.

abhinc annos ferme DCCLXX.) In supputandis temporibus subinde Velleius ad annum consulatus *M. Vinicij cui suum opus inscripsit*, tanquam ad solennem terminum decurrit. Est autem is *V. C.* DCCXXCIII, *Tiberiani Principatus* XVI. quod, vel ex *Onuphrij Panuin. comment. in lib. 2. fast.* semel hic notasse, sufficiat.

1, 6, 2. *Quippe Sardanapalum eorum reg.*) Historiam hanc tradunt *Iustin.* 1, 3. & iisdem verbis *Sarisber. in Policrat.* 6, 14. *Diodor. Sic.* 2. *Oros.* 1, 19. *Athenæ. lib.* 12. (ubi & epitaphium eius, quod exagitat cum *Aristotele Cicero Tuscul.* 5, 35. & *Augustin.* 2. de C. D. 20. vbi *Ludou.* Viu.) *Suid. voc.* σαρδανάπ. *Euseb. n* MCLXXXIV.

tertio & tricesimo loco ab Nin.) secundum *Euseb.* tricesimo sexto: ex *Diodori* sententia, tricesimo. sicut ad hunc locum, *Lipsius*, & ad *Iustin.* 1, 3, 1. iam monuit *Berneggerus Noster.*

Pharnaces Medus) *Iustinus*, *Arbactum* vocat; *Orosius* 2, 2. Arbacum, addito tamen: *quem alij Arbacem vocant.* *Vsino*, *Arsaces* potius placuit. *Arbacis* nomen, plerisque vsurpatum, retinuit etiam *Sidonius Carm.* 9. v. 24. *Non Medis caput Arbacen profabor.* Rem plerisque obseruatam, instituti ratione, non omittere debuimus.

1, 6, 3. *clarissimus Graij nominis Lycurgus*) De Lycurgi *genere, claritudine, legibus* adi *Plutar. Lycurg. Herodot.* 1. *Strabon.* 8. & 10. *Xenophont. de rep. Lacedæm. Pausan. Lacon. Iustin.* 3, 2, & 3. *Sarisber. policrat* 4, 3. *Cicero* sæpe laudat; qui & ætatem eius *l.* 5. *Tuscul.* 3. Homeri temporibus congruere existimat. verum in ea quæstione consulendus *Scaliger animadu. Euseb. ad n.* MCXXXII.

disciplinæ conuenientissimæ vir) Tria hic corriguntur à viris doctis: *quidam* postremam voculam, ob inamœnam repetitionem, delent; vt sen-

ſus ſit: *Lycurgum iuſtiſſimarum legum & diſciplinæ conuenientiſſimæ auctorem fuiſſe.* Alii (*Lipſius* ſc. cuius auctoritatem ſequitur *Gruterus*) eundem ſenſum ita determinant, vt inflexione vltimæ vocis, *diſciplinæ viris conuenientiſſimæ*, auctorem faciant Lycurgum. Nonnulli *conuenientiſſimam* diſciplinam in *continentiſſimam* mutant. quæ vox haud dubie minus conuenit ſtilo & menti ſcriptoris. Sicut & media correctio quæſiuiſſe potius acumen quam inueniſſe videtur. Prima omnium videtur optima, propter id quod ſequitur. Nam illa verba, *cuius quamdiu Sparta diligens fuit*, profecto ſimplicius & melius ad diſciplinam reip. à Lycurgo inſtitutam, quam ad *virum* i. e. diſciplinæ auctorem retuleris. Quod ſi autem omnino retinendum ſit illud *Vir*, malim connectere cum ſequentibus, quam cum antecedentibus: *vir, cuius q.d. &c.* quæ *Acidalij* quoque opinio fuit. Nondum enim adducor vt credam, hic potius de moribus & vita, adeoque priuata Lycurgi diſciplina, quam de conuenientiſſima ciuitatis, quam condidit, diſciplina ſermonem eſſe.

cuius quandiu Sparta diligens fuit, exc. flor.) *Fuit hac gens fortis* (inquit *Cicero Tuſcul.* 1,42.) *dum Lycurgi leges vigebant.* & cap. ſeq. *Magnam habet vim reip. diſciplina.* Sane magnam; ad decus & robur, &, vt homines amant loqui de paulo ſerius perituris, ad æternitatem imperii ſtatuſque. Iccirco plane ad mentem *Velleÿ Noſtri Polybius* 6. *Hiſtor.* cum inſtitutam Spartæ à Lycurgo diſciplinam iudicio politico penſitaſſet laudaſſetque, addit: Διόπερ οὕτω καὶ διὰ τούτων συνεστάμενος πολιτείαν, βεβαίαν μὲν τῇ καὶ συμπάσῃ Λακωνικῇ παρεσκεύασε τὴν ἀσφάλειαν· πολυχρόνιον δὲ τοῖς Σπαρτιάταις αὐτοῖς ἀπέλιπε τὴν ἐλευθερίαν. *Quum igitur* (verſionem *Caſauboni* adſcribo) *hoc modo & rationibus hiſce ciuitatem*

uitatem fundasset, tum Laconicæ uniuersæ securitatem firmam parauit: tum Spartanis ipsis libertatem diuturnam reliquit. Tempus autem harum legum pariter & illius floris, de quo Noster, ac celebritatis *Liuius* 38,34. *octingentorum annorum* facit; alii 700. quidam 500. numerant. vid. *Nicol. Crag. de rep. Laced.* 1,4. Pertinent huc, & quidem cum excellentia singularis exempli, quæ *Guicciardinus* prudens scriptor *lib.* 2. de forma ac disciplina reip. Venetæ disserit, cuius opes & firmitatem non aliunde, quam ex tam præclaris institutis, prouenisse ostendit. Quid interim in *Spartanorum rep.* desiderarint Magni quidam viri notum est. *Aristot.* 2. *pol.* 7. *Polyb.* 6. *Hist. Cic.* 1. *off.* 19.

1,6,4. *Hoc tractu temporum, ante ann. LXV. q. u. R. cond. Carthago conditur)* *Iustin.* 18, 6, 9. *condita est Carthago LXXII annis antequam Roma.* ad quem locum pleraque de dissensu scriptorum annotata habes in editione *Berneggeriana.*

ab Elissa Tyria, quam quidam Dido autumant) Ita *Seruius P. Daniel. ad* 1. *Æn.* p. 200. *Elissæ* verum & proprium nomen; *Didonis* autem vocabulum (quod Punica lingua *viraginem* notat) ab euentu impositum docet. Qua de re, & Elissæ historia, accurata quædam notauit *P. Faber. Semestr.* 3, 13.

1, 6, 5. *Caranus vir generis regij)* *Lipsius* & *Gruterus* delent illa: *vir generis regij.* Mihi sustinere assensum hic lubet: qui sciam, repetitiones eorundem verborum, quas alii vitant, Velleio non familiares modo sed assiduas esse. Et quod de genere regio tradit Noster, nec verisimilitudine caret, in Temenida & refutari certa ratione nequit.

sextus decimus ab Hercule) *Scaliger animadu. Euseb. ad n.* MCCIII. *Caranus Heraclida vndecimus ab Hercule, septimus a Temeno.*

profect.

profect. Arg. Macedoniam occupauit.) vid. *Iustin.* 7, 1. *Solin. polyhist. Vbi de Macedon. agit.*

Alex. cum fuerit septimus decimus) *Reineccius* (*in regni Maced.*) *vigesimum secundum* reg. Maced. sumto à Carano initio facit. Si de successione stirpis velis capere *Velleium*, facilius *decimumquartum*, quam *decim. sept.* numerabis Alexandrum. adde *Freinsh. Curt. Comment. prolegom. cap.* 5.

Materni generis Achille auctore, paterni Hercule glor.) Diodor. 17. pr. Ἀλέξανδρος γεγονὼς κατὰ πατέρα μὲν ἀφ' Ἡρακλέους, κατὰ δὲ μητέρα, τῶν Αἰακιδῶν &c. *Plutarch Alex. Arrianus* 2. *Pausan. Attic. Curt.* 4, 2, 3. *It* 4, 6, 29. 8, 4, 26. *Oros.* 3, 12. *Iulian. Cæs.*

1, 6, 6. *Æmilius Sura de annis pop. Rom. &c.*) consentiunt viri docti, hoc glossamentum esse, & in margine forte libri ab antiquario aliquo adscriptum, postea à librariis ea temeritate, cuius passim exempla obuia sunt, receptum, nisi quod *Scaligero* videbatur, in partem contextus venire posse, si post illa poneretur: *Pharn. Medus imperio vitaque priuauit.* Quæ coniectura, sicut argumento non disconuenit: ita scripturæ modus & connexio ceteræ narrationis nihil tale agnoscit. Si enim quod sequitur; *ea ætate Cl. G. n. Lycurg. &c.* ad istud tempus quo summa imperii ad populum Roman. peruenit, referas, manifeste erit falsum: si, quod omnino faciendum est, ad Sardanapali interitum recurras, qualis erit, verborum, interrupta per insolentem interpositionem serie, connexio? Quare nihil hic ambigendum arbitror. De ipso auctore nihil admodum constat. *Plinio* laudatur *Manlius* aut Manilius *Sura* sed hic *Æmilium* retinere, codicum *consensus iubet. V. G. I. Voss.* l. 3 *de Lat. Histor. part. post.*

1,7,1. *Inter hoc tempus & initium Nini)* Ita quidem *Rhenani* editio, quam plerique sequuntur, hæc verba Velleianis accensuit, cum priora, Æmilii Suræ, inclusisset vncis. Sed neque hæc Velleii esse, quin potius laciniam glossæ prioris, recte *Lipsius* notauit. id quod ex sequentibus clare apparet. Ad rem ipsam quod attinet, satis notum est Græcorum Chronica & Historicos Assyriis & Nino principem locum semper tribuere, licet non primus sed tertius Assyriorum rex fuerit, vide not. *Bongars. ad Iustin.* 1, 1, 4. *d.* & *Franc. Fabric. ad Oros.* 1, 4.

1,7,1. *Huius temporis æqualis Hesiodus fuit)* Hic demum, post insulta aliena verba, *Velleianum textum*, & *nouum caput*, redauspicari oportebat, nam ad Carani tempus ætatem Hesiodi refert Noster. Atque *ista ipsa coniunctio temporum suggerit* (inquit *Lipsius*) *totum illud Æmilianum insititium esse, & ab alio quam Velleio adtextum.*

circa CXX distinctus ab Homeri ætate) Posteriorem Homero Hesiodum faciunt plerique, & cum Nostro consentit *Eusebius*, qui *n.* MCCX Carani temporibus coæuum tradit. *Isacius Tzezes in proleg. ad Lycophron.* cum de Homero tragico præmisisset, subiungit: ἔςι γὰρ καὶ ἕτερος ὅμηρος, ὅπερ ἐγὼ τὸν ἡσίοδον νομίζω ἰσόχρονον, κἂν ὑπὲρ τὰ τοῦ παλαιοῦ ὁμήρου μείζω τρέχωσιν εἰς αὐτόν. Disputat de hac quæstione etiam *Gellius* 3, 11, & 17, 21 concludit quasi in hanc sententiam: *de Homero & Hesiodo inter omnes fere scriptores constitit, ætatem eos egisse vel iisdem fere temporibus, vel Homerum aliquanto antiquiorem, &c. Lipsius* (cum *Scaligero* 1. *poët.* 5.) iis accedit, qui Hesiodum antiquiorem Homero statuunt; *eo quod maior simplicitas & quasi rudior antiquitas in Hesiodo appareat.* Quæ ratio occasionem suppeditat Criti-

cis,

cis, eruditæ inter vtriusque stilum comparationis instituendæ. *Seneca epist.* 88. videtur hanc & similes quæstiones pro inutilibus spernere: quod isto respectu (scilicet ubi effectus veræ philosophiæ in vita quæritur) sane fatendum est. Alias non parum iuuant partim investigationem temporum, partim memoriam, excellentium virorum συγχρονισμοί, qui in studio Chronologico, vt gemmæ quædam, eminent.

Vir pereleg. ing. & mollissima dulcedine carminum memorabilis) *Suauitatem* capio *stili & lenitatem.* Ita *Dionysius*: Ἡσίοδος μὲν γὰρ ἐφρόντισεν ἡδονῆς, καὶ ὀνομάτων λειότητος καὶ συνθέσεως ἐμμελοῦς. quem secutus *Fabius* 10. *institut. orat.* 1. *lenitatem verborum & compositionis probabilis* in hoc poëta laudat, *darique ei palmam* testatur *in illo medio genere dicendi.*

Ne in id, quod Homerus incideret) sc. ut patria eius ignoraretur. Notus est *Ciceronis* locus *Orat. pro Archia c.* 9: *Homerum Colophonii ciuem esse dicunt suum, Chij suum vendicant, Salaminii repetunt, Smyrnai vero suum esse confirmant itaque etiam delubrum eius in oppido dedicauerunt, Permulti alij præterea pugnant inter se, atque contendunt.* Porro, *cur Homerus patriam genusque ad posteros non prodiderit*, vide apud *Heliodor. Æthiop. l.* 3. *c.* 8. f.

patriamque & p. t. e. sed patriam contumeliosissime) Habentur ii versus ἔργ. καὶ ἡμέρ. v. 631. vbi *Parentem suum, Æolide Cuma relicta, consedisse prope Heliconem*, ait, *misero in vico* (*cui Ascra nomen*) *hyeme juxta & æstate molesto, nunquam denique commodo*:

Νάσσατο δ' ἄγχ' Ἑλικῶνος ὀϊζυρῇ ἐνὶ κώμῃ,
Ἄσκρῃ, χεῖμα κακῇ, θέρει ἀργαλέῃ, οὐδέ ποτ' ἐσθλῇ.

adde *Suid. voc.* Ἡσίοδ. *Gyrald. Hist. poët. dial.* 2.

1, 7, 2. Ante annos fere DCCCXXX) videndus *Scaliger ad Euseb. num.* MDLXXX.

1, 7, 4. *Pace diligentiæ Catonis dixerim*) Non tempero mihi, quin hanc modestiæ Vellcianæ figuram exprobrem dissimillimis sæculi nostri moribus: vbi raro legas dissentientem vnum ab altero, absq; ambitiosæ arrogantię, aut contumeliosæ virulentię notis. Adeo quisq; sibi in rebus leuiculis triumphum ipse decernit & instruit; si quæras, qua inscriptione meriti ac elogio? inusitata illa & protentosa cognosces: OB INSIDIAS MAGNORVM VIRORVM ERRATIS STRVCTAS. vel: OB TENTATAM ANIMOSE AVT CALLIDE ALIORVM AVCTORITATEM. vel, quod frequentissimum & miserrimum est, OB DEPREHENSA IN MEDIA LVCE LITERVLÆ VNIVS AVT SENTENTIOLÆ VESTIGIA, QVÆ ALIVS IN MERA CALIGINE NON DEPREHENDERAT. Hæc enim reuera ferme sunt, quæ aliis & speciosis vocabulis prætexit callida ingenii ostentatio, & impotens famæ cupido.

—— hic nigræ succus lolliginis, hæc est
Ærugo mera.

Caue Iuuentus optima (nam tibi hæc scribimus) caue, ne opinione laudis tibi blandiatur tanta societatis humanæ pestis, & ab honestissimis studiis hæc talia, sicut ab argento scorias, separa.

Vix crediderim, tam mature tantam Vrb. creuisse, floruisse, concidisse, resurrexisse) Habet hoc argumentum vere πραγματικὴν ἐπίστασιν. Solent enim Vrbes tardo profectu ad magnitudinem quandam eniti: atque licet ἀκμὴ sæpe breuis sit, παρακμὴ plerunque celerrimo relapsu ad exitum contendat, magnum tamen momentum temporis in *resurgendo* statui debet. difficulter resurgunt deiecta, dum

velut

velut de integro arduam creſcendi viam auſpicatur. Quæ ad Philoſophiam hujus loci pertinent, infra tradentur ad 2, 11, 3.

1, 8, 1. *Clariſſ. deinde &c. certamen Olympiorum initium habuit Auctorem Iphitum Elium*) Ante omnia hujus ſcripturæ ratio eſt reddenda: quaq; de cauſſa in textum à nobis recepta ſit. Cum enim prima editio expreſſe præferret: *habuit auctorem Iphitum Elium* (ex qua *Aldus* fecerat: *initium habuit auctore Iphito Elio*) dubitandum non erat, quin *Lipſiana* lectio, quam expreſſimus, retinens caſum primogenii codicis, neque quidquam admodum mutans aut interponens, tum ceteris melior eſſet, tum *Acidalij* conjectura: *initium habuit & auctorem Iphit. El.* Non negauerim tamen, hanc poſteriorem lectionem, pleriſque expeditiorem videri poſſe.

ad excitandam corporis animique virt.) primæ editionis & optimæ hæc erat lectio: ex qua *Aldus*, neſcio quo κρείσσως inſtigamento, *exercitandam*, fecit: quod poſtea placuit *Acidalio* comparatione loci alterius (è 1, 13, 3.) commendare.

Olympiorum ludicr.) Hæc eſt illa celebris *periodus Iphiti Olympica*, qua agonem à Pelope inſtitutum, ab Atreo & Hercule repetitum, deinde rurſum poſteriorum negligentia omiſſum Iphitus Praxonidæ filius poſt annos CCCC (ut rotunde loquamur) reſtaurauit. Vt ad hunc temporum characterem, & per eam ad tempus Romæ conditæ Noſter liquida deſignatione perueniret, pleraque huic notitiæ inſeruientia hactenus veſtigauit. Hoc initium eſt verioris, certe diſtinctioris, apud ſcriptores hiſtoriæ ὅτι οὐδὲν ἕλλησι πρὸ τῶν ὀλυμπιάδων ἀκριβὲς ἱστόρηται. teſte *Iuſtino Martyre paræn. ad gent.* cui conſonat, quod apud *Euſeb. Chron.* 2 n MCCXL. legitur: *Ab hoc tempore Græca de temporibus hiſto-*

ria

ria vera creditur. Nam ante hæc, vt cuiq; visum est, diuersas sententias protulerunt. Ad quem locum vide quæ *Ioseph. Scaliger* notauit. Item *lib.* 1. *de emend. temp. de periodo Olympica;* & *lib.* 5. *de initio Olympiadum.* Iuuabit etiam inspexisse, quæ parens Iosephi *Iulius* disserit, *poëtic.* 1, 24 & *Caluis. Isag. Chronol.* 39. *Pontan. Philocal.* 10, 23. *Cameri ad Solin.* 1. *Nicol. epiphill.* 4, 21. *Cæl. Rhodigin.* 7. *antiq. lect.* 38. præsertim ex antiquis, præter Solinum. *Strabo lib.* 8. *Phlegon Trallianus in fragm. de Olympiis. Pausan Eliac.* 1.

ante annos DCCCIV) exemplo *Gruteriana* editionis omisimus centenariam notam: re ipsa postulante, sicut alii pridem notauere.

1, 8, 2 *Atreus; cum Pelopi patri fun. lud. f.*) Consulendi, quos antea laudauimus. Res ita habet: *agon ille à Pelope institutus, ab Hercule & Atreo instauratus, ab Iphito in Tetraeteridas indictus est.* itaque *trina Olympia, à Pelope, Atreo & Hercule celebrata* præcesserunt Iphiti Olympia; *à quibus Græci putant tempora sua, propterea quod victores studio scribi ἐν κύρβεσι καὶ ϛήλαις cœperunt.* Porro *interuallum Olympiorum Pelopis & Atrei sunt quinque Enneadecaëterides. Inter Atrei autem & Herculis ludicrum; est tantum interuallum unius cycli.* Notandum autem, *iam ab aliquot annis Olympiadas tetraëtericas ante Iphitum institutas fuisse; tetraëtericas autem non fuisse à Pelope ad Troica & infra Troica tempora.* Cur autem ab Iphitæa periodo sua putarint tempora Græci, paulò antè dictum est. Operæ pretium videbatur hæc ex *Scaligeri animaduers. Euseb.* huc congerere: quo non alius, quidquid ambitio struat, diligentius hanc viam institit.

omnis gen. certam. Hercules victor extitit)

dubitationem mouit *Lipsius*, è *Pausania*. quam sustulisse graui ratione *Gruterus* videtur.

1,8,3 *Tum Athenis perpetui Archontes esse desierunt*) *Lipsius* de particula *Tum* dubitat, quo referenda sit, cum primæ olympiadi præcise non congruat. Satis constat autem, istam signandorum temporum consuetudinem, collatis, quæ alibi euenerunt, rebus, non *pracise* sed *rotunde*, & *circiter ac praterpropter*, tum ab aliis, tum à Nostro vsurpari. Quare formulas istas, *Tum*; *circa hæc tempora*, *per idem tempus*, *sub idem tempus*; &c. rarius ἀποτόμως, sæpius παχυλῶς interpretari oportet. Ceterum, congrueret hæc Velleiana designatio magis *sequenti*, quam *pracedenti* tempori. nam in annos olympiadis sextæ tertium & quartum i.e. in tempus conditæ Romæ incidit Alcmæonis principatus.

cum fuisset Vltimus Alcmæon &c.) adi *Meurs. Archont. Athen. lib.* 1. *c.* 3. & *seqq.* mox *Eryx* truncato ex *Eryxias* vocabulo legitur *Id. c.* 8.

1,8,4 *Sexta olympiade, post duos & Viginti annos q. p. c. f.*) Fuerit annus *sextæ olympiadis tertius* non *septimæ secundus*, sicut *Scaliger* scripsit *l.* 5. *de emend. tempor*. vbi *de primis Vrbis Palilibus* agit. quam commentationem omnino vide. congruit Velleio *Eutropius*, *Orosius* 2,4. *Sigonius in comment. fast*, accedit *Dionysio*, qui 7 olymp. anno primo, post Ilium captum anno CDXXXIII. conditam prodidit *lib.* 1 & 2 *antiq.* ceteras dissensiones Chronologorum (inter quos non facilius vnquam quam inter horologia conuenit) prolixe habes apud diligentissimum *Onuphr. Panuin. comment. in fast, lib.* 1. Plerique cum *Velleio Nostro* Varronem sequuntur: cuius ipsius tamen industriam coniecturis, quam certis rationibus niti existimat *Scaliger*.

Parili-

Parilibus) *Propertius 4 eleg. 4*
Vrbi festus erat. dixere Palilia patres;
Hic primus cœpit mœnibus esse dies.
In hoc ergo festum (de quo v. *Ind.*) *natalis dies Vrbis* communi hominum deuotione referebatur: adeoque *XI Kal. Mai. immortalis ortus dominæ gentium ciuitatis solenni religione celebrabatur*, vt loquitur *Panegyr. Mamert. c. 1.* Sed & Imperatores *adiecerunt feriis natalitios dies Vrbium maximarum Romæ atque Constantinopolis* (V Id. Mai.) *in quibus deberent iura differri, quia & ab ipsis nata sunt. l. omnes dies 7. C. de feriis.* ad quam pluscula huc pertinentia notauit *Brissonius*. Huic primariæ religioni affinis est illa *boni ominis obseruatio*, quam huic diei accommodabant. Ita pertinax Imp. apud *Capitolin.* reformandis rebus *expectat Vrbis natalem, quod eum diem rerum principium volebat esse c. 12.* Tertia obseruatio *artis est, an superstitionis*: cum *L. Tarutius Firmanus*, Chaldaicis rationibus eruditus vrbis R. natalem à Parilibus repetens, eamque in iugo cum esset Luna natam dicens, *non dubitauit eius fata canere*. Quem errorem (ita enim vocat) serio exagitat *Cicero 2 de diuinat. 47.* Adde *Pet. Fabr. Semestr. 1, 9. Marcell. Donat. ad Suet. Tib. 5.*

A quo tempore ad vos coss. anni sunt DCCLXXXII) scilicet *pleni*: ita vt DCCLXXXIII sit, qui tum voluebatur, Consulatu Vinicii insignis, vt recte *Onuphrius* explicat v. *supra p. 57. ad 1, 6, 1.*

post Tr. capt. annus CDXXXVII) adi *Lips.* & quos paulo ante de V. C. tempore laudauimus Scriptores.

1, 8, 5. *Adiutus leg. Latini aui sui*) *Lipsius* probabiliter correxerat, *Latinis*: vt ad Legiones referretur. Aui nomen *Numitorem* fuisse. Nisi tamen is cognomento principatus, *Latinus* hic dicitur: congruit autem hæc opinio, cum eo quod

*Dionys.2 antiq.*tradit; *Romulum initio pleraque aui consiliis ac ope molitum esse.*

eum aliter firmare Vrbem nouam &c.) Nisi quod istud etiam in fatis aliquando fuisse cernimus, vt destinatarum magnis rebus vrbium origines neglectæ ac velut inobseruatæ prætermitterentur ab iis, qui cum orientes opprimere potuissent, ortas frustra aggressi sunt labefactare.

quamquam, iam Asylo f.i.d.l.auxit.) *Aldus* pro *quamquam* legit, *quam*, vrbemque subaudit. *Acidalius*, *auxit*, παθητικῶς interpretatur, intelligens *manum illam pastoralem.* Illa prior correctio non videtur necessaria: hæc posterior expositio, paulo frigidior mihi hoc loco videtur, siue antecedentia, siue, quæ sequuntur, respiciam. Simplicius ergo fuerit retinere verba librorum, & quam vltro suggerunt, mentem: *Romuli potentiam ab initio exiguam fuisse, donec eam postea, commentus Asylum, auxerit.*

Asylo facto &c) Quæ de *asylo* hic dicuntur, item, de *patribus* institutis, vbiq; obuia & in promtu sunt apud Scriptores Latinos Græcosque. è quibus ὡς πολιτικώτατα & ad ciuilem prud. accommodatissima descriptione hæc talia exequitur *Dionysius.*

1, 8, 6. *Raptus Virginum Sabin.*) Plerique è margine in textum irrepsisse ista verba statuunt. Deplorant hoc loco *Rhenanus*, & alii, ingentem hiatum operis Velleiani: nec immeritò. videtur enim pulcerrima pars suauissimę scriptionis periisse. *Lipsius*, amplius etiam *Voluminum distinctionem*, ex modo amissorum, in dubium vocat, neque verisimile, ait, tantum rerum *Vno* priore volumine à Velleio comprehensum fuisse. Nolim firmare magni Viri suspicionem.

1, 9, 1. *Quam timuerat hostis, expetit*) Non liquet,

liquet, quæ nam fuerit ſententia. cuius hoc *ἀποσπασμάτιον* apparet. probabiliter tamen ex ſequentib. *Lipſius* exiſtimat legendum, *extitit*: vt ſenſus ſit, *grauiorem extitiſſe hoſtem Perſen, quam timuerat populus R.*

Nam biennio adeo varia f.) Bellum cum Rege Macedoniæ Perſe ſcripſit *Florus* 2, 12 & quos ibi *Camers* annotauit. quibus adde *Pauſan. Achaic. Diodor. Sic*: 31 *excerpt. quæ vulgo habentur.* præter quæ, reperies aliqua in iis *excerpt. Diod.* quæ *Conſtant. Porphyrog.* collegit, & *Henr. Valeſius* publicauit. *Zonar. t.* 2.

Vt plerumq; ſuperior fuerit, magnamq; &c.) *Gruterus* delet illud *fuerit* (ad quod nimirum non admodum quadrat, *perduceret*, quod ſequitur) copulamque expungit: *vt pl. ſuperior magnam p. G. i. ſ. ſ. p.*

1, 9, 2 *Rhodii tum dubia fide ſpeculati fortunam*) Exemplum valde memorabile, de ſequenda aut vitanda partium in bello ſocietate, Rhodiorum ciuitas hic ſuppeditat. Vtraque pars eam ſibi ſtudebat adiungere. *Rhodii* enim, inquit *Liuius* 42, *maximi ad omnia momenti habebantur, quia non fauere tantum, ſed adiuuare etiam viribus ſuis bellum poterant.* accedit, quod maiorum auctoritatem, minores ferme ciuitates ſequuntur. Itaq ue nec Perſeus, nec Romani conceſſuri videbantur vt bello Rhodii abſtinerent. Illum nouæ amicitiæ gratia, hos veteris fides commendabat. Inuitabant & commoda belli & minabantur incommoda: quibus tam propinquo diſcrimine exemti eſſe non poterant. Quid ergo factu optimum? primum conſilium non parum ſapientiæ nomine laudauerim. Ita ſe gerebant, vt Romanis nihil negare, Perſeo nihil promittere viderentur. Ita præferebant amicitiam Romanorum, vt aduerſus Perſeum

non nisi inuiti hostilia ausuri viderentur. Romanis non statim suspecti, Perseo non penitus volebant fieri formidabiles. Hac media via, cum aliquantisper rem gessissent, anxia cœpit magis & solicitior fieri suspensa tam arduis momentis prudentia: cuius tædio aliquid audendum existimabant, quo à bello partes deterrerent, se autem à periculo belli vindicarent. Legatos Romam mittunt, qui præfati *de amicitia ante bellum cum Perseo inita, de belli damnis non diutius tolerandis*, postea adiecerunt: *legatos alios ad Persea in Macedoniam missos, qui ei denuntiarent, Rhodiis placere, pacem eum componere cum Romanis, se Romam eadem nuntiatum missos. per quos stetisset, quo minus belli finis fieret, aduersus eos quid sibi faciendum esset, Rhodios consideraturos esse. Liu.*44,14. Peccatum in eo varie. *primo* enim *fiducia potentiæ & auctoritatis nimia* inflauerat Rhodios, vt Romanorum animos, qui toti propemodum orbi erant terribiles, suis frangi minis posse crederent. *deinde, imprudentius* factum, quod non animaduerterunt, sibi à neutra parte gratiam, sed ab alterutra certum esse periculum expectandum, ob eam legationem. *porro, ipse cum Romanis & Perseo agendi modus* nec officio amicitiæ conueniebat, nec ei amicitiæ generi, quo Rhodii amicos quidem Romanos, sed cum respectu eminentiæ, *amicos venerabiles* habebant. Applicandum hic venit, quod *Velleius Noster* de Massiliensi negotio iudicat: *principalium armorum arbitria illi captare debent, qui non parentem coërcere possunt.* 2,50,3. Equidem si *quietos* se præstare Rhodii & medios partibus perseuerassent, non quidem admodum grata erat futura partibus illa ἀδιαφορία (proprio enim quodam fato inuisus est, qui partium studium detrectat) sed fallor, an innoxia & minus pericu-

periculosa ciuitati fuisset. Longe autem aliud est, *neutrius partis esse*; & *arbitria pacis bellique inter partes sibi sumere*. Illud prudentiæ aliquando & necessitatis: hoc non nisi ingentis potentiæ opus est. Addenda his sunt, quæ infra ad 2, 50, 3 annotabuntur.

promtiores fuisse regis partibus visi sunt) Ita quidem rumor distulerat, eos Romanorum amicitiam simulare, sed per occulta & magis fida in Regem inclinare: fatenturque in apologia sua legati Rhodiorum (apud Liu. 45,23.) quosdam improbos ciues Regis amicitiam optasse, nullo publico consilio aut consensu ciuitatis. Interim ista communis est partium in medios suspicio: *credunt Romani, Rhodios Persei studiosiores; Perseus existimat, Romanis eos magis fauere*. Nec discrepabunt, quæcunq; huc conferes, exempla. Atque hic etiam fons est communis odii erga quietos: cuius & in aliis rebus facem creberrime accendit suspicio.

Eumenes eo bell. med.) *Liu.* 44,25. eius consilia diserte exponit.

1, 9, 3. *Qui & prætor & Consul tr.*) defendit hanc assertionem Velleii, ex antiq. potissimum lap. *Lipsius*, quem vide.

quam tergiuersanter pernicios. r. p. inierat) vide *Liu.* 22,44 & 45, & *ceteros*, qui hanc pugnam scripsere. Verba nostri Auctoris recte se habent, neque correctione indigent.

1, 9, 4. *Ingenti prælio apud Vrb. n. Pydn.*) Hoc prælium finem attulit regno Macedoniæ in ditionem Romanorum redacto: *Iustin.* 33,2,6. *cum inde à morte Alexandri distractum in multa regna, à summo culmine fortunæ ad vltimum finem stetisset CL annos*, vt *Liuius* putat 45. *Strabo*

excerpt. lib. 7. ἐν μὲν οὖν τῷ πρὸ τῆς Πύδνης πεδίῳ Ῥωμαῖοι Περσέα καταπολεμήσαντες, καθεῖλον τὴν τῶν Μακεδόνων βασιλείαν.

templisq; se relig. supplic. credidit) Quasi templa & aræ possent defendere, quem nec montes sui nec arma potuissent, inquit *Florus* 2, 12, 9. non sine panegyrica figura, & quæsita inuentionis occasione, omnino alias *hæc insula sacra & augusti tota atq; inuiolati soli erat* (verbis *Liu.* 45, 5) seruato præterea vniuersim gentilibus more, *supplicibus templorum parcendi*, id est, *propter templa hominibus incolumitatem dandi.* Aduersus quæ nonnulli *ius victoris & victoriæ* exaggerant opponuntque: quasi tantum id quærendum esset, quod licet facere; cum nec expediat nec deceat facere omnia quæ licere videntur. Heu quanta nostri temporis probra subeunt animum, dum hæc scribo!

ratione magis quam vi) Lipsio placebat, *oratione.* Nulla autem fortasse fuerit caussa substituendæ alterius voculæ. Consilium Octauii, siue *ratio* in eo est: quod modo minis, modo spe conatus est regem perlicere, vt se traderet: quod postea regios pueros, proposita incolumitate ad se traduxit, eoque transfugio nudatum regem recepit, vt legere est apud *Liuium.*

1, 9, 5 *Octauii Prat. naualis, & Anicii triumphi)* de his triumphis consulendus *Sigonius com. in fast. & triumph. Rom.* ad an. DXXCVI: de bello Illyrico contra Gentium, *Flor.* 2, 13, & quos ibi nominauit *Camers.* item *Zonar.* 2, pag. 109.

1, 9, 6 *Quam sit assidua emin. fort. c. inuidia &c.)* Tale suæ narrationi iudicium etiam Liuius præmittit 45, 35: *intacta inuidia media sunt, ad summa fere tendit. Nec de Anicii, nec de Octauii triumpho dubitatum est. Paulum, cui ipsi*

quoq; se comparare erubuissent, obtrectatio carpsit corrumpente nimirum populi iudicia Sulpitio Galba tribuno mil. priuatim imperatori inimico, criminanteque virum optimum, vt *imperiosum ducem* (ob disciplinæ militaris obseruantiam) *& malignum*, ob prædam parcius, quam insatiabilis militum cupiditas sperauerat, dispertitam. Huius exempli consideratio, inter præcipua, studiosis prudentiæ suppeditare potest, *Vitium illud Popularis status, cum apud armatam suffragiis & imperitia multitudinem, Demagogi, primum inuidia & obtrectatione singulorum, mox factionum turbis deniq; ad seditiones & exitium ciuitatis paulatim (sæpe nec paulatim) grassantur.*

bis millies centies HS) Liuius: HS millies ducenties fuisse summam omnis captiui auri argentique, tradit. Sed *Velleii* summa magis cum ceterorum scriptorum calculo congruit: vt inde potius emendandum Liuium censuerit *Lipsius.*

omnium anteact. comparat, amplit. vicerit) Quapropter in exemplum declarandæ rei triumphalis typisque æneis effigiandæ delectus est à diligentissimo Antiquitatis Romanæ vindice, *Onuphrio, libello de triumph.*

1, 10, 1 *Olympicum inchoauit) indicem* vide.

Tum rex Syriæ) correctionem *Aldinam*, de qua minime dubitandum (*rex* pro *regem* reposuit) in textum recepi.

M. Popillius Lænas) Scribunt hoc factum *Iustinus* 34, 3. & quos ibi, duo magni viri, *Bongarsius* & *Berneggerus* annotauere. Talis constantiæ exempla congessit & in *Legati* sui laudibus extare voluit *Fredericus de Marselaer* lib. 1. *dissert.* 33.

1, 10, 2 *Cogitationem regiam)* aliis, *contationem* magis placet.

1,10,4 *Is cum in concione extra Vrb.*) de his rebus erudite tractat *Onuphrius, lib. de triumph. supra laudato.*

deos immortales precatus est &c.) *Liu.* 45. *Aurel. Vict.* 56. *Val. Max* 5, 10, 2. *Senec. consol. ad Marc.* 13 *Plutarch in Æmil.* &c: Adeo præclare vtramque fortunam fert, qui inter secunda de aduersis prudenter cogitauit. Sed & illa in patriam pietas, quanquam ab omnibus publico debeatur, vix tamen serio & animose nisi in Heroica mente, se explicat. Recordor nunc similem pii antistitis in rem Ecclesiasticam affectum. *In orat. funebr. de obit. fratris*, inquit *Ambrosius*: *Nihil habeo quod querar, sed habeo quo Deo gratias agam: quia semper optaui, vt si quæ perturbationes vel Ecclesiam vel me manerent, in me potius ac meam reciderent domum.*

1,10,3 *duos minores natu prætextatos*) *Gruterus*, *prætextatis* istud glossematium adiectum, ideoque tollendum censet. Potuisse omitti fateor, sed Velleius non abhorret à talibus adiectiunculis.

1,10,6 *Quippe Fuluii censoris frater*) Meminit huius notæ censoriæ etiam *Liuius* 41,27. *Frontinus* 4, 1, 32. Pertinet autem omnino ad remp. & prudentiæ ciuilis studium, *nosse atque adeo recordari acta censoriæ potestatis*, quæ est *magistra & custos pacis* (vt hoc cum *Valerio* dicam c 2, 9, pr.) sicut disciplina militari bellorum robur & efficacia sustentatur. De hoc argumento nemo è politicis recentioribus grauius tractauit *Lipsio* 4 *pol.* 11. De *exauctorationibus* seorsim erudite multa disserit *Langlæus Semestr.* 1?, 1.

& quidem censors) *Indicem* adi.

1, 11, 1 *In libera custodia Albæ decessit*) Liberis custodiis Romæ quidem magistratuum, aut

sena-

senatorum domus adhibitæ: sed & munitioribus oppidis per Italiam captiui honoratiores sæpe seruabantur. *Liuius* 45: *Patres censuerunt, vt Quintus Caßius Persea regem cum Alexandro filio Albam in custodiam duceret. Bitis regis Thracum filius cum obsidibus in custodiam Carseolos est missus. Ceteros captiuos, qui in triumpho ducti erant, in carcerem condi placuit. adde c.* 43. De *Alba* etiam *lib.* 30 *c.* 17, *exemplum habemus*: vbi capto Syphace, *consulti patres, regem in custodiam Albam mittendum.* Ratio apud *Strabon.* 5 duplex redditur, *quoniam in penetralibus regionis sita Alba, & praterea probe munita esset.* De libera custodia egit *Lips. ad Tac.* 6 A. 3.4. & *Sauaro ad Sidon. lib.* 1. *epist.* 7.

Pseudophilippus &c:) Flor. 2.14. quosque ibi *Camers* indicauit.

cum esset vltima stirpis) Floro est: *vir vltima sortis Andriscus, dubium liber an seruus, mercenarius certe. Ammian. Marcellin.* 14, 40, & *Lucianus* περὶ ἀπαίδευτον, *in fullonio natum* dicunt. *Zonaras* t. 2. p. 114 qui satis copiose hanc historiam scribit, cum Marcellino patriam exprimit *Adramitenum* vocans.

1, 11, 3 *duabus adibus sine inscriptione positis) Lipsius* recte de inscriptione *dedicantis* capit. vide de his porticibus *Andrea Fuluii Sabini antiquit. Rom. lib.* 4.

quique hanc turmam equestr. statuar.) de *statuis equestribus* earumque *origine* ac *honore* videndus Hermann. *Hug de mil. eq.* 5, 1.

1, 11, 4 *Magnum Alexandr.) Arian.* 1. *Iustin.* 11, 6, 13, Pro *impetrasse à Lysippo*, *Cl Freinshemius Noster ad Curt.* 3, 21, 27. legit, *imperasse Lys.* Lysippi ars passim laudata, & in exemplum excellentiæ memorata. *Nam ad veritatem Lysippum*

&

& Praxitelem accessisse optime (i. e. ad viuum omnia expressisse) *affirmant. Quintil.* 12 *instit orat.* 10. *Vid. Lips. ad h. l.*

1,11,5 *Primus omnium Romæ ædem ex marmore*) *Lipsius* existimauit intelligi *templum Romæ, vt Deæ, structum. Gruterus* præter decorum id Romanis tribui putat, & initium huius moris potius prouinciarum adulationi conuenire. Quod autem nomen Dii Deæue, cui hoc templum ædificatum, non addidit *Velleius*, factum est ideo (respondet porro *Gruterus*) quia satis indicarat expresso loco, in quo templum illud positum erat, dum inquit; *in iis ipsis monumentis molitus.* Sic *Liuius* 41,15: *Eodem anno C. Cicereius ædem in Albano dedicauit, quinquennio postquam vouit.* Hactenus ille.

vel magnif: princeps) v. *infra ad* 2,1,2.

1,11,6 *cuius felicitatem fortunæ Met. Comp.*) Magnifice, vt solet, tam prolixum fortunæ fauorem extollit *Val. Max.* 7,1,2 *& Plin.* 7,44. *Cic.* 5 *de fin.* 78 *it.* 1. *Tusc.* 35.

præter excellentes triumphos) *Lipsius* ex historia repositum cupiebat, *excellentem triumphum*: sed recte se habet iudicium *Gruteri*; qui pro singulari numero pluralem hic vsurpari existimat. Loquitur enim hic Velleius ἐγκωμιαστικῶς, neque enumerat tantum membra collectione, sed granditate sermonis illustrat.

acres innocentesque pro rep. cum inimicis contentiones) *Acerrime cum Scipione Africano Macedonicus dissenserat, eorumque ab æmulatione virtutis profecta contentio, ad graues testatasque inimicitias progressa fuerat,* inquit *Valerius* 4.1.12. Notandum hoc loco, *duplices in rep. contentiones inimicitiasque* deprehendi: *Prima* est *contentio factionis & inuidiæ*, qua viri potentes mutuis quisque

que odiis alterius auctoritatem gloriamque depressum cupiens, semper contrarius obstat, ac, veluti ἀντίτεχνος atque obtrectator actui eius consilioq; aduersatur. *Altera contentio virtutis est*: rursumque *duobus modis* cernitur contingere. vel enim *ipsi inter se viri boni & magni, nulla priuata amulatione, sed circa & propter administrationem reip. dissentiunt & concertant*; sicut de Metello & Scipione modo diximus: vel *aduersus flagitiosos, sceleratos, reip. turbatores, illi qui dexteriore consilio & auctoritate remp. tuentur, depugnant*; quo de genere ἀντιπραγίας dicetur aliquid in *Charact. Vellei.* c. 4. Hoc sensu *Sallustius, Catil.* 54. in Catone *malis perniciem* ostentauit. De altero illo Catone *Cornelius Nepos* c. 1, 3, & 2, 4: *a P. Corn. Scipione* perpetua dissensit vita. it: *circiter annos octoginta vsque ad extremam ætatem ab adolescentia, reip. caussa suscipere inimicitias non destitit. a multis tentatus non modo nullum detrimentum existimationis fecit, sed quoad vixit, virtutum laude creuit.* Tales contentiones, vt *innocuas* (ratione propositi à malignitate alieni) & *pro rep. susceptas*, in laude ponunt cum *Velleio* nostro prudentissimi Scriptores: facitque partem voti sui & laudis posthumæ Tiberius apud *Tac.* 4, 38, 2, si posteri, ipsum *offensionum pro vtilitate publica non pauidum fuisse credant.* Dissimulari autem non debet, nonnullos Politicorum crassius circa hoc argumentum versari, dum *vtilia magnorum virorum dissidia*, vniuersim pronuntiant, atque eo nomine iacta *subinde factionum semina* in arcanis reip. gerendæ artibus habent. verum nec *populares*, nec *Nobilium factiones* citra summum periculum reip. exerceri posse, ostendit *Lipsius* 6 pol. 3, & Romana historia tot magnorum casuum exemplis passim testatur. *Et certe, si vnum illud contentionis genus* excipias,

quo

quo Boni à malis dißident: vix poteris mihi exemplum dare vtilitatis alicuius euidentis in contentione virorum illustrium. Dissidebant Romæ consules, prætores, tribuni, magistratus alii, innocuis aliquando & bono fine susceptis dissensionibus, sed nunquam sine motu aliquo & tumultu rerum ac hominum: nam pars reip. democratica, his motibus, vt mare ventis agitabatur. itaque ergo hæc rudimenta erant (quis aliter statuat?) tot discordiarum ciuilium, quæ mox populari turbulentia, & paucorum ambitione excitatæ vsque ad conuersionem reip. insanabiliter desæuierunt. Cur ergo supra laudantur, inquis? Laudantur non aliis, quam istis de caussis: quod magni illi viri dissidia sua non in occasionem potentiæ, dominationis, auaritiæ dispensant, sed immunem ab inciuilibus consiliis animum seruant; quod pertinere ad remp. existimant, vt consilia, quæ credunt publice salutaria, contra aliorum sententias tueantur; quod sine admixta priuati odii acerbitate ad virtutum & honesti certamina, ciuibus viam præire cupiunt; denique si profundius quæsieris, videbis quid aliud quam imbecillitatem humanam, & ciuilis prudentiæ imperfectionem? dum vel ea non conciliare possunt sine contentione ac in publicum commodum attemperare, quæ diuersis quidem sed ex æquo salutaribus artibus constant; vel vnius quidem boni naturam intelligunt, alterum autem pro malo spernunt, non quod rationi & sapientiæ, sed quod suæ indoli minus conuenire videatur. Rursum instas: *atqui Resp. diuersitate artium, & mundus elementorum concordi quodam dißidio, conseruatur*? Recte de concordi dissidio mentionem intulisti, quod ita intelligendum est. Habet suum in rep. locum seueritas, habet lenitas: Idem de magnificentia & parsimonia, de facilita-

te & grauitate; ſimilibúſque aliis iudicium eſto. Ergo prodeſt ſane eſſe in ciuitate viros graues, eſſe faciles: ſplendidos item, ſed non minus elegantes; imo & frugales, ac ſic deinceps. Ita *Salluſtius Catil.* 53 & 54, deſcribit; *ingenti virtute, diuerſis moribus viros duos Cæſarem & Catonem.* Verum hoc ipſum exemplum, quod iam crude à pleriſque accipitur, admonet nos de rectiore circa hoc negotium iudicio. *Quod ſi enim vterque ſuis virtutibus moribuſque, quibus à natura donatus, à diſciplina inſtructus erat, vſus eſſet citra inuidiam & æmulationem, concordi ac tranquilla diuerſitate,* haud dubie reſp. magnam ex illa ipſa diſcrepantia tuliſſet vtilitatem. Iam vero quid factum eſt? Nonne Cato, *aduerſus Cæſarem & plures d ſimilioris ingenii homines obliquus & obtrectator*, nonne Cæſar aduerſus Catonem occulte & aperte factioſus; nonne adeo vterq; ſuis contentionibus plus nocuerunt reip. quam profuerunt? nam de vno & altero facto nunc non loquor. vtilis ſane fuit Catonis aduerſus Cæſarem contentio in cauſſa Catilinaria: ſed necdum in ſimultatem iuerant eorum animi, & hoc ad illud genus potius referendum eſt, quo Bonos malorum conatibus, quibus Cæſar patrocinari videbatur, aduerſari diximus. Ex diuerſo, illuſtre eſt concordis diſcrepantiæ exemplum, apud *Tacit.* 13, A, 2, 1 & 2 *in Burrho & Seneca, qui diuerſa arte ex æquo pollebant. Burrhus militaribus curis & ſeueritate morum; Seneca præceptis eloquentiæ & comitate honeſta:* ſed additur. IVVANTES INVICEM, ſicut & antea præceſſerat, eos *pari in ſocietate potentiæ* CONCORDES fuiſſe. Hic neruus, hoc vinculum: *diuerſæ artes, ſed concordi actu in mutua auxilia expeditæ iuuant remp. non æmulæ, inuidæ, contentioſæ.*

1, 11, 7 *Mortui eius lectum pro roſtris ſuſtul.*) Adi *Cl. Kirchman. comment de funerib.* 2, 8 & 9.

1,12,1 *cuius pars magna eiusd. Met. Mac. & a. fracta erat*) Nil dubitaui *Aldinam* lectionem omnium facillimam, in textum recipere: cum antea fuisset: *cum p. m. tracta erat.* De re ipsa *Florus* 2,16,4: *cum Metellus dimicasset, ad victoriam Mummius venit.*

cum grauibus in Rom. contumel.) *Iustin.* 34,1,9: *legatos quoque ipsos Romanorum violassent, nisi audito tumultu, trepidi fugissent. Flor.* 2, 16, 3, *oratione violatos* ait. *Cicero pro leg. Man.* 5. *ob legatos superbius appellatos euersam Corinthum* testatur. Sed nimirum speciose sonabat in auribus hominum, *caussa belli in violationem legatorum reiecta*: quippe quo nomine iuste suscipi bella communiter existimabant: quamuis non alia, quam quæ mox Carthaginem dicitur oppressisse, inuidia Romanos impulit, vt caussas belli quærerent aduersum Corinthios, &, quia quærebant, inuenirent. Vide omnino de hac hypothesi Romanorum, simulque de totius Achaicæ fato, πολιτικώτατα disserentem maximi nominis ac dignationis virum, *Iacobum illum Gothofredum*, in oratione, cui *Achaica* indicem præfixit.

1,12,2 *Magis quia volebant Romani, q. d. C. diceretur credere*) Is enim est affectus æmulationis, suspicaci odio facta æmulorum premere, detorquere, denique, vt volunt, in occasionem certaminis aut calumniæ interpretari. Voluit hoc ipsum Romanis exprobrare Perseus Maced. Rex in oratione ad Marcium & Attilium: *Ego hæc Q. Marci & A. Attili, quæ aut à vobis obiecta aut purgata a me sunt, talia esse scio, vt aures, vt animi audientium sint: nec tam referre quid ego aut qua mente fecerim, quam quomodo id vos factum accipiatis. Liu.* 42,42.

1, 12, 3 *omnibus belli ac togæ dotibus*) de elogio huius viri agitur in *Charact. Vellei. c.* 2.

adoptatum à Scipione Africani filio diximus) cum *Velleio facit Liuius l.* 44 *c.*44: *P. Scipio, Africanus & ipse postea deleta Carthagine appellatus, naturalis consulis Paulli, adoptione Africani nepos.* Et *Valerio* ,3,7,5, *Auiti spiritus egregius successor Scipio AEmilianus* vocatur. itemque *Florus* 2, 15, 12, *Hunc*, inquit, *Paullo Macedonico procreatum Africani illius magni filius, in decus gentis assumserat. Themistius orat.* 5 *de pace ad Valent* : Σκιπίων δὲ ὁ μέγας ἐκεῖνος, ὁ τοῦ πάνυ Σκιπίωνος υἱιδοῦς &c. Quanquam nescio, cur doctissimo *Remo* vertere placuerit : *Magnus ille Scipio, Maximi illius Scipionis adoptiuus filius.* cum vel ex *Polluc.* 3, 2 constet υἱιδοῦν nepotem significare. nisi fors Vir Magnus illis adhibuit fidem, qui ab ipso Africano adoptatum Æmilianum credidere.

ædilitatem petens Consul creatus est) *Liu. epit.* 50. *Appian. Punic. Aurel. Vict.* 58.

1,12,4 *Cum ante in Hisp. &c. in Afr. in Hisp. etiam ex prou.*) v. *Liu. epit.* 48. & 49. *Victor.* 58. *Plin.* 37, 1.

1, 12, 5. *Magis inuidia imp. quam ullis eius temporis noxis*) Recepi in textum correctionem *Lipsianam.* quanquam enim nullo modo credam, *Velleium* ita scripsisse , videbatur tamen facilius, quam illud alterum, in codicibus repertum : *quam ullius eius temporis noxiæ.* Possunt quidem illa verba pendere ab, *inuidia*: Sed id durius videtur, quam vt facilitatem Velleianam referat. Multo minus subaudiuerim per Hellenismum , *caussa*: quod contextus (ad cuius simplicitatem competentiamque plurimum attendendum arbitror)

prorſus repudiare videtur. Nil dubito, *veram lectionem, vt in corrupto loco, ignorari.* qualibus locis, nemini vel inſultandum vel applaudendum iudico.

Carthago diruta eſt) καὶ ἐπάρατον ἐψηφίσθη τὸ ἐπ᾽ αὐτὴν κατοικῆσαι τινά. *Zon.* 2. vide *Camerte & Freinshemio* notatos ad *Flor.* 2, 15. & adde *Plin.* 15, 18. *Horat.* 4 *Carm.* 8. *Epod.* 7. *Pontan. Philocal.* 5, 16.

1, 12, 7 *Neque ante inuiſum eſſe deſinit, quam eſſe deſiit.)* Subeſt aliquid occultioris vitii: quod ægre expedias. Nam *Lipſiana* correctio, non Velleii verba, ſed correctoris ſententiam reponit. Ceterum ex hac ipſa ſententia ſatis clarum eſt, quid *Velleius* de cauſſa excidendæ Carthaginis ſtatuat. quippe qui & ſupra, inuidiam, æmulationem, metum, ſuſpicionem, ὑπάλληλα vitia potentum, deſignauerit. *Cicero* 1 *offic.* 11, *crudelitatem & immanitatem Pœnorum*, prætexit. idem, qui de *Corintho* clarius fatetur, Romanos non quidem reſpectu iuſtę cauſſæ, ſed per rationem ſtatus, vt hodie loquuntur, & arcanum dominationis eam ciuitatem ſuſtuliſſe, *ne aliquando ipſe ad faciendum bellum locus adhortari videretur.* Hanc euerſionem Vrbium, pœnæ loco illatam olim, ſicut hominibus capitale ſupplicium irrogatur, diſputat *P. Faber ſemeſtr.* 1, 8. Sed vt puniendi occaſiones quærunt tyranni & ſtruunt: ita maxima quæque imperia euerſionem aliis moliuntur, donec denique, iuſtitia fati ad impotentes dominos recurrente, ipſa quoque euertantur.

1, 13, 1. *L. Mummius Corinthum funditus eruit)* vide nominatos à *Camerte* ſcriptores ad *Flor.* 2, 16.

1, 13, 2 *Alter Africanus, alter app. eſt Achaiſus)* Eligit hæc duo exempla in commendationem

huius

huius moris *Themistius orat. 5. de Pace.* *ex nouis hominibus*) dicetur infra prolixe, de *nouis hominibus*.

1, 13, 3. *Vt Polybium Panætiumque domi militiaque secum habuerit*) Ineptissimus est *Maccius*, qui inter alia, quæ in Polybium congerit, conuitia, *datum fuisse Pædagogum Scipioni Nostro* calumniatur, meritus hac vanitate censuram calami *Vossiani, in art. Histor. c. 22.* Scilicet adiutor maximarum rerum manu consilioque, & à prima adolescentia rebus gerendis adhibitus, pædagogi nomine contemtim dicetur! *Ammian. Marcell.* 24, 7: *Legerat* (Iulianus) *Æmilianum Scipionem, cum historiarum conditore Polybio Megalopolitano Arcade, & triginta militibus, portam Carthaginis impetu simili subfodisse.* vnde facile deprehendimus, præcipuorum Scipionis operum socium & adiutorem fuisse Polybium. cuius equidem Prudentia gerendarumque rerum peritia, cum præcellente ingenio veluti certat in grauissimo Historiarum opere. quod, singulari instituto politicæ informationis atque disciplinæ, omnium inter Græcos industriam superat. post ipsum, *Dionem* video hanc viam præclare instituisse. nam & hunc, respectu *παιδεύσεως πραγματικῆς*, accuratiorem & profectui ciuilis viri accommodatiorem ceteris iudico. *Polybianæ Historiæ* præstantiam, ante illustrem *Casauboni* operam, paucis in mentem venit suspicari. cui propterea plurimum debent prudentiæ solidioris studia. vid. *Præfat. operi præfixam*: & *Gerard. Io. Voss. de Græc. Histor.* 1, 19.

Panætiumque) *Tullio 4 de fin.* 9 vocatur *homo inprimis ingenuus & grauis, dignus illa familiaritate Scipionis & Lælii Panætius.* Felicem tantis amicis Scipionem! quorum conuictio non modo prudentiæ, sed virtutis eximia potuit exempla

ſuppeditare. Non enim ex acutis & callidis ad vaframenta conſultoribus fuere, quales hodie in deliciis & honore habentur: ſed qui *nihil Vtile niſi quod honeſtum eſſet*, crederent, ſicut Panætium diſerte *Cicero*; Polybium, ſua ſatis ſuperque commendat hiſtoria, grauis ſcilicet & perpetua non virtutis minus generoſæ, quam grauioris ſapientiæ magiſtra.

Semper inter arma & ſtudia Verſatus) *Sidonius* 4 *ep.* 17 *de Aruogaſte: Par ducibus antiquis lingua manuque; quorum dextera ſolebat non minus ſtilum tractare, quam gladium.* (vbi *Sauaroni* notata vid. Igitur celebre *Sfortiæ* verbum, quo *ſe ea manu qua gladium tractare didicerat, calami ductiones diſcere non potuiſſe*, iactabat, ſolari ſane defectum huius laudis, alterius laudis comparatione videatur: non vero inumbrare poteſt perfectæ laudis claritudinem, qua ſingulares naturas ſummasque experientiæ artes Doctrina conſummare pariter & moderari conſueuit. Notanter autem de Scipione Velleius, quod *elegans ſtudiorum liberalium omnisque doctrinæ & AVCTOR & admirator* fuerit. non enim alii, artium quarumcunque ſerii admiratores, niſi qui & *auctores*. qua voce *peritiam excellentiamque ipſius doctrinæ* hic capio. nam quod *Lipſius* mallet *fautor*, *primo*, non opus erat; cum admiratio iam fauorem includat: *deinde* nimium de Scipione elogium videri non debet, *ad quem Terentii ſcripta* (id eſt luculentiſſimum & incomparabile elegantioris doctrinæ monumentum) *referuntur* à veteribus, teſte *Fabio* 10, 1. Licet enim hanc opinionem impugnet *Donatus*, probat ea tamen ſatis euidenter iudicium antiquitatis de Doctrina Scipionis. neque res exemplis caret, ſi *Iulium*, *Octauium*, *Annibalem* aliosque cogitemus.

1, 13, 5. *Non tamen puto dubites V. quin magis pro rep.*) Talibus sententiis pleni sunt Scriptorum libri. qui nimirum obseruant, initium παρακμῆς siue decrementi in imperiis, ab opibus, instrumenta luxuriæ, aduersus quam nunquam satis cauta est mortalitas, suppeditantibus descendere. Nimiam Corinthiorum æstimationem, quam hic perstringit *Velleius, furorem* vocat *Seneca de breu. vit.* 12.

1, 14, 1. *Cum facilius cuiusque rei &c.*) Digressio nobilis de *coloniarum deductione & ciuitatum propagatione:* cui similis est ea, quæ legitur *posteriore voluminis parte* (*volumen* enim hoc loco notat totum opus Velleii) i. e. 2, 38 & 39. *de Prouinciarum origine.* Quærat autem forte aliquis, *quomodo breuitati Velleianæ conueniunt istæ ἐκβάσεις, maioris diuerticula operis? Quomodo item ad huius loci institutum pertinet coloniarum recensio?* Spectanda enim in Digressionibus hæc talia ostendit *Cl. Vossius de art. Hist.* 22. De cohæsione vt hic aliquid comminiscamur, non videtur opus esse: cum, *Velleius* ipse *vtilitatem* potius & *τὸ ἀξιομνημόνευτον huius notitiæ, quam εὐκαιρίαν* sibi propositam significet. quæ ratio vel sola apud æquos iudices ad veniam & laudem valere potest. Sicut nec *compendia* vnius omnia generis æstimanda, vniusque legis rigore constringenda sunt. Est enim hoc opusculum Velleianum ex iis, *quæ in minore quidem ambitu, omnem tamē maioris & pragmatici operis artem moremque retinent.*

quæ quoque tempore deducta sit colonia) Totam hanc egressionem Velleianam veluti commentario illustrauit *Sigonius de antiq. iur Ital. lib.* 2. Sicut, quæ de *militaribus* mox dicuntur *lib.* 3: vbi & supplet, quam Velleio præterire placuit, *militarium coloniarum recensionem.* Ex *hoc Scriptore*

& *Pighii Fastis* petantur ea, quæ explicando Nostro idonea huc transcribenda neutiquam iudicaui mus.

Huic rei per idem tempus ciuit. propag.) *Lipsius* voluit *ciuitatem propag.* scilicet *de iure ciuitatis dato*, sicut passim sequitur. Videtur tamen idem sensus è lectione vsitata (quam non temere mutare debemus) prodire. quidni enim *propagantur ciuitates, dum communione iuris Romani ciuitates denuo quasi fiunt: i. e. tales, siue Romano iure gaudentes?*

1, 15, 3 *cui in demoliendo eximia ciu. seu.*) *Lipsius*, *emoliendo* substituebat. *Acidalius*, *cui inde moliendo*. *Gruterus* illa verba, *in demoliendo*, plane abiicit. Sed fortasse simplicissime *demoliri* pro *moliri* accipimus. quod & *Cl. Boxhornius* olim ad h l. coniecerat.

1, 15, 4 *Abhinc annos CLVII*) Fœdum hic in textum irrepsit mendum, dum emendationem erratorum typothetæ alienæ industriæ committo. *Quingenaria* enim *nota D pro centenaria* Comparet, id quod statim monendum duxi.

1, 16, 1. *Cum hæc particula operis velut form. prop. exc.*) Egressioni, qua *iam excessisse se formam propositi*, id est, præter modum, arctioris Scripturæ calamo indulsisse, fatetur, aliam *egressionem* coniungit; nec sine *præfatione* tamen *veniæ*. quam ea ipsa testatione, tum eximia vtilitate cognitionis & iucunditate, de qua supra, omnino meretur.

1, 16, 2. *Quis enim abunde mirari potest &c.*) Locum male cohærentem & corruptionis manifestum facile equidem fuerit interpolare coniecturis. quod & à plerisque factum est. Sed, vt quod sentio dicam, nulla hactenus restitutio mihi talis videtur, vt Velleianam scripturam restauratam existimem. *Cuius quis fuerit sensus*, omnes vident. Sed illum suppleri interpretando à quo-

vis,

vis, quam verbis Auctoris redhiberi ab vllo posse, promtius crediderim.

Capsa alioque septo.) Vide *Indic.*

1, 16, 3. *Æschylum, Sophoclem, Euripidem*) Hi, veluti principes carminis Tragici, etiam à *Cicerone* coniunguntur 3 *de orat.* 7. *Quintil.* 10 *instit. orat.* 1. *Isac. Tzez. in proleg. ad Lycoph* vide *Gyrald. Hist. Poet. dialog.* 6 & 7.

Priscam illam & veterem ac nouam comicam) Nam *Media* inter veterem & nouam Comœdia veluti *transitus ad Nouam*; aut *inchoatio Nouæ* videri potest. itaque ferme passim *Vetus* & *Noua* tantum nominatur. Consulendi *Iul. Scalig. Poetic.* 1, 7. *Pontan. Philocal.* 10, 12. *Cl. Heins. dissertat. ad Horatii de Plauto Terentioque iudicium.* *Comicos* hoc discrimine & exemplo ita commemorat, *Isacius Tzezes in proleg. ad Lycophr.* Κωμῳδοὶ πρατλόμενοι, ἀριστοφάνης, κρατῖνος, εὔπολις, φερεκράτης, καὶ ἕτεροι. καὶ νέοι, μένανδρος, φιλήμων, φιλιππίων, καὶ πλῆθος πολύ. *Horat.* 1 *Satyr.* 4: *Vbi interpretes.* Ceterum in textu Nostro, Lipsius probabiliter existimauit *comicam*, à manu *glossatoris* esse.

1, 16, 4. *Philosoph. quoque ingenia Socratico ore defl.*) optima, nec tentanda lectio. *Cic.* 1 *de orat.* 10 vocatur *fons & caput Philosophorum Socrates*: 1 *de nat. Deor.* 34 *parens Philosophiæ*, cum quibus ceterorum passim elogia consentiunt. *Hieronymus* plane ad Nostri figuram congruit *in apolog. pro lib. adu. Iouin.* *Legite Platonem, Theophrastum*, Xenophontem, *Aristotelem, & reliquos qui de Socratis fonte manantes diuersis cucurrere riuulis.*

Quos paulo ante enumerauimus) in iis haud dubie, quæ perierunt.

1, 16, 5. Quid *ante Isocratem &c.*) vnde *Ciceroni* 2 *de orat.* 3 *Pater eloquentiæ* dicitur:

& c. 22 communis magister oratorum eius temporis, *ex cuius ludo meri principes prodierint.*

Adeo quidem artatum) Lipsio lubet legere, *adeoque iidem artati: Acidalio, adeo quidem artati* II. Est, qui cum complexu, ad præcedentem formulam refert: *quid clarius in orat.* Censebam aliquando: *adeo quidem artorum angustiis temporum,* vt à verbo *fuit* sustinerentur sequentia. quod tamẽ pridem non satis placet. Possemus haud paulo liquidiore coniectura vti, si certam haberemus lectionem superioris, qui corrupte legitur in hoc capite loci; *in eandem formam, & in idem artati temporis congruens spacium.*

1, 17, 1. *per Cæcilium, Terentium, Afran.)* vide omnino egregiam dissertationem & iudicium de Comicis *Iani Rutgersii Var. Lect.* 4, 19: vbi huius quoque loci *Velleiani* mentio & illustratio habetur. *Plautum* in hac enumeratione Nostri auctoris omissum plerique mirantur, aliqui & indignantur. Respondet *Lipsius*: factum hoc ætatis respectu, quo Plautus paulo ab his remotior erat.

Sub pari ætate) Lipsius, suppari, legit: vt & *Rutgersius* loco iam adducto, & *Acidalius*. Bene.

1, 17, 2 *Historicos (Vt Liuium q. p. a. adstruas) præter Catonem &c.) Vossium* adi in memorabili *de Histor. Latin.* opere.

1, 17, 3 *pace P. Crassi Scipionisque & Lælii Gracchorum & Fannii & Ser. Galbæ dix.)* de quibus *Tullius in Bruto,* id est, in *Critico Oratorio,* eximia iudicia pronuntiat.

Sub principe operis sui erupit Tullio) Idem *Quintiliani* iudicium est 12 *instit. orat.* 10. Et cuius non? Esset enim hoc in clarissimum solem mortale lumen inferre, si quis auderet Ciceronis supremam in dicendo gloriam demonstrare.

1, 17, 4

1,17,4 *Hoc idem euenisse grammat. plastis pict.*) de quibus rursum *Quintilianus* 12,10 disserit. consule *Indicem.*

quisquis temporum instit. notis) Rhenanum secuti sumus, cuius ratio hic valde proba.

1, 17, 5. *Huius ergo praecedentisque saeculi ing.)* Non dubito, locum hunc corruptum esse. sed inter doctorum coniecturas hæc facilior visa est, quam expressimus, certe, pro *emolumento*, *emolimentum* (ab emoliendo) hic substitui, nimis quam quæsitum apparet.

1, 17, 6. *Alit æmulatio ingenia &c.*) Nobilis dissertatio, *de caussis incrementi litterarii.* Summa huc redit : *æmulatione prouehi studia; affectatione deprimi.* Est autem *æmulatio* vel *bona & cum virtute coniuncta*, quando scilicet *admiratio incitationem* (retinui enim hanc vocem, licet *imitatio* magis placeat) *accendit:* vel *praua & cum inuidia coniuncta*, quam itidem tangit Noster. *Illa* vt efficax, sic optabilis est : *hanc* profanis relinquendam putamus, quibus non vacat quærere, *quomodo*, sed *quantum* quisque doctrinæ sit adeptus. *Illam* vult plerumque; *hanc* aliquando patitur Deus, ad alta peruenire. *Illa* serium honorem cordatumque vsum studiorum ; *hæc* pompam & splendorem ferme comitatur. *Illa* à fastigio; *hæc* à declinatione studiorum propius abesse solet. *Inclinatur* autem studiorum celebritas, non iam æmulatione & imitatione, sed *affectatione.* cuius ὑπόθεσιν egregie descripsit *Velleius*. Equidem vt *illa laudabilis æmulatio* prorsus à virtute publicique studio boni proficiscitur, id est, à tali origine, qua rerum quarumcunque incrementa promoueri consentaneum est : ita *affectatio* , quam diximus, *Ambitionis* solius stimulo incitata, non imitari vult quæ summa sunt, sed diuersæ specie

præstantiæ, quos imitari nequit, iis comparari quærit, atque quod Græci dicunt ἀντισεμνύνεσθαι. ita deseritur illud iter, regia illa via, quæ ad fastigium ducit: *mobilisque* ille *transitus* ad minora (talia sunt namque, quæ à summis recesserunt, licet summopere adornentur in speciosam faciem) verissimũ *maximumque perfecti operis impedimentum est.*

Quod si Viri docti eam mihi egrediendi paulo liberius licentiam hic concederent, quam in suo opere *Velleius* vsurpauit, insererem non alieno forte loco, quæ *de fatis litterariis nostri temporis* non ita pridem chartis illeui, vt ambitionis, quæ in studia inuasere, artes, decrementi vicinitatem nobis portendere, declararem. Appellationes quasdam & vocabula ex tempore & occasione, quæ mihi id argumentum suppeditabat, mutuatus sum. Est autem dissertatio illa, quam cum venia auditorum appono, huiuscemodi.

Crebra subiit animum meum reputatio fati publici: cuius non minima pars rem scholasticam scilicet ac litterariam concernit. Ea enim est, quæ sacris profanisque rebus non ornamentum modo ac decus, sed robur & vigorem ipsum largiri consueuit: eiusque florem, gentium prosperis, Deus gratificari; inclinationem, terrarum deuastationi semper visus est præmittere. Inclinatio autem illa, proxima plerumque fastigio est: fastigium ipsum, plerumque inclinationis caussis obnoxium. sicut cum magna imperia, quæ non habent quo crescant amplius, caussas sibi interim illa ipsa magnitudine sua elaborant, quibus decrescant. Quod vbi cœpit fieri, obseruatione prudentum & cura opus est: qua licet interuerti non semper possit præcepta indiciis fortuna, mitigari tamen hactenus potest, ne incautos & incogitantes adeoque fortius percellat. Quemadmodum autem in regnis ac ciuili statu, duabus

duabus potiſſimum rebus, corruptio & profectura ad interitum aut conuerſionem labes deprehenditur, *ſi & mores ſingulorum populique vita ſit vitioſa*; & *adminiſtratio reip. ipſa vel aperta iniquitate, vel arcanis artibus, flagitiis, ſimulationibus*, (qualia hodie pleraque *ratione ſtatus*, quam vocant, teguntur) *in prauum deflexa comperiatur*: Ita in ſtudiorum quoque regno ſiue litterario orbe, tum alia infelicitatis fragilitatisque præſagia obſeruari poſſunt, tum quædam *Ratio ſtatus* conſpicitur, de qua nunc amplius, diſſeremus. Placuit enim hoc nomen conſuetudinis & comparationis gratia retinere: quo Itali primum *ſalutem & neceſſitates reip.* honeſtamque adminiſtrationis ciuilis συνυπόκρισιν videbantur denotare: niſi quod mox infames ab Etruria artes, totumque κακοπραγμοσύνης πολιτικῆς commentum, decoro in ſpeciem vocabulo cœpit inuolui. quo luſu in hunc diem, quæcunque parandi, retinendi, intendendi dominatus ergo, citra aut contra ius & fas, per vim aut dolum geruntur, hoc mangonio publice exponuntur, hoc titulo in vulgus obtenduntur. Cuius conſuetudinis incrementa, certiſſima ſunt rei & vtilitatis publicæ decrementa. quæ nullibi magis deprehendas, quam, vbi ad felicitatis & potentiæ ſummum ſceptra peruenere. Eius rei ſimilitudinem & fata, vt ſic dicam, παράλληλα vt in doctrinarum ſcholarumque ſtudiis reperiamus, ante omnia cognoſcendum eſt, *an hoc tempore quædam litterarum ἀκμὴ, ſtudiorum excellentia, eruditionis principatus, in orbe Europæo vigeat.* Quod omnino affirmauerim. Eamus per præcipuas eius prouincias. Hiſpania haud dubie ſatis litterata eſt: Gallia ſuperioris ſæculi memoriam doctis viris illuſtrauit, nec adhuc ſuæ laudi impar amat cenſeri. Eadem Italiæ conditio: quæ & ipſa non quidem vetuſtiſſi-

mam

mam,ſed veterem quam reſtauratis litteris meruit gloriam nondum plane dememinit. Anglia & Hibernia ſupra priſtinam ſortem longe longeque caput extulere. Dania & Noruegia toto niſu ad maiora graſſantur: Suedia, numquam litteris cultior fuit: nec fortaſſe Polonia. Belgium ad inuidiam vſq; floret ſtudiorum varietate & nobilitate. Et quid Germaniam noſtram omitto? quam licet omni ſæuitia Martis furor attaminauerit, conuulſerit, imminuerit, nondũ tamen penitus *ruit alto à culmine Troia:* ſed perſtat adhuc quoddam doctrinæ faſtigium ſiue ἀκροτήριον, quod partibus circumcirca incendio ambeſis aut corruptis, veluti miraculo ſeruatum, oſtentui iuſſit eſſe gentibus Deus immortalis, vt diligenter ac cum mora priſtini fati exemplum pariter & orbem, ferme impletum contemplarentur atque obſeruarent. Id quod facile æſtimant, qui viros doctos non conſuetudine & opinionibus vulgi, ſed facta prudenter donorum operumque, quibus tractandis diuinitus admouentur, tum diſtinctione tum comparatione & coniunctione, didicerunt iudicare. De ſcholarum multitudine aut paucitate nihil hic dicemus: quarum & abuſus, vbi crebræ ſunt; & exempla induſtriæ, vbi rariores, ambiguam æſtimationem faciunt, cum de fati litterarii ſumma & profectu quæritur. Si ad inſtrumenta litterarii nominis & paratum attendimus: ſuperbit magnifice Bibliothecis Italia, præſertim poſtquam ſpoliis Germaniæ (quam alias contra plerorumque laudes poteramus nominare) priorem pompam amplificauit: æmulatur id inſtitutum Anglus; ſequitur, ſed vt properet antecedere, Gallus; cum quo Belga concertat. De ipſa doctrinarum copia, perfectione, plenitudine quid dicemus? nonne ad magna & celſa & ſplendida peruenere? Quod cum dico, non obliuiſcor eorum, quæ inter excolenda potius quam excul-

exculta ſunt: non eorum, quæ partim non tentata, partim vix tentata, partim tentando intricata, meliorem fortunam adhuc expectant aut ſperant, aut ne ſperant quidem. Quorum quantus ſit numerus, ſoli ignorant, qui ſolida omnium ſtudiorum principia & fundamenta ignorant. Verumenimuero perfectam omnibusque abſolutam numeris eruditionem non habuit hic orbis, non habebit. neque latere poteſt, cum de ſummis loquimur, vbi & quo reſpectu loquamur. Igitur, prout cœpi dicere, tam florentem ſtudiorum in Europa ſtatum, *ratio* nihil minus quam optima huius aut cuiuscunque alterius *ſtatus*, malo omine inuaſit, hactenusque magno molimine exercet ac debilitat. quæ ſicut ſuperioribus etiam ætatibus obſeruari potuit in iis quæ ſupererant fortunæ publicæ ornamentis, ita nunc alia eiusdem vt fati, ita obſeruationis periodus voluitur, in iis quæ ſuperſunt. Statim enim nobis hic occurrit illud *πρῶτον ψεῦδος*, vt Ariſtotelicam vocem huc accommodem; in quo ceteræ fraudis commenta continentur aut ex eo oriuntur, litteratorum doctorumque Ἀντιτέχνησις. nam & hoc Græcorum lingua dicendum eſt, qui rotunde exprimunt, illam æmulandi aduerſandique circa & propter ſtudia libidinem, affectum, conſuetudinem, artem. Philoſophi ciuiles, cum inter gentes & in publicis rebus talia vſurpantur, *ἀντιπολιτεύεσθαι, ἀντιστασιάζειν, ἀντιπράττειν, ἀντισεμνύνεσθαι, ἀντιδοξεῖν* appellant; & Latine, *aduerſarii in gerenda rep. factioſi, æmuli, inimici, maleuoli, inuidi, obtrectatores, inciuiles, feroces, inquieti* cum ſimilibus titulis, aliquando idem notant. vitium & frequens & diffuſum, & inſidioſum, & propterea plerumque exitioſum. tollit enim de publico, id quod eſt publicum, & quo eſt publicum. Quis itaque non metuat infamem & receptiſſimum hodie morem, quo

ad

ad iniuriam ſtudiorum aut contumeliam ſufficit, *diuerſæ gentis eſſe, aut in diuerſis gentibus litteris ſtuduiſſe?* Namque hæc eſt prima & quaſi *generalis* ἀντιτεχνησις: cuius hypotheſes & arcana hæc ſunt: *domeſtica extollere, externa deprimere*: ibi *figuras, commenta, ſimulacra, inania, ſpecioſa adhibere*; hic *faſtidio, ſupercilio, mendacio, conuitiis, probris Vti*: vtrobique, *nullam obtinendi inſtituti rationem turpem ducere*: denique, *de ſcelere, ſi ocaſio & res ferat, pro populari gloria, Virtutem & laudem redigere*: quod in reipublicæ adminiſtratione non dubitauit Pſeudopoliticorum quidam commendare. Ita Græci quondam (res miſera & mirabilis!) cum haberent haud dubie eruditionis inter populos principatum, ne non viderentur habere, ceteros omnes magno faſtu aſpernati inſectabantur etiam vt barbaros, adimebantque ſingulis, quæ cuique debebatur, laudem, cum ſuam ab omnibus non conſentiri modo, ſed cumulari quotidie cernerent. donec, fato vltionem meditante, in Romanos migrauit tota ſtudiorum felicitas. Sed & hic eodem cauſſarum euentuumque nexu circuloque felicitatem abuſus, & parilis noxa, ream primo, mox exulem fecit. Equidem talio & ius videri poterat, cum Roma contemtoribus Græcis contemtum ſuum regereret: niſi quod prudentum animis altior fati veneratio inſita, quicquid vanitate aut inſolentia fortunam irritare conſueuit, perpetua cautione damnat ac deuitat. Quod ſi ad recentiora oculum reflectimus, quis neſcit quæ iam antea poſui, ſine nomine gentis, crimina? obtrectare inter ſe animo, lingua, calamo; deterere aliena merita, ſibi famam ſtudiorum vendicare: peregrinam gloriam, vbi palam attrectare non licet, triſti ſilentio damnare; aut cum alterius, itidem peregrini, iniuria, tantiſper fateri, dum ipſi inter ſe commiſſi,

nouum detrahendi argumentum præbeant. clarius loquerer, expreſſis titulis, niſi tam inglorii de gloria certaminis adeo me pridem fuiſſet pertæſum, vt inpræſentiarum vel inſtituti dememiniſſe videri malim, quam ea dicere, quæ ingenuis auribus moleſtiam vel ſola mentione poſſint creare. Illud planius eſt, quam vt poſſit negari; indignius, quam vt occultari debeat. Exterorum multos adeo conſpirata ambitione in Germanici nominis inuidiam conſenſiſſe, vt clam palam laudes noſtras imminutum eant. Qui inſulſe & impudenter id agunt, ne mentione quidem digni ſunt. Doctiores autem quis non miretur, cum Germanorum ſcripta oblique & aliquando, vt ſecretius noceant, perplexe arrodunt: cum in aliis, veſtem ſcriptionis accuſant, cuius ipſum corpus & ſolidas vires deberent æſtimare: cum, vbi hac quoque parte ſatisfactum, diſſimulatione tam faſtidioſa peregrinam eruditionem vlciſcuntur, vt quod legerunt, quod vtiliter vſurparunt, nec legiſſe nec vſurpaſſe velint videri: cum in ſuis, vt noua, & ſibi primum obſeruata, edunt, quæ alibi pridem ſunt copioſius & diligentius perueſtigata pariter & in publicum tradita: qualia plura nemo tam obeſæ naris eſt, quin dudum animaduerterit. pæne nominatim prodidiſſem tum alia tum illud inſolentiæ peregrinæ inuidiæque gentilis inſigne ſpecimen, cum in editis alibi Magni viri epiſtolis, quas & ipſe ad alios & alii ad ipſum ſcripſerant, ex *Caſelianis* pluribus ne vna quidem luci reddita eſt. cuius rei cauſſam non aliam fuiſſe, quam quod doctiſſimi viri patria & gens haud placuit, non coniicimus, ſed compertum habemus. Scilicet vrebant ambitioſos ſpiritus luculenta illa dona, quæ Deus opt. Max. non larga tantum manu Germaniæ obtulit, ſed munifica cumulauit. Videbant nuper huius terræ, imperiique incre-

incrementa, imo apicem: ea lumina nolebant suo splendori officere, *hinc illa lacrymæ:* illa iudicii morositas, illa malignitatis machinatio. Hoc loco gratulatione prosequendi sunt Germani & miseratione. facit enim augendæ laudi nostræ, quod gnari fastus talis & toties ad paria prouocati, simplici tamen æstimatione cordatoque animi proposito, alienam gloriam & agnouimus semper, nec parce prædicauimus. quanquam cum huius meriti euentum quærimus, nostra ingenuitate aliorum arrogantiam auximus, atque audaciam nos spernendi intendimus. Dum non pauci callide, candorem Germanorum in occasionem, siue in rationem sui status attollendi trahunt. Sexcenta possent memorari eiusmodi vaframenta, quibus hæc scena instruitur, vt nimirum, quod *Statistis* (concedatur nobis paulisper, vt ita loquamur) proprium & solenne est, *astus astu colatur*, ac persona quam sibi induit illa æmulatio,

——— seruetur ad imum
Qualis ab incepto processerit, & sibi constet.

Disquirat forte hic aliquis de remedio & leuamento huius incommodi. quod si ab illis petimus, qui eandem histrioniam in ciuilibus negotiis exercent, statim in paratu erit vulgatum istud; *aduersus Vulpem Vulpinandum; rationem status, ratione status deludendam; artem arti, fraudem fraudi opponendam: neque aliter hæc sacra constare.* Verum quis non videt, esse hæc dehonestamenta verius quam præsidia Germanici nominis? cum cuius germana indole ac virtute pugnat, quicquid fucatur coloribus, simulacris obtenditur, inanibus emasculatur, vafritie corrumpitur. Quinimo populare candoris decus & Christianam religionis integritatem professos vnum pro omnibus arcanum decuerit; arcanis eiusmodi non indigere

aut

aut delectari Quippe Deum benignissimum & sapientissimum bonorum omnium dispensatorem vnicuique genti sua, nobis nostra dedisse. Quorum certam possessionem & securam apud eos, qui aliena non appetunt, sua non negligunt. neque nostra sane interesse, quid alii nos accepisse autument disputentque, dummodo nos semper meminerimus, quid in acceptis Deo ferendum habeamus. non enim splendori ad exteros aut ambitiosos, sed vsui patriæ & reip. inter Christianos ista destinari. Præter hæc & talia, fortasse & illud in consilii vicem veniat, quod inpræsentiarum me violasse vltro confiteor; dissimulatione & silentio, rem ipsis censoribus & detractoribus nostris quam nobis, si viri sumus & Germani, molestiorem vindicare, adeoque eadem opera gentilem istam ἀντιτέχνησιν à nobis prorsum amoliri. Quanquam ne sic quidem malarum artium finem attigimus: offertur enim nunc genus non minus triste ἀντιτεχνήσεως, quod & ipsum per gentes passim diffusum, nec minus, imo magis etiam priore noxium, *nomen ab ipsis studiorum disciplinarumque nominibus sortitur:* cum scilicet non ὁμότεχνοι modo & idem literarum genus tractantes fiunt & sunt plerumque ἀντίτεχνοι, sed præsertim etiam, *qui diuerso eruditionis opere occupantur, spernunt mutuo & spernuntur, inuident & inuidentur.* Theologi, Iurisconsulti, Medici, Philosophi, Philologi, nomina sunt non tam artis & scientiæ, quam saluberrimæ societatis & amicæ pro rep. coniunctionis: sed *ratio illa status*, quæ cum ambitione in studia irrepsit, factionum & partium titulos facit. Quemadmodum in Ciuitate, magistratuum, dignitatum, potestatum officia atq; iura, non alia magis ratione in distinctionem operis sunt partita, quam vt instituto operis ac fine in vnum conspirent ac collineent. nisi quod, ambitio-

ſa conſilia nunquã patiuntur rempublicam eſſe rem publicam; ſed conſulatum prætura, præturam conſulatu, aut vtrumque tribunatu, aut tribunatum vtroque, & ſic cetera ceteris oppugnant: & dum in ſingulis contentioſe potentia affectatur, vniuerſi corporis vires eneruantur. Indignum factu! ſtudia in mutuas operas nexu naturali deuincta, in amicitiam proprio inſtituto ordinata; in conſenſum ſalutis publicæ Chriſtiana religione conſecrata, tantum à ſe ipſis degenerare, vt in diſſidiorum, æmulationum, cauſſas & artificia non raro valeant. ita perit ſingulis, quod vniuerſos nobilitare poterat, publici actus efficacia & relligio. in cuius locum quid ſuccedat, & quibus rationibus ſuccedat, differo explicare. Nam & atrocia & fœda ſunt, ad quæ deueniunt nonnunquam, qui ex alterius ſtudii ordinisque fama ſibi infamiam, famoſo timore metuunt; aut obliquæ mentis prauitate abrepti publici priuatique obliuiſcuntur, dum libidini ſuæ obſequantur, & obtrectandi cacoëthes expleant. Ac cetera quidem occultius aut inſidioſius geruntur: in humanitatis ſtudia & philologiam, velut agmine facto, palam impreſſio datur, & ne quid ad extremam vim reliqui fiat, linguarum, antiquitatis, hiſtoriæ non triuialis illa, ſed ſeria & curatior tractatio, *ineptiarum*, *quisquiliarum*, *ſtultitiarum* probris à quibuſdam traducitur, adeoque id, quod ſingularis muneris nomine mortalibus ſemper conſueuit imputare ſupremus munerator, iniurio in Deum hominesque faſtu inter reiectamenta deſpectatur. quæ figura tam prodigioſa eſt, vt nullius rethoricæ technologia tropum adeo inſolentem excuſari poſſe pro comperto habeam. niſi quod *Ratio ſtatus*, quam incuſo, vt in ceteris à regula & recto abit, ita nomenclatione plane noua & inaudita plerunque vtitur. Oportet enim vt talia ſint, quæ nouam & ſupra

supra fidem rerum auctoritatem, scientiam, supereminentiam, opinionem cupientibus immensa animis apud homines conciliare debent. Sed, non reuelo τούτου τοῦ παραδόξου τὸ ἐσχηματισμένον, καὶ ὑπερηφανὲς καὶ κρύφιον, καὶ κακοπραγὲς, καὶ τοῖα ἄττα. Properandum enim est ad tertiam ἀντιτέχνησιν: *quæ titulorum est & honoris litterarii.* Cum antiquitus iam obtineret, vt egregii labores, præcipue publici, tum aliis præmiorum generibus, tum quibusdam præmiorum testimoniis & mansuris in meriti honorem cognomentis ornarentur: æquissimum erat, præstantissimis quoque laboribus & vtilissimis (tales autem sunt litterarii) istud decus non denegari. Ea Magistrorum, ea Doctorum, & Licentiatorum, per quos pleraque in studiis hodie geruntur, origo. Salua vtrisque dignitas & tranquilla, si de dignitatis caussâ vsuque constanter cogitassent. sed initium iniuriæ à potentioribus factum. Hi cum plus titulum, quam eruditionem aut merita sua in animo & ore haberent, eademque existimandi ratione erga alios vterentur, cœperunt aliquando viros præstantissimæ eruditionis &, si exciperes minoris tituli insigne, cetera innoxios nec priuatim aut publice male meritos despicere, vexare, subsannare, denique (nam huc summa eius arcani redit) infra fastigii sui maiestatem alte deprimere ac security contundere. quid sibi voluerit amplius istud institutum, nemo nescit. Pupugit ergo cordatorum quorundam indolem: neque ferendum videbatur, honores eruditionis & insignia super ipsam eruditionem æstimari. esse quædam studia, quibus, licet minores aut nullos titulos consuetudo decreuerit, non minor interim labor impendatur, sed nec emolumentum in rep. minus debeatur. aliud in iuuene præmiis donatum, aliud in viro æstimatione & pretio dignum. quot præterea

reperiri, qui, variis de caussis, titulorum insignibus vacui, ingenio, meritis, doctrina, nemini titulis splendido concedant; sed nec raro tales superent. Seruaretur sane gradus, & ordo, & præstantiæ differentia: sed citra iniuriam aut fraudem personæ, functionum, scientiarum, quas nec pendere à nominibus magnis, nec obumbrari debere. Dicemus, hactenus bene philosophatos, qui intra modestiam & testationem suæ iniuriæ substitere. ceteros in vitii alieni, quod damnabant, affinitatem nimium admissus intra præcordia retentusque dolor egit, & de ἀντιπραγίᾳ nequaquam laudabili commonuit. in posterum enim titulos solennes & Academica honestamenta ludibrio vexarunt, risu & satyra notarunt, odiosissimaque abusuum exagitatione rei totius splendorem obscurarunt. Atque hæc secta spernendorum nominũ magnis nominibus se approbasse visa est. inueniasque, qui non parum suæ grauitati se arbitrentur velificari, si festiuis ex occasione dicteriis ceteroque arrogantiæ apparatu, in honestissimos ritus & cærimoniam inuehantur. Quare duo potissimum assequi contendunt: vt aduersarios, quos sibi constituere, premant & possessione solitæ laudis depellant; tum vt declinando in extrema, dum longissime ab inuidiosa titulorum affectatione & vsurpatione videntur remoti, non tam nullis quam aliis nominibus gloriam sibi comparent. Quali ferme astutia, Augustus cũ Dictatoris & Regis & Domini honores ac iura reapse obtineret, diligentissime & cum auersatione nomina ipsa abnuit, diuersissimoque principis vocabulo vim dominationis totam corripuit & complexus est. Notari procul dubio pridem potuit, me in euoluendis magni illius sophismatis litterarii, quod ἀντιτεχνήσεως appellatione hactenus indigitaui, artibus, calliditatibus, adminiculis, subsidiis,

momen-

momentis denique illius ϛάσιως ἀνζῤῥόπȣ, festinanter, adeoque parce ac obiter versari. Imperat mihi hanc rationem dicendi, temporis angustia, argumenti amplitudo, vestrarum aurium reuerentia, quæ diutius detinendæ non sunt aut delassandæ. Alias per hoc vestibulum ingressi, litterarios statistas (perseuerabo enim ita loqui) in ipsis conciliabulis suis & adytis, inter arcanas callidasque prouisiones, & immanium molitionum meditamenta poteramus deprehendere. Pompeium alicubi & Cæsarem, quorum nec ille parem, neq; hic posset superiorem ferre, suæ furiæ exercerent, atque ad obtinendum per miras artes eruditionis in regno litterario principatum, siue eius famam stimularent. Alibi cerneremus ingens & prodigiosæ molis cœptum, cum insolentissimæ atque violentissimæ πανεπιϛημοσύνης titulo & imagine assumta, aliquis audacia pro iure vsus, omnes doctrinas, scientias, artes repentino & arbitrario dominatu terreret aut attentaret. cui consilio quod comparem non reperio aliud, quam infaustum illud infestumque Hispanicæ Monarchiæ idolum, quod terriculamento gentium prostituere sategerunt, qui omnium & rerum & hominum Dominum esse Hispanum, turpius an superbius aut iniquius, non dixerim, iactitarunt. Licuisset quoque eruditorum qui vsquam sunt, vnam veluti ciuitatem constituere: ponere in ea ordines; distinguere senatum, notare equites, præficere magistratus, partiri populum. in hac equiti sua aduersus Senatorem, huic aduersus illum & populum arcana; in hac, essent, qui exemplo Octauii Romani, modo senatus modo populi fauorem indeque potentiam ambitiose affectarent; qui cum Curione procellas populares excitarent, cum Cæsare senatui imponerent, cum Tiberio omnes ordines simulacris & inanibus suspenderent

& à ſenſu eius, quod ageretur, diuerterent. Nec diſconuenirent inſtrumenta, quibus quiſq; ſpei ſuæ tenderet. Satellitum numerus & nationes & artes: iactæ in vulgus voluptates & ludicra & miſſilia, quibus pleriq; hodie ſupra doctiſſimorum præconia prouehuntur. grandia nomina, ſpecioſi prætextus; magnifici oris ſpiritus, & aliquando non minores minutiloquii inſidiæ. inita, quoties conduceret, cum impiis federa, reſciſſa apud bonos. blanditiæ apud ſimplices; minæ apud viuidos & erectos. ingentia magnorum & vtilium operum promiſſa, quæ ne attrectare quidem deſtinauit interim promiſſor. publica altercatio: inteſtina bella, clades, tumultus. pax rurſum, & in ea technæ armorum. Huius generis pleraque ad inſtituta & exempla Politicorum, quibus occulta & vafra, qualem Florentinus veterator non formauit (quæ enim reſp. non ſenſit hanc labem?) ſed in publico laudauit, *ratio ſtatus* tanquam artis compendium placet, poſſent non inconcinne examinari contendique. vt intelligeretur denique atque iudicaretur, de fato totius ſtatus litterarii: cuius dum intima hic morbus peruaſit, quod proximorum præſentiumque documentis temporum liquet, prudentibus non immerito ſuſpecta eſt futurorum conditio & formidoloſa. quam diuinationem vt plane patiantur irritam eſſe, prodigia noſtræ, euenta antiquioris ætatis, valde veremur. præſertim cum accedat inſaniendi pereundique obſtinatio, iuſtaque & certa Dei talia auerſantis indignatio. quæ rerum quarumcunque ſtatum ſolenni lege & more conuertit aut ſubuertit, quoties *peruerſa illa ratione gubernandi ſtatus* irritatur. Quod ſi enim aliquis mori potius hominum & conſuetudini artium iſthæc tribuenda, adeoque nulla hinc maioris rei autumat præſagia petenda, is mihi negligentibus & imperitis in

in ſcena ſpectatoribus ſimilis eſſe videtur: qui inter
dramatis actum non cogitant de dramatis κα-
ταστροφῇ, & in ipſa cataſtrophe actum omnem iam
dememinere. Sed nec proxima & quæ in parti-
bus geruntur ſuffecerit cordato ſapientique viro ob-
ſeruare. licet enim ſingularum gentium, ciuita-
tum, locorum fortuna, multa trahat ex cauſſis & ſi-
militudine Vniuerſalis fati: longe tamē alia & altior
philoſophia eſt, quæ ſummas rerum & contextum
illum ampliorem complectitur. ex quo plenius ni-
mirum & vberius de diuinæ prouidentiæ operi-
bus, de diuinorum operum prædictionibus, de to-
ta denique prudentia iudicium fieri poteſt, & ac-
quiri diſciplina. Fueritque hæc veluti Academia
prudentiæ; ſicut inferiotum ſcholarum & particu-
larium, quas vocant, in rerum particulis cognoſcen-
dis imago quædam ſtatui poteſt. Sed nos manum
de tabula: in qua rudes & primores tantum li-
neas ſignauimus: *incedere in re litteraria & ſcho-*
laſticaprauum morem, & peruerſam ſtatus tam
nobilis agendi rationem, publico inimicam, priua-
ta cuiusque libidini opportunam, plenam ſuperbia,
inuidia, æmulatione, arrogantia, vecordia, iniuria,
calumnia, iurgio, ceterisque malis, adornata in di-
uerſos vultus ſpecie vafre diſsimulatis, eoque no-
centioribus. cuius lex ſuprema ſit, aduerſari mu-
tuo & ἀντιπράττειν. ita conuelli inteſtino vulnere ſo-
cietatem doctrinarum & firmitudinem regni lit-
terarii: quod & ample diffuſum, & ſplendide au-
ctum ornatumque, dum malis artibus regitur, ſin-
gulare periculum & conuerſionem minari: præſer-
tim cum magnitudo per ſe oneroſa ſit & lubrica
& ſæpius fatalis. Faxit æternus Vniuerſi fati lit-
terarii moderator, vt ἀντιτέχνησις tam ominoſa & ἀντι-
πραγία (quam paganiſmi Characterem & veluti no-
tam propriam Sancti quondam Patres indigitarunt)

ex orbis Christiani visceribus bonæ piæque mentis artibus expellatur [1], supremaque doctorum & nostra ratio status sit, status inquam administrandi, tuendi, firmandi, amplificandi; *Deum nostri status auctorem venerari, & rectorem inuocare, & inspectorem reuereri, & iudicem metuere.*

Atque hæc hactenus de fato studiorum statuque Litterarum, sine cuiusquam obtrectatione dicta, Bonorum virorum iudicio, cui omnia submittimus, vel cadent vel stabunt. Fortassis nec plane inualida ad veniam *egreßioni* impetrandam apud homines moderatos ratio erit, si existimabunt, id quod res est: me quacunque occasione, iuuentutis animos à liuore, ambitione, ac contentionibus sæculi, ostensa tanti mali deformitate, reuocatos, retentosque cupere.

1, 17, 7 *Sequitur, vt frequens ac mobilis transitus max. perfecti operis impedim. sit*) *Lipsius, indicamentum* volebat; eo quod perfecti iam patratique operis nullum possit esse impedimentum. Sed omnino non est tentanda hæc lectio, qua *Velleius* nihil aliud, quam id exprimere studuit; *dum homines, desperātes æmulationē perfecti iam ab alio operis, alias sibi vias subinde quærunt, fieri, vt perfectioris operis gloria hoc pacto relicta diuturna non sit:* cum alias, si præclara ingenia *perseuerarent in eo eniti, in quo iam alios vident excelluisse, directa hæc ad perfectionem operis vel conseruandam vel ornandā via foret.* Est ergo *impedimentum perfecti operis* hoc loco, *detrimentū*, quo perfectio alicuius rei debilitatur, quo ἀκμὴ ad παρακμὴν inclinatur, adeoque fastigium & præcellentia illa, quo minus æqualiter se & constanter habeat, impeditur.

1, 18, 1. *Transit admiratio ad condit: temp.*) *Lipsius & Schegkius* rescribunt: *Transit admiratio a conditione temporum & ad vrb.*

Vna

Vna Vrbs Attica pluribus annis eloquentia, quam Vn. Græc. Vberiusque floruit) pro *operibusque Lipsius* reposuerat, *Vberiusque*; bono concinnoque sensu. quem non dubitauimus in textum recipere, Quanquam *Acidalius* existimauerit *eloquentiam Atticorum*, cum *operibus ceteræ Græciæ* i. e. rebus gestis comparari; idque tanta fiducia, vt dicat: *Ni mea scriptura verior est, pignus dabo in omnes fortunas meas.* Periculose locutus esset, si quis impetum animi suis coniecturis nimium fauentis, pro ratione accepisset. Quis enim ex toto contextu non videt, ingeniorum tantummodo & studiorum, non etiam operum fieri comparationem? Mihi satis liquet, & contentionum minus & plus auctoritatis in his studiis fore, si pars φιλολογίας ϛοχαϛικὴ, modestius (sine præfidentia, supercilio, contemtu aliorum, arrogantia) tractaretur. Nam certitudinem suarum coniecturarum deierationibus confirmare & iactantia, quam sit anceps, ratio cuiuis, & exempla monstrant eorum, qui valde infeliciter *ex incertis certa facere* se posse crediderunt.

adeo vt corpora gentis illius separata sint) si abesset verbum substantiuum, melius processuram sententiam *Gruterus* existimat.

ingenia solis Atheniens.) *Iustin.* 2, 6, 6: *Literæ certe ac facundia, & hic ciuilis ordo disciplinæ, veluti templum Athenas habent.* vbi *annotata Berneggeriana edit.* vid.

1, 18, 3. *Quæ vrbes, & multa alia.*) Non existimandum est, illa verba (*& multa alia*) plane irreptitia esse. fuit enim in *msc.* & *initalia.* ex quo nonnemo fecit, *& multa alia.* Quæ coniectura licet nemini possit vsquequaque probari, tamen nec illa parum difficultatis in sensu adfert, si retineamus: *& in Italia*, vel: *vt in Ital.*

Nam Aclmana Lacones falso sibi vind.)

Alii *Lydum* fecere. Quam litem dirimit *Cl. Salmasius exerc. Plin. c.* 40. *principio 2 partis*, ex veteri epigrammate, quod ap. *Plutarchum* περὶ φυγῆς extat, vnde patet *Lydium* origine parentes Sardibus oriundos habuisse, sed *Spartæ* educatum, eoque nomine *ciuem Spartæ* habitum fuisse.

IN POSTERIOREM VELLEII LIBRUM

NOTÆ.

2, 1, 1. *Potentiæ Rom. prior Scipio* &c. *aper luxuriæ posterior ap.*) Inter eximia Historici munia hoc quoque numerauerim; *cum temporis euentuumque serie, fatorum publicorum seriem connectere, præcipuaque cumprimis momenta tam incrementorum quam decrementorum pragmatica demonstratione signare.* Est autem valde celebris apud Scriptores passim hæc inclinatæ Rom. fortunæ, vt sic dicam, epocha, *Excidium Carthaginis. Plinius* 33, 11 plane ad Nostri mentem: *Pariter luxuria nata est & Carthago sublata: ita congruentibus fatis, vt liberet amplecti vitia, & liceret peccare ex dignatione. Florus* quoque *à Carthaginis, Corinthi, Numantiæque excidiis* omnia retro sublapsa notat 3, 12, 3. Atque ita factum est, quod prudentissimus *Scipio Nasica* præuiderat, cum excidium Carthaginis dissuaderet: *ne metu ablato æmulæ Vrbis, luxuriari felicitas Vrbis inciperet, ap. Flor.* 2, 15, 5 vbi *Freinsh. annot.* Non incommode extuleris rationem Nasicæ verbis *Alcibiadis apud Thucyd.* 6: τὴν πόλιν, ἂν μὲν ἡσυχάζῃ τρίψεσθαι τε αὐ-

τὴν

τὴν περὶ ἑαυτὴν, ὥσπερ καὶ ἄλλό τι, καὶ πάντων τὴν ἐπιστήμην ἐγγηράσεσθαι. ἀγωνιζομένην δὲ ἀεὶ προσλήψεσθαι τὴν ἐμπειρίαν, καὶ τὸ ἀμύνεσθαι οὐ λόγῳ ἀλλ' ἔργῳ μᾶλλον ξύνηθες ἕξειν παράπαν δὲ γινώσκω πόλιν μὴ ἀπράγμονα τάχις' ἂν μοι δοκεῖν ἀπραγμοσύνης μεταβολῇ διαφθαρῆναι. *fore, vt ciuitas, si otiosa sit, in se ac per se atteratur, vt alia multa, omniumque adeo disciplina consenescat. at per certamina fore, vt assidue proficiat experientia, tuendique se sciaentiam non verbis sed reipsa consuetam habeat, denique sic sentio: ciuitatem negotiosam in otium mutatam, confestim, meo quidem iudicio, destrui.* *Augustin.* 3 *de C. D.* 21: *Vltimo bello Punico vno impetu alterius Scipionis, qui ob hoc etiam ipse Africani cognomen inuenit, æmula imperii Romani ab stirpe deleta est. ac deinde tantis malorum aggeribus oppressa Romana Respublica, vt prosperitate ac securitate rerum, vnde nimirum corruptis moribus mala illa congesta sunt, plus nocuisse monstretur, tam cito euersa, quam prius nocuerat tam diu aduersa Carthago.* Adde cumprimis, quæ 2 *de C. D.* 18 ex Sallustio disserit. Hoc voluit in subtili sententia *Sallustius Catil.* 2: *Quod si regum atque imperatorum (gentiumque) animi virtus in pace ita vt in bello valeret, æquabilius atque constantius sese res humanæ haberent, neque aliud alio ferri, neque mutari ac misceri omnia cerneres.* scilicet bellorum discrimine motuque acuuntur ingenia hominum, securitate pacis resoluuntur: aduersis virtus intenditur, rebus prosperis negligitur. itaque ergo *fortuna cum moribus mutatur.* in quo *Sallustiano* dicto vera & præcipua caussa omnis fragilitatis, mutationis, conuersionis in rep. continetur, vt plane cæci sint existimandi, qui forte casuque talia euenire, aut necessitate inuidiaque fati (sicut ausi sunt olim loqui) humanis rebus immitti credidere.

remoto Carthaginis metu) dignum eſt, quod ſeorſim inculcetur Iuuentuti, Diuinæ Prouidentiæ conſilium. quæ potentiſſimas quasque gentes alia veluti oppoſita potentia, i. e. *metu* alienæ virtutis opumque in officio continet. Egregie *Thuanus lib.* 1: *ita diuino conſilio prouiſum arbitror, vt tot magni principes eodem tempore orbem terrarum moderarentur, vt quisque eorum æmulatione aut metu æmuli in officio ſe contineret, & alterius virtus contraria alterius virtute, quo minus licentioſa euagatione ſe effunderet, inhiberetur.* Hoc ἀντίῤῥοπον & ἰσόῤῥοπον non vna ratione inclinatur. interdum enim æmulorum alter, cuius vitia iam inualuere, Deo vltionem immittente, ab altero opprimitur; interdum impotentiam impotentia, vitia vitiis puniri cernimus, ita tamen vt paulo poſt oppreſſor flagitioſus opprimatur & ipſe. qua de re nunc non eſt amplius dicendum.

2, 1, 2 *Tum Scipio Naſica in Capitolio &c.*) præludia hæc fuiſſe ſecutæ luxuriæ, interpretatur *Lipſius*: quippe quæ non *ad tempus ſublatæ Carthaginis*, ſed *ad remotum Carthaginis metum* pertineant. Atqui *Velleium*, non aliud *remoti metus* intelligere tempus, quam *exciſæ Carthaginis*, nimis clarum eſt. Fuerit itaque alia ratio quærenda, & fortaſſe ex ſequentibus: è quibus ſatis patet, Scipionis & Metelli opera *non ad luxuriam, & degenerantis diſciplinæ vitia*, ſed *ad publicam magnificentiam*; ſine notatione vitii, referri: ſimul tamen inſinuari, facilitatem & occaſionem è magnificentia in luxuriam prolabendi, de qua mox dicetur.

publicamque magnif. ſecuta priuata luxuria eſt) Inſigni ſententia & obſeruatione hoc à Velleio iudicium additur. cui geminum eſt illud *Taciti* 3 *A.* 55, 2: *Dites olim familiæ nobilium, aut claritudine inſignes, ſtudio magnificentiæ prolabebantur.*

bantur. Scilicet, dum in decus gentis ac Vrbis suæ certant magnificentia illustres viri, paulatim ad luxuriam peruenitur, praua imitantium æmulatione, qui publici decoris laudem parum intelligentes aut curantes priuatim affectant, quæ nisi publica sint, laudari non possunt. Qua in re, magno rursum exemplo monemur, quam difficulter ferat magnarum opum felicitatem humanus animus.

2, 1, 3 *Triste deinde & contumelios. bell. in Hisp.*) *Flor.* 2, 17, 15, *quique ibi Camertis industria indicantur Scriptores:* præsertim *Appian. Hispan.*

Fraude magis, quam virtute Cæpionis) Merito perstringit *Velleius* degenerem & illicitam Cæpionis fraudem in tollendo Viriatho. nam hæc talia non possunt iure armorum tegi sed inter flagitia belli numerari debent. Videndus H. *Grotius de iur. bell. & Pac.* 3, 4, 18 *cum annotatis in nouissima editione.*

Numantinum grauius exarsit &c.) *Flor.* 2, 18, vbi *Camers* & *Freinshemius* plures annotarunt huius belli scriptores.

2, 1, 4. *Hæc Vrbs nunquam decem millibus plura*) *Vrsini* est egregia hæc emendatio, quam in textum recepi. *Lipsius* & *Acidalius* è vulgata, *Nunquam X millia plura, quam propria iuuent. fecerant:* *Nunquam plura, quam X millia.*

Ad turpissima deduxit federa, nec minus turpia & detestabilia &c.) *Numantinum fœdus horrenda ignominia maculosum* vocat *Augustin.* 3. *de C. D.* 21. *Quintilianus* etiam *l.* 3, 8, inter ea refert, *quæ, qui turpia esse dubitare non possunt, vtilitatis specie ducti probent.* Talia plura apud Auctores paulo ante laudatos.

Sed Pompeium gratia impunitum habuit, Manc. verecundia &c.) Si vellemus hunc locum distinctione quadam corrigere (*sed Pompeium gratia*

tia imp. habuit. Mancinum Verecundia q. n. rete huc perduxit &c.) in ſenſu quidem nihil erit incommodi, ſed illud (*quippe non recuſando*) valde inficeto maleque cum textu cohærenti gloſſemati comparandum erit. Poſſet itaque fortaſſe lectio vſitata prorſus tolerari. At, inquis, *quomodo* impunitus *diceretur, qui hoſtibus deditus eſt*? Quia 1 in illa deditione non receptus, 2 priſtino honori reſtitutus; 3 ad nouos honores admiſſus eſt, 4 adeo vt nec ipſe pœnæ loco duceret eam deditionis contumeliam; quippe qui *eodem habitu ſibi ſtatuam inſtituit, quo deditus eſt*, annotante *Plinio* 34, 5. *Verecundiam* Mancini, quam *Velleius* vocat, id eſt, agnitionem culpæ & voluntariam ſuſceptionem pœnæ, laudat ac explicat *Cicero* 3 *offic.* 30: *Mancinus, Vt Numantinis, quibuſcum ſine ſenatus auctoritate fedus fecerat, dederetur, rogationem ſuaſit eam, quam L. Furius & Sex. Atilius ex SC. ferebant; qua accepta, eſt hoſtibus deditus. Honeſtius hic quam Q. Pompeius; quo, cum in eadem cauſſa eſſet, deprecante, accepta lex non eſt.*

quem illi recipere ſe negau, dicentes, public. Viol. fid. &c.) Valuiſſet hæc ratio, ſi Numantini, legatis miſſis, cum S. P. Q. R. de pace ac federe egiſſent. nunc nemo ciuis pro populo ſpondere potuit. Conſulendus eſt *H. Grotius de iur. bell. & pac.* 2, 15, 16.

2, 2, 1. *Quippe Tib. Grachus &c:)* De hac ſeditione vid. *Flor.* 3, 14, *nominatique à Camerte Auctores.*

2, 2, 3. *Omnibus ſtatum concupiſcentibus) Lipſius*, ad leges retulit hæc verba, emendauitque, *omnium ſtatum concutientibus*: cum præſertim, de Caio Gracho etiam *Velleius* infra dicat 2, 6, 3: *nihil immotum, nihil tranquillum, nihil quietum denique in eodem ſtatu relinquebat.* Approbauit hanc

hanc correctionem *Gruterus*. Sed retinui vulgatam Lectionem, cum & infra Noster 2,72,5 dicat: *quippe nullum habentibus statum quilibet dux erat idoneus.* sicut enim ibi proscripti *nullum statum habere* proprie dicuntur: ita hic paupercula & fortunis euoluta plebs, *quasi statu carere, idoque de adipiscendo solicita esse*, diceretur.

colonisque deducendis) *colonisque ded.* legit ex fide historiæ *Lipsius*, vt intelligantur γεωργοί, non ἄποικοι, quibus agri assignati. Ita malim sane, quam cum *Grutero* hic *colonias* pro *colonis*, eodem sensu, accipere.

2, 3, 1. Qui Optimus vir *à senatu iudicatus erat*) *Liu.* 29, 14. it. 36, 40. *&* alibi. elogium *quod sibi quisque mallet, quam Vlla imperia honorosue suffragio seu patrum seu* plebis delatos, sicut recte iudicat *idem scriptor*.

Scipio Nasica, nepos eius, qui optim. Vir iud.) Quid ergo sibi *Vult Vetus Scholiastes Iuuenalis* dum ad Sat. 3, 137,

Da testem Romæ tam sanctum, quam fuit hospes
Numinis Idæi,

ista annotat? *Scipio Nasica, quem propter probitatem Vitæ senatus elegit, Vt simulacrum matris Deûm de Phrygia allatum domi suæ haberet, dum ei templum fieret. Hic est Scipio, qui oppressit Tiberium Gracchum, leges agrarias fere conantem,* Certe non hic erat, sed eius nepos, vt recte Velleius.

patriam cognationi præferens &c.) Non opus est in *campum Rhetorum* excurrere: qui certatim & pleno ore passim hunc locum tam plausibilem pertractant.

ob eas Virtutes primus omnium abs.) nulla necessitate adigebamur, vt cum *Aldo & Acidalio* rescriberemus, *ob quas.*

circun-

circundata læuo brachio tog. lac.) communi consensu doctorum valuit hæc emendatio, cum fuisset, *cum data*. caussam huius habitus reddit triplicem *Appian.* 1 *bell. ciu.* siue *quod voluerit multitudinem ad se hoc signo contrahere*; siue *pugnæ ceu tesseram proferre*, siue *reuerentia deorum sua cœpta velut obtegere*. Quartam ex *Plutarcho* colligas: vt *facilius per obuios perrumperet hoc habitu*, quo & ceteri eum sequebantur.

Qui saluam vellent remp. se sequerentur) Ita *Aurel. Victor* exprimit 64: *sequi se iussis, qui saluam remp. vellent* & *Valer. Max.* 3, 2, 17: *Qui remp. saluam esse volunt, me sequantur*. *Appian*: 1 *bell. ciu.* ἐβόα ἕπεσθαι οἱ τοὺς ἐθέλοντας σώζεσθαι τὴν πατρίδα. *Plutarch. in Gracch.* οἱ βουλόμενοι τοῖς νόμοις βοηθεῖν, ἀκολουθείτω. Haud dubie autem respicitur his verbis ad morem & solennia *decernendi præsentioris in vltimis casibus auxilii*, nimirum *ne quid resp. detrimenti caperet*. quale decretum à ceteris senatoribus postulatum esse, diserte testatur *Valerius*: cunctis censentibus, *vt Consul armis remp. tueretur* (eadem enim vis est huius sententiæ, ac si dixisset, *videret consul ne quid resp. detrimenti caperet*, confer *Sallust. Catil.* 29, *Cæsar.* 1 *bell. ciu. Cicer. orat. Catil.* 1 *c.* 1 & 2 *Dion.* 48.) *negauit Scæuola se quidquam vi esse acturum*.

2, 3, 3. *Hoc initium in vrbe Roma ciuil. sang.*) Egregia obseruatio, de noxa exempli, cum designatione fatalis periodi, vnde perpetua certamina ciuilia vsque ad conuersum reip. statum licet numerare. Plane in hunc modum *Plutarchus*: ταύτην πρώτην ἱστοροῦσιν ἐν ῥώμῃ στάσιν, ἀφ᾽ οὗ τὸ βασιλεύεσθαι κατέλυσαν, αἵματι καὶ φόνῳ πολιτῶν διακριθῆναι. τὰς δὲ ἄλλας οὔτε μικρὰς, οὔτε περὶ μικρῶν γενομένας, ἀνθυπείκοντες ἀλλήλοις, φόβῳ μὲν οἱ δυνατοὶ τῶν πολλῶν, αἰδούμενοι δὲ τὴν βουλὴν ὁ δῆμος, ἔπαυον. Pertinet huc eximius

locus ex oratione *Cæsaris* apud *Sallust. Catil.* 51: *omnia mala exempla ex bonis initiis* orta sunt: *sed vbi imperium ad ignaros, aut minus bonos peruenit; nouum illud exemplum ab dignis & idoneis ad indignos & non idoneos transfertur.* Vide omnino, quæ sequuntur, vbi exemplis illustrat, *exempla non consistere ibi, vnde cœpere*; sicut Noster loquitur.

2, 4, 1. *Aristonicus mentitus regiæ stirpis origin:) Flor.* 2, 20, 4 *regii sanguinis iuuenem* vocat. Quod de *origine extra coniugium, adeoque de filio naturali* Eumenis accipiendum est. nam *Velleius de legitima & ciuili ratione stirpis* sentiens, merito *mentitum* ait *regiam stirpem*, vt Asiam, *veluti paternum regnum* inuaderet natus ex pellice. vide *Iustin.* 36, 4, 6.

mortuo Rege Attalo, à quo Asia P. R. hereditate relicta) Itaque Romani se iustissimo titulo possidere Asiam gloriabantur. Et sane, *alienari quadam imperia posse* exemplis compluribus (inter quæ etiam hæc nostra) ostendit H. *Grotius de iur. bell. & pac.* partim 1, 3, 12, partim in *Annotatis* ad illum locnm.

Is victus à M. Perperna ductusque in triumpho sed M. Aquil.) vt historia congruat *Aldus & Vrsinus* ita legunt: *is victus à M. Perperna, ductus in tr. à M'. Aquillio, capite pœnas dedit.* Nam historia distincte hæc iubet accipi, *Victum a Perperna, triumphatum ab Aquillio, denique iussu senatus supplicio affectum.* Non abnuerim sane posse eundem sensum *retenta lectione pristina, interpunctione tantum immutata paululum*, obtineri; quod valde probabiliter eruditorum nonnemini placet. propior interim sum existimanti, locum corruptum esse. Licet enim rectissime ita possit dici, *ductum in triumpho M. Aquilio*, in tertio casu pro à *M. A-*

quilio ductum &c. obseruo tamen, illam loquendi formulam in locis Auctorum sanis *clarius & concinnius* tum verborum concurrentium, tum contextus coalescentis respectu vsurpari, quam *Velleius* hic poneret. qui certe, quantum in se erat, non vno modo orationem asperasset & obscurasset. Ita cum infra (2, 82, 3) legitur: *Hoc M. Antonio acto illis legionibus saluti fuit*; dabunt mihi veniam viri docti, si nunquam persuaderi mihi patiar, Velleium ita scripsisse.

decedentem ex Asia proconsulem) *Liuius, Cicero, Iustinus, Orosius*, *Consulem* vocant: Flor. *pratorem*, 2, 20, 5 vbi *Vineti* annot. vide.

2, 4, 2 *Fortunæ virtutique expertæ in Africa resp.*) Ita *Noster* infra 2, 74, 4 vsus Cæsar *virtute & fortuna* sua. 2, 97, 4 Nero bellum *sua & virtute & fortuna* administrauit. 2, 121, 1 *Eadem & virtus & fortuna* subsequenti tempore ingressa animum imperatoris Tib. fuit. Equidem *hæc duo in ducibus præcipue spectari & coniunctim laudari*, exemplis ostendit P. *Faber Semestr.* 1, 19. Quæ ad excidium Numantiæ pertinent, petenda sunt è scriptorib. supra indicatis.

2, 4, 4. *Quid de Tib. Gracchi cæde sentiret*) Diserte hanc historiam exequitur *Val. Max* 6, 2, 3. adde *Liu. epit.* 59. *Plutarch. apophth.* Quid autem? *iure ne cæsus Tib. Gracchus, sicut existimauit Scipio*, qui & apud Numantiam statim cum inaudiuisset de exitu Gracchi, Homericum illud protulit:

ὡς ἀπόλοιτο καὶ ἄλλος ὅτις τοιαῦτά γε ῥέζοι? Auctoritatis sane non parum est in dicente, siue prudentiam eius spectamus, siue cum Graccho necessitudinem, de qua *Valerius*. Vnde *Martianus Capella lib.* 5. de argumentis agens, *ab auctoritate* peti argumentum, nobili hoc exemplo monstrat: *Africanum dixisse, iure cæsum esse Tiberium Gracchum.*

Dubi-

Dubitandi autem rationem suggerit *Plutarchus*, quod *conspiratione diuitum oppressus sit*: & Noster *Velleius*, qui cap. præcedenti *videtur deplorare hanc cædem tanquam initium ciuilis perturbationis*; & *Fab. Quintilianus*, *qui* 5, 13 *instit. orat. si Nasica post occisum Gracchum defendatur exemplo Halæ, à quo Melius est interfectus*, dici posse monet, *Melium regni affectatorem fuisse, à Graccho leges modo latas esse populares*: *Halam magistrum equitum fuisse, Nasicam priuatum esse*. Excusatur tamen illa cædes & inter exempla præsentius vindicatæ seditionis refertur à Politicis magnificeque commendatur à *Val. Max.* 5, 3, 2, quippe cum de seditioso Gracchi animo factoque dubitari prorsus nequeat. nisi quod hoc ipsum exemplum cautionem debet suppeditare circa seditiones compescendas: vbi in honorem salutis publicæ multa sane seueritas concessa existimanda est, sed seueritas illa nec ab vno in rep. libera pendere debet, nec quouis modo adhibita proderit. Digna profecto morte commiserat Gracchus, atque illa mors, auctoritate supremæ legis, id est, salutis publicæ, citra obstaculum aliarum legum, irrogari poterat: sed à Nasica, non expectato senatus decreto, spreta consulis contradictione, commissas in publica concione ciuium manus esse, id non cariturum praua consequentia, vt loquuntur, multi prudentum, nec citra rationem, verebantur. Pro Scipione equidem est, quod senatores plerique *armis tuendam remp.* censuerant, quibus Consul resistere non videbatur debuisse: sed quædam remedia præsentiora sunt, quam vt illa capiat publicæ tranquillitatis & ciuilis societatis libertatisque teneritudo.

Quorum Nouerca est Italia) vid. Indicem.

2, 4, 5. *Mane in lectulo repertus est mortuus, &c.*) vide de morte tanti viri *Appian. bell. ciu.* 1.

Cic. Læl. 3. *Val. Max.* 5, 3, 2 & 4, 1, 2. *Liu. epit.* 59: Consentiunt omnes in eo, *nefaria vi insidiisque extinctum Scipionem*, quoniam agrariis legibus grauiter aduersabatur. *Ap. Tullium ep. ad Q. Frat.* 2, 3 machinationem eam quæ alias Semproniæ vxori Scipionis tribuitur, Carboni tribuit Pompeius, in illis verbis: *Respondit ei vehementer Pompeius, Crassumq; descripsit, dixitque aperte, se munitiorem ad ad custodiendam vitam suam fore, quam Africanus fuisset, quem C. Carbo interemisset.* Itaque *Nicolaus Loensis epiphyll.* 3, 9 Ciceronem, tanquam contra Historicorum testimonia sentientem operose refutat; studio minime quidem, vt arbitror, necessario. *Primo* enim non Ciceronis ibi sed Pompeii verba habentur. *deinde*, mirum non est, si Carboni inuidia huius necis tribuatur, qui verissimo elogio à *Val. Max.* 6, 2, 3, *sepultæ Gracchanæ seditionis turbulentissimus vindex, idemque orientium ciuilium armorum fax ardentissima* dicitur. ad quem propterea valde credibile est pertinuisse Agrariorum de Scipione per familiares aut percussores interficiendo consilia.

2, 4, 6 *Velato capite elatum*) *Aurel. Vict.* 58: *obuoluto capite elatus est, ne liuor in ore appareret.* vide *doctiß. Kirchm. de funerib. Rom.* 2, 9. Addit *Appianus*: καὶ οὐδὲ δημοσίας ταφῆς ἠξιοῦτο, μέγιστα δὴ τὴν ἡγεμονίαν ὠφελήσας. οὕτως ἡ παραυτίκα ὀργὴ τῆς πρὶν χάριτος ἐπικρατεῖ. καὶ τόδε ὂν τηλικοῦτον, οἷα πάρεργον ἐπὶ τῇ Γράκχου στάσει συνέπεσε. *ne publice quidem funeratus est vir, qui reip. tantum profuerat. tanto plus valuit præsens indignatio quam præterita gratia. atque hoc quantumcunque fuit, auctarium seditionis Gracchanæ fuit.*

Deceßit anno ferme LVI) *Lipsius, Metæ temporum*, inquit, quos Velleius mox ponit, euincunt scripsisse eum LIV. *Antonius Bendinellus* potius sequen-

ſequentia corrigit, & legit, *in quem creatus eſt anno* XXXVIII (*pro* XXXVI, quod in libris erat) *loc. controu.* 8.

2, 5, 1. *Præclara in Hiſpania militia A. Bruti fuit*) *Aldus* recte coniecerat D pro A. legendum. nam quod de adoptantis A. Poſthumii Albini prænomine poſtea ſuſpicatus eſt, merito refutauit *Vrſinus*. *Florum* conſule 2, 17, 12 ibique *Camerti & Freinshemio* annotata. ſicut & de Contrebia, quæ mox ſequuntur, ad 2, 17, 10

2, 5, 3. *Facientibusque omnibus in procinctu teſtamenta*) *Flor.* 3, 10, 12 de *Ariouiſti bello loquens*: *Itaque tantus*, inquit, *gentis nouæ terror in caſtris*, *Vt teſtamenta paſſim etiam in principiis ſcriberentur*. vide *Indicem Vellei*. *Voc. Teſtam.*

Speſque deſperatione quæſita) Nam *ſæpe deſperatio ſpei cauſſa eſt*, inquit *Curtius* 5, 4, 31 vbi *Amiciſſimus Freinshemius Noſter*, plura ad hanc ſententiā comparauit. Verumenimuero de quærenda intendendaque per deſperationem ſpe, duplex eſt conſideratio: *Vel* enim res & locus & tempus admouet deſperationem, & deſperantium animos irritat; *Vel* conſilium ducis vltro deſperationis imagine obiecta militum virtutem extimulat. e. g. Maximos quoſque duces videmus, ea militibus ſuis haud raro mandaſſe, quæ effici poſſe nemo interim militum credebat, niſi quod Ducis imperio etiam cum deſperatione obtemperandum eſſe omnes videbant. ita ſæpe incredibili ſucceſſu res geſta, maximaque moles profligata eſt. Indiget tamen (nam ideo huc digredimur) illa præſentioris conſilii imperiique fiducia, magna cautione. Ratione ante omnia niti debet, non alacritate tantum ac ſpiritu imperatoris. Videndum deinde, an Duci tanta imperii exercendi adſit auctoritas: nam ſi ſolo metu inſtigetur obedientia militum, rem periculi plenam

 duxe-

duxerim. itaque in Heroibus ferme aut viris Heroica fortitudine ac fortuna præditis, hanc vim imperii maiestatemque cum admirabili coniunctam efficacia cernimus. denique facilius in minoribus excusatur id consilium; summam rerum necessitati absque necessitate obiicere, temeritati quam virtuti similius fuerit.

2, 5, 4. *disciplina in Hisp. fuit clarissimus*) *clarissimus disciplina* hic dicitur, qui disciplinam egregie rexit, eoque nomine celebritatem adeptus est. quales locutiones Tacito præsertim frequentissimæ sunt. quanquam hæc talia in *Indicem* potius Nostrum differenda sunt.

2, 6, 1 *Decem deinde interp. qui Tib. Gr. idem Caium*) *Flor.* 3, 15, vbi *Camertis* nota.

longe maiora & acriora repetens) *Lipsius* maluit *acrior*, approbante *Grutero*. sed fortasse nulla ratio est, cur potius id nobis placere debeat, quam *acriora*: sicut intuenti planum existimo esse.

2, 6, 4 *Hunc L. Opimius &c. morte affecit*) Facto sc. SCto, quo iubebatur Cos. Opimius σώζειν τὴν πόλιν ὅπως δύναιτο, καὶ καταλύειν τοὺς τυράννους, siue, vt Latini efferunt, *Videre ne quid resp. detrimenti capiat.* quæ potestas *Dictatoria* est, vt recte animaduertit *Plutarchus in Gracch.* & explicat *Sallust. Catil.* 29 primum consulitum concessa, & vice Dictaturæ postea vsurpata, nisi quod aliquando ad plures magistratus, quam ad coss. pertinebat, sicut ex *Iul. Cæs.* 1 *bell. ciu.* intelligimus. Quod consilium veluti arcanum tuendæ aduersum seditiosos publicæ maiestatis, laudat *Cic.* 1 *Catil.* 2.

2, 6, 6 *ceruicem Euporo seruo præbuit*) *Aurel. Vict.* 65 *Vel sua vel serui Euphori manu interfectus.* *Plutarchus Philocratem* vocat hunc seruum, cuius, Domino superuiuere non sustinentis, fidem itidem commemorat.

236 37

2, 6, 7 *Mira crudelitate victorum*) quam & Plutarchus perstringit licet enim aduersum perniciosos ciues nihil crudeliter fieri posse videatur, tamen diligenter considerandum est quid populi animos vel in præsens specie supplicii vel in posterum memoria nobilitatis & miseratione irritare possit. Ex temporis consideratione, ceterorumque momentorum ita loquor. Erant enim tum tanta publicæ lateque fusæ consternationis mala operienda potius moderatione, quam ostentanda terrore. Alias scimus in Maiestate Reip. vindicanda non inutiliter vsurpari acerbitatem suppliciorum & contumeliam.

2, 7, 1 *Qui si ciuilem dignit. concup. modum*) vide *Charact. Vellei cap.* 5.

2, 7, 2. *Quem pater legatum de conditionibus miserat*) & quidem altera vice: cum demum Opimius in vincula eum dedit. Alias rectissime responderat Opimius primæ legationi: *Non per legatos debere ipsos cum senatu agere, sed vt ciues venire ad satisfaciendum senatui & dicendam caussam.* Argumento vere pragmatico, negabat *conuenire iis ius mittendi legatos nuntiosque ad senatum*; quorum tractationem si admisisset, iam de Maiestate publica aliquid imminutum esset, cui ad parendum se sistere vt ὑπεύθυνος πολίτης, non occurrere ad paciscendum debet, quisquis inter ciues & membra ciuitatis cupit haberi. sicut nec ex diuerso ad tumultuantes ciues legatos mitti decorum est Reip. sed nec tales legationes hoc nomine, si proprie loquamur, appellandæ sunt. Egregius est locus apud *Dion.* in *orat. Cic. aduersus Anton. lib.* 45: πῶς μὲν γὰρ οὐκ αἰσχρὸν κήρυξιν ὑμῖν καὶ πρεσβείαις πρὸς τοὺς πολίτας χρῆσθαι; τοῖς μὲν γὰρ ἀλλοφύλοις καὶ ἐπικηρυκεύεσθαι καὶ διαπρεσβεύεσθαι δεῖ πρότερον καὶ ἀναγκαῖόν ἐστι. τοῖς δὲ δὴ πολίταις τοῖς ἀδικοῦσί τι, παραχρῆμα

τὴν τιμωρίαν ἐπάγειν, ἂν μὲν ὑπὸ ταῖς ψήφοις αὐτοὺς λάβητε, δικάζοντας· ἂν δὲ τοῖς ὅπλοις πολεμοῦντας. & quæ ſequuntur. *Quomodo non ſit turpe, præconibus nos & legatis Vti ad ciues? Nam cum extraneus quidem per nuntios ante omnia legatosque agi par eſt ac neceſſarium: Ciuibus autem nefariis pœna ſtatim infligenda eſt; iudicio quidem, ſi ſententias ferre integrum eſt: ſin Vero ad arma confugerunt bello perſequendi ſunt.*

Ceterum hanc necem Iuuenis, quo ſenſu Velleius *ſcelus Vnicũ* vocet, vide *Indic: Vocab. Vnici?*

2, 7, 6. *Et Viſa Vltio priuato odio magis q. publ. Vind.*) Non tam res ipſa & vindicta Gracchani furoris, quam modus vindicandi, quæque acceſſere, citra vindictæ neceſſitatem vſumque, toto hoc capite perſtringuntur. Ita ferme *Salluſtius Iugurth.* 16: *L. Opimius Cos.* C. Graccho & M. Fuluio *interfectis, acerrime Vindictã nobilitatis in plebem exercuerat, Vindictam nobilitatis* vocat & *odium in plebem* innuit. *Debet autem omnis animaduerſio, non ad eius qui punit aliquem, ſed ad reip. Vtilitatem referri,* inquit, *Cic.* 1 *off.* 25. itaque affectus priuati vel maxime hic compeſcendi ſunt.

2, 8, 1. *Cum lis eius quater millib. æſtimaretur*) Adi *Sigon. de iudic.* 2. 27. In ſumma variant: pleriſq; exiſtimantibus ex Cicerone *H-S XVIII. mill.* reſcribi oportere. Nam Fr. Hotomanni coniectura (*quadringent. mill.*) nullo teſtimonio nititur.

Factaque ad conſilium dirig. &c.) Senſus iſte: *quæ quisque feciſſet, ad conſilium & προαίρεσιν facientis, tanquam ad regulam referebantur, delictique æſtimatio non ex modo pretii ac rerum, ſed ex Voluntatis ad pecandum determinatione, Vt ſic dicam,* conſtituebatur. *quid,* ad ſpeciem delicti; *in quantum,* ad modum rei, pretiique pertinet.

2, 8, 2

2, 8, 2 *Non minus cl. ex. F. Flacci filiorum in collegio consulum fuit) An fratribus in eodem ædilium, prætorum, consulumue aut aliorum magistratuũ collegio apud Romanos esse licuerit*, disquirit & postea negat *Langlæus semestr.* 7, 3. nam quod personis, e. g. in gratiam Scipionum concessum sit, in exemplum non trahi, nec ad alias personas produci debere : Et cum *Velleius* notanter limitet, (in verb. *sed alterius in adoptionem dati*) satis planum esse, non eiusdem amplius familiæ censendum, qui adoptione in aliam transierat. *Mutiorum praeturam* diuersa iurisdictio absoluere videtur. Ceterum *Clapmar.* 2, 12 inter *arcana Aristocratica* hoc refert, *ne duo ex vna familia, viuo vtroque non solum magistratus sint, sed ne quidem vno tempore in senatu.*

Quod solis contigerat Scipionibus) sed postea etiam *Lucullorum exemplum* habemus. in *Plutarchi Lencull.*

2, 8, 3. *Minucii è Scordiscis triumphus*) *Sigon: comment. in fast. & triumph. Rom. ad an.* DC XLIII.

2, 9, 1. *Eodem tractu temporum nituerant orat.*) Cum ornamento & vsu scriptionis Historicæ fieri existimandum est, quod clarorum virorum nominibus notitia temporum rerumque gestarum signatur & distinguitur : cum & hoc videatur ad τὸ ὁμοχρονεῖν sua quadam ratione pertinere. *Vid. supr. ad* 1, 17.

2, 9, 2 *Namque Mucius*) *Lips.* & *Manut.* legunt : *nam Q. Mucius*.

2, 9, 4 *Historiarum auctor*) videndus *Vossius de Lat. Histor.*

2, 9, 5. *Eadem ætate fuisse Pomponium*) *sc. Atellanarum scriptorem.* itaque præmittit : *sane non ignoremus*, q. d. dum in his temporibus signan-

dis versor, non omittendus est Pomponius diuersorum quidem studiorum, sed eiusdem ætatis scriptor. *Euseb. Chron.* 1 de iisdem temporibus: *L. Pomponius Bononiensis Atellanarum scriptor clarus habetur.*

2, 10, 1. *Persequamur notam seueritatem censorum*) *Vide* supra 1, 10, 6.

adesse iusserant) *Vid. Indic.*

2, 10, 2 *Eodem temp. tractu & Domitii ex Aruernis & Fabii ex Allobrog.*) *Flor.* 3, 2, & *annot. Freinsh. edit.*

2, 10, 3. *IV ante hunc nobiliss.*) Cum antea fuisset, *Vti ante h. n.* (ex quo alii fecere, *VII ante hunc*) ad historiæ fidem propius, *IV ante hunc*, reposuit. totamque rem valde bonis rationibus probauit *Lipsius*; vt non dubitauerim pro manifesto falsa lectione in textum recipere.

singulis omnino parentibus geniti) i. e. *in Vna familia fuisse quatuor singulis parentibus genitos, ipsosque singulos (nam hoc illud rarum quod intelligit, ex Vnicis Vnicos semper natos) & eos omnes ad consulatum peruenisse, ad triumphum pæne omnes. Lips.*

2, 11, 1 *Bellum deinde Iugurthinum*) cuius scriptores vide apud *Camert. ad Flor.* 3, 1.

Natus equestri loco) alii plerique obscuram originem tribuunt. ipse se *hominem nouum* vocat ap. *Sallust.* 85, in qua eadem oratione cum de fiducia generis, quæ nobilibus adesset, præmisisset, addit: *mihi spes omnes in memet sitæ: quas necesse est & Virtute & innocentia tutari.* Hinc etiam videtur *illud odium inuidæ Nobilitatis in Marium*, rursumque *Marii Vehementia aduersum Nobiles* originem habere.

Quantum bello optimus, tantum pace pessimus) vide *Freinsh. not. ad Flor.* 3, 5, 9, *n.* & adde exemplum

plum *Belonis* apud *Curt.* 6,11,1, qui *manu strenuus, pacis artium & ciuilis habitus rudis erat.*

2,11,2 *Metelli tamen & triumphus*) *V. Sigon. comment. in fast. & triumph. Rom.* ad ann. DC XLIV.

2,11,3 *Quippe intra XII ferme annos h.it &c.*) pro *amplius* XII *Lipsius* rescribit X. quem vide.

Quemadm. Vrbium imperiorumque ita gentium nunc florere fortunam, nunc senescere, nunc interire) cumprimis est erudita & elegans dissertatio *Petri Fabri* 1 *semestr.* 9 qua ostendit vsitatum esse bonis scriptoribus, vt dicant *ciuitates mori, nasci, viuere, reuiuiscere, ægrotare, matresque habere, vt homines.* Apud *Appian*: *Punic.* Scipio deletam Carthaginem aspexisse & fortunam tum huius Vrbis tum Ilii, Assyriorum item Medorum Persarumque fata cum hominum fatis comparasse legitur. ἐπὶ πολὺ δ᾽ ἔννους ἐφ᾽ ἑαυτοῦ γενόμενός τε, καὶ συνιδὼν ὅτι καὶ πόλεις καὶ ἔθνη καὶ ἀρχὰς ἁπάσας δεῖ μεταβαλεῖν, ὥσπερ ἀνθρώπου δαίμονα. *diu multumque cogitans considerabat ciuitates etiam gentesque & imperia mutationibus obnoxia esse omnia, haud secus quam fortunas hominum. Seneca ep.* 71: *Certis eunt cuncta temporibus: nasci debent, crescere, extingui.* & paulo post: *omnes quæ vsquam rerum potiuntur vrbes, quæque alienorum imperiorum magna sunt decora, vbi fuerint, aliquando quæretur, & vario exitii genere tollentur.* Expressit hanc veterum mentem diserte *Thuanus* 1 *hist*: *Etsi non ignorem vt homines, sic imperia nasci, crescere, decrescere, ac tandem mori,* &c: Hoc itaque quod in vrbibus imperiisque videmus accidere, etiam ad familias & gentes, nobilitatisque fata rectissime accommodat *Velleius.* Equidem sicut Deus sæpe vnum aliquem populum ceteris vult & patitur antestare, ita nunquam desunt in populis certæ familiæ, quæ claritu-

dine reliquas multum superent. Sicut item alterius imperii diuturnior est fortuna, alterius breuior: ita nobilitas huius quidem familiæ longissima celebritate perennat; illius caduca gloria est. Talia plura, prorsus congruente parallelismo fatorum, adferre liceret, nisi cuiusuis cogitationi supplere ista facile esset. Præsertim autem notatu dignum est, quod sicut vrbibus imperiisque vel fatalis mors venit, vel violenta ingruit pernicies: ita illustres familias vel fortuita orbitas aut posterorum segnities extinguit, vel tyrannica suspicio & crudelitas perdelet.

2, 12, 1. *Vt præcauentibus fatis*) Satis obscura est hæc ἐπεμβολή, quomodocunque accipiamus. Si enim accipias, *fata iam tum illa inter præsidem & quæstorem necessitudine velut præcauere voluisse futuras discordias & bella ciuilia*: siue, *Lipsiana* correctio(*patriæ cauentibus fatis*)eodem sensu, *aut consulendi* significatu, & ita explicetur, *quasi illis* rerum Marii ope gestarum præludiis veluti ad maiorem Cimbrici belli fortunam ac reip. liberationem consultum Romanis fata voluerint, sicut in descript. bell. ciuil. *Florus actum erat* inquit, *nisi Marius illi sæculo contigisset* (quod tamen durius erit inconcinniusque) non satis apte hærebunt textui illa verba.

2, 12, 2 *Effusa immanis vis Germ. gent. quibus nomen Cimbris ac Teutonis erat.*) Notati huius belli scriptores ad *Flor.* 3, 3. *à Camerte & Freinshemio.*

2, 12, 3. *Cn. Domitius tr. pl. legem tulit, vt sacerdotes &c.*) Pontifex maximus, *& rex sacrificulus & flamines à populo creati, pontifex quidem tributis comitiis, rex centuriatis, flamines curiatis tum cum reliqui sacerdotes à collegiis cooptarentur. quos omnes postea Cn. Domitius ad comitia populi tributa transtulit anno DC LI, Mario & Oreste*

Oreste Coss. quam legem post à Sylla sublatam, & iterum à T. Labieno tr. pl. Cicerone cos. relatam; iterum M. Antonius cos. post Cæsaris Dictatoris necem abrogauit. qua insequenti anno vna cum ceteris Antonianis legibus Sc. sublata, res rursus ad populi comitia rediit. Libuit hæc ex *Sigon.* 1 *de antiq. iur. ciu. Rom.* 19 adscribere.

2, 12, 5. *Hac victoria videtur meruisse Marius, ne eius nati remp. pœniteret, ac bona malis repensasse*) Fortasse facilius legeres: *mala bonis repensasse*, sicut alii loquuntur. quanquam hunc sensum etiam vsitata lectio sustinere potest. Magnum oppido & reip. periclitanti salutare cumprimis facinus: sed quæ merita possunt contra vltimam turbatæ patriæ impietatem nominari? Et si recte rem putamus, plus est quod nocuit patriæ Marius, quam quod profuit. qua de re alibi.

2, 12, 6 *Seruilii Glauciæ, Saturninique Apuleii furor.*) *Camers ad Flor.* 3, 16.

2, 13, 1. *Deinde tribunat. iniit M. Liuius Drusus*) Egregie explicabit *Velleium Florus* 3, 17, nominatique à Camerte scriptores. Iuuentuti hæc scribimus, in cuius manibus versari illum Auctorem scimus: neque nobis repetere libet alibi aliis notata.

2, 13, 2 *P. Rutilium virum non sæculi sui sed omnis æui optimum*) etiam *Liu. epit.* 70 *summæ innocentiæ virum* vocat. *Senec. ep.* 79: *Rutilii innocentia ac virtus lateret; nisi accepisset iniuriam: dum violatur, effulsit.* Esse eundem, quem supra inter Historicos nominauit *Velleius* 2, 9, 4 probat *Gerard. Io. Voss.* 1 *de Hist. Græc.* 22.

In iis ipsis, quæ pro senatu moliebatur &c.) Notabilis est *Sallustii* locus *orat.* 2 *de rep. ord.* *M. Liuio Druso semper consilium fuit, in tribunatu summa ope niti pro nobilitate: neque vllam rem in*

princi-

principio agere intendit, nisi illi auctores fierent homines factiosi, quibus dolus atque malitia fide cariora erant. Vbi intellexerunt, per vnum hominem maximũ beneficium multis mortalibus dari; videlicet & sibi quisque conscius; malo atque infido animo esse, de M. Liuio Druso iuxta ac de se existimauerunt. Itaque metu, ne per tantam gratiam solus rerum potiretur, contra eum nixi, sua ipsius consilia disturbauerunt.

2, 13, 3 *Vt minoribus perceptis maiora permitteret*) In his verbis continetur insigne *arcanum Aristocraticum aduersus plebem* (ita enim respectu latissimi vsus existimo) quod *simulacris imperii* etiam accenset *Clapmar. de arcan.* 6, 14.

2, 14, 1 *Immensa illa & incognita multitudine*) plerique mallent *incondita.*

cultello percussus) *Florus*, quasi de fatali morte, *Drusum*, inquit, *ægrum rerum temere motarum matura, vt in tali discrimine, mors abstulit.* Ceteri tamen percussoris manu (Ciceroni *C. Varius, homo importunissimus*, vocatur) periisse consentiunt. *Senec. de breu. vit.* 6: Disputatur, an *ipse sibi manus attulerit. subito enim vulnere per inguen accepto, collapsus est: aliquo dubitante an mors voluntaria esset, nullo, an tempestiua.* Idem *Consol. ad Marc.* 16 *intra penates interemtum, incerto cædis auctore* memorat.

2, 15, 1. *Quod extra Italiam colonias posuit*) *Sigon. de antiq. iur. prouinc.* 1, 2. Est autem laudabili obseruatione hic à *Velleio* animaduersum & comparatione nobilium exemplorum veluti commentario illustratum, *illud Romanorum de coloniis extra Italiam non deducendis arcanum.* qui profundo consilio, vt in plerisque imperii artibus, sedem sui imperii maiestatemque non parum hac ratione firmabant.

2, 15, 2 *Mors Drusi, iamprid. tumesc. bell. exc. Italicum*) *Flor.* 3, 18 ibique *Camers* vidend. *Sigon. de antiq. iur. Ital.* 3, 1.

cum id malum ab Asculanis ortum esset) Nititur M sc. autoritate hæc lectio; qua recepta, cetera quoque poterunt & intelligi & retineri.

2, 15, 3 *Quorum vt fortuna atrox ita caussa fuit iustißima*) *Ita Florus* 3, 18, 3 *socios ius Ciuitatis quam viribus auxerant, iustißime postulasse,* ait. sed ipse se explicat dum præmittit: *Non minore flagitio socii intra Italiam, quam intra vrbem ciues rebellabant.* & 3, 13, 2 cum de his caussis loquitur, *Inerat*, inquit, *omnibus species æquitatis.* Ergo *species æquitatis* intelligenda est, nō ipsa æquitas: siue, vt clarius dicam, *æquitas erat aliqua in petitione.* sed *nulla æquitas in obtinēdæ petitionis modo.*

Duplici numero se militum equitumq; fungi) *Liu.* 22, 37, *Milite*, ait, *atque equite nisi Romano Latinique nominis non vti populum Rom.* qui mos tamen postea mutauit, v. *Herm. Hug. mil. equestr.* 2, 2. vsurpatur hic (quod obseruari debet) *Miles* pro pedite, vt apud *Velleium* Nostrum *milites equitesque* dicuntur. Adi *Sigon. de ant. iur. Ital,* 1, 21. Sed cur *duplici numero?* aliqui corrigunt, *duplici munere.* sed retinendum, *duplici numero*, satis probat *Lipsius* ex *Liu.* 36, 20 & 35, 2.

2, 15, 5 *Quippe expulsum ciuitate à L. Saturn.*) *Val. Max.* 2, 8, 4 & 5, 2, 7. *Appian. bell. ciu. Cic. pro Sext.* 16. *Flor.* 3, 16, 2.

2, 16, 2 *Neque ego verecundia domest. sangu.*) Licet omnino hoc facere Historico. qui vt suorum vitia amicorum aut propinquorum, vbi res & locus postulat, tacere non debet, ita nec laudes cogitur supprimere: dummodo dictis veritas constet. Pertinet autem in hoc genere ad ἦθος prudentiæ illa προθεραπείας non tam figura quam modestia, quali hic Velleius vtitur.

2,16,3 *Ipſum viritim ciuitate donando)* *ſolum & ſeorſim ciuem faciendo, non vna cum aliis & in turba.* Lipſ.

2,16,4 *Vtque ad ſaga iretur)* vide *Indicem* in voce *ſag.*

Quod appellarent Italicum) Non video, quæ ratio adigat, vt *Italicam* legamus. v. *Sigon. de antiq. iur. Ital.* 3; 1.

2; 17; 1 *Niſi qua Nolani belli man. reliq.)* Poteſt intelligi, vt arbitror, ſenſus Auctoris. alii tamen malunt; *niſi qua.*

Vir qui neque ad fin. victor. ſatis laudari, neque poſt victor. ab. vitup. poteſt) Plane ad hanc ſententiam *Valerius* 9; 2; 1: *L. Sulla, quem neque laudare, neque vituperare quiſquam ſatis digne poteſt: quia dum quærit victorias, Scipionem ſe populo Romano; dum ſæuitiam exercet, Annibalem repræſentauit.*

2; 17; 2 *Hic natus familia nobili &c.)* vide *Plutarchi Syllam.*

2; 18, 1. *Vir neque ſilendus neque dicendus ſine cura) Senec. de tranquill. an.* 14 de Canio: *magnus vir & cum cura dicendus.* quam locutionem *Salluſtianam eſſe* & hic *Lipſius*, & alibi *Seneca* ipſe teſtatur.

2,18,2 *Necatis in Aſia omnibus ciuib. R. quos quidem eadem die atque hora &c.)* Collegit exempla eiuſmodi lanienarum improuiſarum *Camerarius op. ſubciſ. cent.* 1; c. 83.

2; 18; 3. *Neque fortitudine adu. Mithr. neque fide in Rom.)* ſicut in ducibus *virtutem fortunamque* ſententioſe coniungi, ſupra diximus: ita *fortitudinem & fidem* in militibus requiri ſpectarique præcipue, adductis Scriptorum locis confirmat *Pet. Faber ſemeſtr.* 1; 19.

Quibus

Quibus libertas in vnius Theophanis gratiam restituta est) *Plutarch. in Pompei.* & *Vossius de Hist. Græc.* 1, 23. Apud *Tac.* 12, 61, 2, *Cois* in vnius Xenophontis medici gratiam immunitas concessa. Apud *Plutarch. aduers. Colot.* in vnius Aristotelis gratiam *Stagira* excitata. qualia exempla alibi quoque, nec pauca reperiuntur.

2, 18, 6 *qua Sullæ imperium abrogaretur)* *Flor.* 3, 21. vbi *Camers.*

2, 19, 3 *Ad quem interficiendum missus cum gladio seru. publ.)* V. *Cl. Freinshem. ad Curt.* 10, 8, 3. *Valerius Maximus* 2, 10, 6 ad *Maiestatem* i. e. amplitudinem & admirationem tanti viri retulit hunc serui timorem; tum ad memoriam cladis Cimbricæ; denique ad fati prouidentiam: *Noster* de *indignatione casus tanti viri* loquens, partim ad miserationem, partim ad priores duas, quas modo dixi, caussas respicit.

2, 19, 4 *cum Marius, adspiciens Carthaginem, illa intuens Marium &c.)* communis scilicet fragilitatis, qua è summo facile ad imum descenditur, exemplo, & similitudine fati, de qua diximus ad 2, 11, 3. Tale ferme ex tali contemplatione solatium est, quod describit *Ser. Sulpicius* ad *Ciceronem l.* 4 *ep.* 5. *Ex Asia rediens, cum ab Ægina Megaram versus nauigarem, cœpi regiones circumcirca prospicere. post me erat Ægina, ante me Megara: dextra Piræeus; sinistra Corinthus: quæ oppida quodam tempore florentissima fuerunt, nunc prostrata & diruta ante oculos iacent. Cœpi egomet mecum sic cogitare: Hem, nos homunculi indignamur, si quis nostrum interiit, aut occisus est, quorum vita breuior esse debet, cum vno loco tot oppidorum cadauera proiecta iaceant.* & quæ sequuntur.

2, 20, 1. *Hoc primum anno sanguine cos. Rom. milit. imbut. man.)* sicut supra 2, 3, 3 initium ciuilis

ſanguinis, ἐπισάσεως πολιτικῆς ἕνεκα, monſtrauerat: ita nunc, quouſq; exempli noxa profecerit vel ideo oſtendit, vt animaduertatur amplius, quouſque profectura ſit.

Sed quam dux creauerat) Mirari poſſet aliquis, cur optimam lectionem, quiſquam correctione tentandam exiſtimauerit.

2, 20, 2 *Non erat Mario Sulpicioque Cinna temperatior*) Pertinet hæc comparatio ingeniorum ad ipſum ciuilis diſcordiæ contextum & cauſſas. quæ potiſſimum ex intemperantia hominum ςασιαςικῶν & inquietorum æſtimari debent.

Vt in octo trib. contrib. nou. ciu. ne pot. eorum &c.) vide de re & hiſtoria *Sigon. de antiq. iur. Ital.* 3, 1. Annotatur autem hic à Velleio ipſiſſima ratio *arcani ſiue artis*, circa nouorum ciuium admiſſionem vſurpari ſolitæ.

Cinna in omnib. tribub. &c.) Rurſum conſulendi ſcriptores ad *Flor.* 3, 21, laudati.

2, 20, 3 *Hæc iniuria homine quam exemplo dignior fuit*) Paraphraſis iſta eſt: *Hanc ſeueritatem ademtæ dignitatis merebatur ſane homo, ſed ad nouas pœnas (præſertim in tali ciuitate, in perſonis talibus) decurrere, ſemper periculoſum eſt, propter exemplum, quod datum ſibi credit & dicit, quisquis eo abuti cupit.* Ita de Clodii cæde infra 2, 47, 4: *exemplo inutili, facto ſalutari reip. iugulatus eſt.* confer ſupra 2, 3, 4. Non fuit alia mens Taciti, licet verba plurimum videantur diſcrepare, 1 A. 38, 1. Ibi vexillarii ſeditionem cœptantes præſenti duorum militum ſupplicio paulum repreſſi ſunt. *Iuſſerat id Mennius* (ait Hiſtoricus) *caſtrorum præfectus, bono magis exemplo, quam conceſſo iure.* *Clapmarius* 4 *arcan.* 22 refert hoc iudi ium Taciti ad *extraordinarium* adminiſtrationis ciuilis *modum, quo ea quæ lex omiſit, relligio magiſtratus omit-*

omittere non debet. Quam interpretationem qui tueri volunt, non ad verba Taciti proprie, sed ad ἐπιχείρησιν totius negotij referant, necesse est. Illud enim præcise dicit *Tacitus*: *Mennii quidem factum non inutile fuisse, ad disciplinæ militaris imperiiq; auctoritatem vindicandam* (sicut præsertim *Hispanus interpres* declarat) *vbi instar cuiusdam teli plerumque præsentioris supplicii seueritas valere consueuit: sed egressum tamen esse præfectum castrorum, suæ potestatis modum, qua supplicia non continebantur.* qua ipsa in re non est nullum exempli periculum. sed pro ratione & genere ipsius periculi, quod aliquando necessitate excusatur, aliquando magnæ vtilitati condonatur, *etiam sententiæ Auctorum, de exemplo quidem nouo communiter, sed modo lenius modo grauius, modo transmittendo, modo increpando loquuntur.* Locum *Taciti* vox *exempli* obscurauit. quam paulo aliter, ac *Velleius* Noster aliique, hic vsurpat. cum enim alias *exemplum facto* opponatur, hic verius *pro ipso facto* ponitur. *Bono exemplo* ait: id est, *facto vtili, & quod dignum esset, vt in posterum exemplum inde caperetur, permissa magistratibus ad certos & vltimos casus maiori & extra ordinem potestate.* Concurrit ergo *cum facto* significatus *exempli*: *non quod bono exemplo fecerit, qui fecit; sed quod a facto, respectu facientis non habente bonum exemplum, possit respectu rei, boni exempli occasio existere:* ὑποθετικῶς nimirum, & subintellecto legitimo exempli sumendi siue constituendi modo atque potestate. Dignus videbatur locus, nulla versione quod sciam, penitus & satis expressus, quem hac occasione explanaremus.

2, 20, 4 *Mox etiam spe largitionis corruptis militibus*) Ex quo largitio in castra irrepsit (contagio sc, exemploq; vrbani ambitus, quo *venalis populus*

pulus venalis curia patrum libertatem ſuam perdi-
tum iuit) diſciplina & omnis reuerentia reipubl. ceſ-
ſit: perpetuumque nouandis rebus inſtrumentum
miles erat, qui cum docetur largitiones accipere, ea-
dem opera venalis in ſcelera quæcunque eſſe doce-
cetur. ita peruentum eo denique eſt, vt largitionibus
crebris corrupti milites, imperium ipſum omnem-
que Romanam maieſtatem ſine omni cura fidei pie-
tatisque ad ſe traherent, rurſumque ſine pudore fla-
gitii, venale edicerent, imo vero Iuliano cuidam
venderent, teſte *Herodiano* 2, 7. Videri poſſet hic
terminus turpitudinis, & vltimum poſt prauiſſima
omnia præcipitium: ſed ecce nouam & in maiora
ituram ex vltimo dedecore auſpicatur ſeriem grauiſ-
ſimus *Hiſtoricus*: τότε δὲ (inquit 2, 8, 5) καὶ πρῶτον
ὑποδιεφθάρη τὰ τῶν στρατιωτῶν ἤθη, καὶ χρημάτων ἐδιδάχθη-
σαν ἄπληστον καὶ αἰσχρὰν ἐπιθυμίαν, καταφρόνησίν τε τῆς
πρὸς τοὺς ἄρχοντας αἰδοῦς. τὸ γὰρ μήτε τοῖς οὕτως ὠμῶς τε-
τολμημένοις ἐν φόνῳ τῷ βασιλικῷ ἐπεξιέναι τινὰ, μήτε τὴν
οὕτως ἀπρεπῶς ἐπὶ χρήμασι κηρυχθεῖσαν καὶ πραθεῖσαν ἀρ-
χὴν εἶναι τὸν κωλύοντα, ἀρχηγὸν καὶ αἴτιον ἀπρεποῦς καὶ ἀπει-
θοῦς καταστάσεως, καὶ ἐς τὰ ἐπιόντα ἐγένετο ἀεὶ, τῆς φιλο-
χρηματίας αὐτῆς, καὶ τῆς τῶν ἀρχόντων καταφρονήσεως μέ-
χρις αἵματος αὐξηθείσης. *tunc primum videlicet cor-
rupti militum mores* (non ſane tunc primum cor-
rupti, ſed ex corruptiſſimis tum primum corruptio-
res facti, nouam flagitiorum ſeriem auſpicabantur)
*fœdaque & inſatiabilis pecuniæ cupiditas & con-
temtus imperatoriæ maieſtatis inoleuit. Nam
cum neque vindex exiſteret vllus tam crudeliter in-
terfecti principis, neque pronercale factum impe-
rium fœdeque nundinatum quiſquam prohibuiſſet,
id vero initium cauſſaque militibus fuit, vt etiam
inpoſterum turpiſſimi contumaciſſimique euade-
rent: ſic vt auaritia in dies & principum con-
temtus etiam vſque ad ſanguinem proueheretur.*

Non piguit illustrem locum, cum politissima *Politiani* versione huc adscribere, vt vno quasi contuitu obseruarent, quibus commodum est, à quibus initiis largitio (inter ordinarias dominationis parandæ artes à cupidis imperandi, e. g. hic à *Cinna*, tum à *Sulla*, *Antonio*, *Octauio ceterisque* adhibita) ad quæ dedecora, ad quas reip. non dicam labes sed ruinas progressa sit.

2, 20, 5 *cuius augendæ*) optima lectio, per Hellenismum satis notum.

C. Mar. de exilio reuocauit, quique cum iis pulsi erant) Inter consilia & instrumenta res nouas molientium passim obseruare licet, *reuocatos ab exilio proscriptos patriaque expulsos*: quippe qui & calamitate fauorabiles, & patriæ ob exilium infesti, & pro reditu conficiendo omnia ausuri videntur.

2, 21, 1 *Cuis præclara opera bello Marsic. &c: quique Asculum ceperat*) *Flor.* 3, 18, 14: *Strabo Pompeius omnia flammis ferroque populatus, non prius finem cædium fecit, quam Asculi euersione, Manibus tot exercituum consularium, direptarumque Vrbium diis litaretur*- adde *Liu. epit.* 74 & 76.

2, 21, 2 *Vt omnia ex proprio vsu ageret, temporibusque insidiari videretur*) *Liuii epit.* 79. *Cn. Pompeii fraudem* notat: *qui vtramque partem fouendo, vires Cinnæ dedit, nec nisi profligatis optimatium rebus auxilium tulit.* Ita *Amyntas* apud *Curtium* 4, 1, 27 *semper ex ancipiti mutatione temporum pependit.* Ita *temporaria Græcorum ingenia incertæ famæ captant auram, vt quocunque pendentes animos tulisset fortuna sequerentur*, apud Eundem 4, 5, 11. Dicetur de hoc charactere infra in *Charact. Vellei c.* 5. Illud obiter notandum est, describi hoc loco, ipsissimam *Rationem status*, quæ Pseudopoliticis hominibus tantopere semper placuit,

cuit, vt non alios magis prudentiæ nomine commendarent, quam qui nemini fidi, omnia ex proprio vſu agentes, temporibus inſidiarentur, & ad eorum mutationem mutabiles animos eo flecterent, vnde maior ſpes *affuiſſet*. loquemur enim ita cum *Velleio*, non ineleganter, vt arbitror, ita loquente.

2, 21, 3 *Cuius commiſsi patratique ſub ipſis mœnibus oculisque Vrbis Rom.)* Recepi in textum *emendationem Lipſianam* (cum antea fuiſſet, *mœnibus ſociisque)* quæ omnino coniecturas ceterorum veritate & phraſi vincit.

2, 21, 4 *cuius interitus Voluptas, &c. populusq; R. quam V iram, deb. in corpus mortui contulit)* οὔτε γὰρ μῖσος οὕτως ἰσχυρὸν καὶ ἄγριον ἐπεδείξαντο Ῥωμαῖοι πρὸς ἕτερον στρατηγὸν, ὡς τὸν Πομπηΐου πατέρα Στράβωνα. *non erga alium Ducem Romani infenſius ſæuiusque animati, quam erga Strabonem Pompeii patrem erant*, inquit *Plutarch. Pompei. pr. cuius corpus, cum fulmine ictus expiraſſet, dum effertur, lecto detractum, omniq; ignominia affectum*, idem memorat, cauſſamque eius odii exprimit: ἄπληστον χρημάτων ἐπιθυμίαν.

2, 21, 5. *ſeu duæ ſeu tres Pompeiorum familiæ &c.)* V. *Carol. Sigon. comment. in faſt. & triumph. Rom. ad an. V C. DCXII, & Onuphrium Panuin. comment. in lib. 1 faſt. ad an. DC XIII. Marlianus* L X X annos hoc loco reſcripſerat, ſed refutatur à *Paulo Leopardo emendat.* 8, 8, *tom. crit.* 3.

2, 22, 1. *Mox C. Marius peſtifero ciuibus ſuis reditu) Lucan.* 2:

Quis fuit ille dies Marius quo mœnia Victor
Intrauit! quantoque gradu mors ſæua cucurit!
Nobilitas cum plebe perit: lateque vagatur
Enſis & a nullo reuocatum eſt pectore ferrum, &c:

legen-

legendus præſertim *Appianus* 1 *bell. ciu.* qui etiam indignas mortes tam illuſtrium virorum, quos hic nominat *Velleius*, deſcribit.

2,22,2. *Neque licentia in mediocres ſæuitum, ſed exc. q. eminentiſsimæ ciuitatis viri*) *Rhenani ſcripturam* pro commodiſſima habui, ſecutusque ſum. Nam quod nonnemo exiſtimabat, *immediocri* (quod hic legebatur) pro ſimplici, *mediocri*, poni, curioſius videtur quam verius. pro *eminentiſſ. Ciuitatis*, *Puteanus*, *e. dignitatis* ſubſtituit. poteſt tamen & vulgata tolerari.

Qui ſe ſub adu. Cinnæ conſulatu abdic.) Ita *Rhenanus* edidit, ne de Auctore huius lectionis in poſterum dubitetur.

2,22,5. *Qui fuiſſet locuples fieret nocens &c*) πλουσίοις γὰρ οὐκ ἔστιν ὅτε εἰρήνη πρὸς τὸν ἰσχυρότερον ἐν τοῖς τοιούτοις γίγνεται, *diuitibus enim in huiuſcemodi caſu nihil contra vim potentiorum tuti eſt*, inquit *Dio* in deſcriptione triumuiralis, quæ poſtea ſecuta eſt, proſcriptionis *l.* 47; & rurſum, *cum in aliis occidendis, tum præſertim in diuitibus promtiſsimos fuiſſe* aſſerit *Triumuiros*: idque non ſine cauſſa. παμπόλλων τε γὰρ χρημάτων δεόμενοι, καὶ οὐκ ἔχοντες ὁπόθεν ἄλλοθεν τὰς ἐπιθυμίας τῶν στρατιωτῶν ἀποπληρώσωσι, κοινὴν τινὰ κατὰ τῶν πλουσίων ἔχθραν προέθεντο. *Quia enim multa prorſus pecunia indigebant, neque explere aliter cupiditatem militum poterant, communem inimicitiam diuitibus indixerunt.* vide talia in *Plutarchi Sylla.*

2,23,1. *Vir in bello hoſtibus in otio ciuibus infeſtiſsimus*) *Epit. Liu.* 80. *Vir cuius ſi examinentur cum virtutibus vitia, haud facile ſit dictu, vtrum bello melior, an pace pernicioſior fuerit, adeo quam remp. armatus ſeruauit, eam primo togatus omni genere fraudis poſtremo armis hoſtiliter euertit, adde ſup.* 2,12,5.

2,23,2 *Qua creditoribus quadrantem solui iusserat*) Vid: Indic. Voc. Quadrans.

cuius facti merita eum pœna consecuta) *Liu. epit.* 82: *L. Valerius Flaccus consul collega Cinnæ missus, Vt succederet, propter auaritiam inuisus exercitui suo, à C. Fimbria legato ipsius Vltima audacia homine occisus est.* adde *Vellei* : 2, 24, 1.

2, 23, 5 *Animos extra mœnia, corpora intra muros hab.*) Indibilis ad Scipionem ap. *Liu.* 27, 19: *Corpus suum duntaxat ad id tempus apud Carthaginienses fuisse: animum iam pridem ibi esse, Vbi crederet ius ac fas coli.* Pertinet hic locus ad similitudinem figuræ & phraseos: nam alias *de transfugio* hic sermo est. Ceterum Athenienses alii non excusant, nimirum sæpe accidit, quod *Curtius* de vrbe *Maracanda* obseruat 7, 6, 24: *Spitamenes transfuga præsidio Macedonum inde deiecto, muris Vrbis eius, incluserat se: haud oppidanis consilium defectionis approbantibus. sequi tamen Videbantur, quia prohibere non poterant.*

2, 24, 1 *C. Flauius Fimbria &c.*) *Plutarch. Syll. Aurel. Vict. Vir. illust.* 70. *Liu. epit.* 83.

2, 24, 3 *cum ad eum primo omnium Rom. legati Parthorum Venissent*) Nam ante eam diem nihil commercii intercessisse inter vtramq; gentem, singularemque Syllæ eam felicitatem obtigisse, quod cum ipso primum Parthi societatis amicitiæque petendæ caussa congressi sint, *Plutarchus in Sylla* auctor est. Memorabile est in illo congressu, quod cum Sylla tres sedes poni iussisset, vnam Ariobarzani, alteram Orobazo (is legatus Parthorum erat) sibi mediam, atque adeo inter duos sedens audientiam legato dedisset, postea Orobazus à rege Parthorum interfectus est. Scilicet *Legatus* cui idem, qui Principi mittenti, si adesset, honor debetur, *etiam in loco prærogatiuam sui principis animose*

asser-

aſſerere debet, & fugere potius congreſſum, quam ſiniſtre vel inferius ſedere aut ſubſcribere: ni faciat, plurimum Principi ſuo detracturus, ipſe velut homo nihili habendus. Pluris enim apud Principem dignitatis poſſeſſio fit, quam ceterarum rerum, quæ dignitati ancillantur. Dixi hæc verbis *Freder. de Marſelaer,* qui in *Legat. lib. 2. diſſert. 32 tota,* hoc argumentum tractat, exemplisque illuſtrat. Fieri tamen poteſt, vt illa de loco & προκαθεδρία contentio, plurimum publicis rebus, præſertim in communi negotio periculoque, noceat, neque detrimenta illa, comparatione vindicatæ prærogatiuæ repenſari poſſint.

Quidam Magi ex notis corporis reſpond. cæleſtem eius vitam) *Plutarch. in Syll.* refert *quendam ex Orobazi legati Parthici comitatu, inſpecto Syllæ vultu, obſeruatisque diligenter animi & corporis motibus; adeoque natura indoleque eius ad artis ὑποθέσεως exacta, prædicaſſe, fieri non poſſe, quin ſummus vir euaderet, etiam nunc ſe mirari, quod ante ſe quenquam eſſe patiatur.* Apud *Gellium* 1,9 *Pythagoras adoleſcentes, qui ſe ad diſcendum obtulerant,* ἐφυσιογνωμόνει. *id verbum ſignificat, mores naturasque hominum coniectatione quadam de oris & vultus ingenio, deque totius corporis filo atque habitu, ſciſcitari.* *Ammianus* 15, 21 meminit *veterum librorum, quorum lectio per corporum ſigna pandit animorum interna.* Vide *Pontan. Philocal.* 10,26 *de variis geſtuum naturalium ſignificationibus.*

cæleſtem eius vitam) Lipſius, celebrem mallet. ſed nihil mutandum cenſeo. vide *Ind.*

2, 25, 1. *Tentauitque iuſtis legibus & æquis condicionibus bell. comp.)* Ita *Cæſ. bell. ciu.* 1. *magnopere ſe confidere demonſtrat, ſi eius rei ſit poteſtas facta, fore vt æquis conditionibus ab armis*

discedatur. Est enim conuentio talis, siue pactio pacis vel *æqua* vel *impar. ibi* æqualitati iustisque legibus locus est: *hic* obseruantia vt erga maiorem, & quædam obligatio ad officia certa continetur. Vide omnino doctissimum *Fabr. semestr.* 1, 7.

Sed iis, quibus & pessima & immodica cupiditas erat nonpoterat pax placere) Tales autem erant tum oligarchici illi spiritus & factiosi homines, tum plurimi è vulgo militibusque, cupidine rerum nouandarum, sicut tabe infecti. Quapropter *corruptissimo sæculo nemo eam vulgi* (& ceterorum) *moderationem sperare poterat, vt qui pacem belli amore turbauerant, bellum pacis caritate deponerent*, sicut *Tacitus de Vitellianis temporibus & impedimentis pacis* loquitur 2 H. 37, 3. Excluditur à consilii publici auctoritate, quidquid priuatorum cupiditatibus includitur: quæ iam directe publicis commodis aduersantur. Verum an Sylla tam serio optauerit pacem, an vero spem pacis, famæ caussa & nominis, ad deludendos aduersarios, ostentauerit tantum, non desunt, cur dubitemus, caussæ.

2, 25, 2. *Felici circa Capuam euentu Scip. Norb. Coss. superat*) *Liu. Epit.* 85. *Appian* 1. *bell. ciu.* Flor. 3, 21, 19 & 20.

2,25,3 *Adeo enim Sylla dissimilis fuit bell. & victor*) v. su 2, 17, 1. Hæc lectio, *iustissimo lenior*, bene se habet, nec correctione indiget.

Nam & Consulem, vt prædiximus, exarmatumque Sertorium) Ex emendatione Lipsiana est hæc lectio: cum antea fuisset; *Nam & consul, v.p. exarmatum Q. Sertorium.*

Vt in eodem homine duplicis ac diuersissimi animi conspiceretur exempl.) Diximus de talibus in *comment. Nepot.* p. 56. & seq. Hic obiter notandum, non tam *duplicis animi*, specimen in Sylla credi debere, quam vnius *praui animi dissimulationem*

tionem & reuelationem. Id eſt; *fuit Sylla ex iis, qui cum ſint malo prauoq; ingenio, tamē dum quærunt magnam potentiam, maximas virtutes ſimulant, adepti quod cupiuere, ſoluunt ſuas cupiditates, & retecti patent*. Atque hæc eſt illa ὑποκειμένης ἀποκάλυψις ἐν ἐξουσίᾳ κακίας, *inſitæ prauitatis in potentia detectio* quam *Plutarchus in Sylla* nobis ſuppeditat. Grauiſſima eſt ſententia *Taciti* de Tiberio, cui primo mixturam morum tribuit, non indolis reſpectu, verum dum metu aliorum, fingendis virtutibus ſubdole ſecuritatem quærit: ſed, *poſtremo*, inquit, *in ſcelera ſimul ac dedecora prorupit, poſtquam remoto pudore ac metu, SVO tantum ingenio vtebatur*. 6 A. 51, 7. Scilicet hi ſunt animi, *qui plus vulpis quam leonis habent*, vt hoc ex *Carbonis* dicto noſtrum faciamus. Nam ceteros, quorum in audaciam ardet animus, minus ſui obtegentes eſſe, ſatis conſtat. Suntque hi diſſimulatores ſui (ſi & hanc notam adiicere licet) *meliores ſerui, quam Domini*; i. e. coërciti auctoritate metuq; vtilem induſtriamque operam præſtant, ſibi relicti aut ſupra ceteros euecti, belluæ ſunt intemperantes immaneſque.

proh quanti mox belli facem) *Rhenanus* expreſſit hanc lectionem membranarum, ſicut iam *Gruterus* monuit.

2, 2, 4 *Grates Dianæ c. n. r. i. ſ. eſt, ſoluit, aquas ſalubr. med corp. nob. agr. &c.*) Corruptiſſimus erat hic locus: qui vt intelligi poſſet, è correctionibus *Lipſii Gruterique* ſic expreſſimus, quanquam *Rhenanus* iam pæne totum ita reſcripſerat, niſi quod adhuc legebatur: *huius gratæ relig. memoria*. Reſtaurata interim penitus *Velleii* verba, nemo vel iactare vel credere debet.

2, 26, 1. *C. Marius ſepties cos. filius annos natus XXVI*) ſolus *Appianus* fratris filium vocat. De *ætate* variant.

Apud

Apud Sacriportum pulsus) *Appian:* 1 *bell. ciu. Flor.* 3, 21, 23. *Liu. epit.* 87. *Aurel.* Vict. 68.

2, 26, 2. *Damasippus prætor.*) Ita *Valerius*, 9, 2, 3 *Damasippi iussu principum ciuitatis capita hostiarum capitibus permista esse*, ait. cui consentiunt alii. *Liu. epit. tamen* 86 *Marii cos. iussu fecisse Damasippum* memorat.

Ne quid vnquam malis publ. deesset) Non valde inconcinnam sententiam redderent, qui, *ne quid iniquum malis publicis d.* legunt, nisi contextus generaliorem formulam & in mala publica, quæ *Velleius* memorat, amplius patentem, requirere videretur: vt fortasse satius sit, *vsquam.*

2, 26, 3 *Nunc virtute eminet, patria latet*) *Lipsius* desperatum hunc locum existimat. *Acidalius* maluisset, *sua virtute eminet, patria latet*; vt filiæ gloria, cum paterna turpitudine comparetur. Sed bene fecit, quod *timide* huc decurrit. quanquam longe ille quidem elegantius sensit, quam qui eundem sensum in vsitata lectione repræsentari credunt: *nunc virtute eminet patria latet. patriam* enim *virtutem*, absque vlla pronominis ἀντίθεσις hic ad filiæ virtutem contendi, cui persuaderi poterit? Faueo coniecturæ de sensu; in asseueratione scripturæ cautissimum quemque maxime probauerim.

2, 27, 2 *Nunquam defuturos raptores Italicæ libertatis lupos, nisi silua &c.*) Callidum dictum, de dominandi cupidis, alienæque libertatis insidiatoribus; cuius cupiditatis respectu, *lupos* vocat Romanos Telesinus; plane sicut Mithridates apud *Iustin.* 38, 6, 8: *vt ipsi ferunt, conditores suos lupæ vberibus altos: sic omnem illum populum, luporum animos, inexplebiles sanguinis atque imperii, diuitiarumque auidos ac ieiunos habere.* Ita Æqui Volscique apud *Liu.* 3, 66. Fallor an ex huius consilii

filii regula Romani Carthaginem exciderunt. cuius vsum crebro etiam deprehendas in *Consiliis de bello Turcico suscipiendo.*

2, 27, 5 *Felicis nomen assumsit: quod quidem vsurp. iustiss. si eund. & vinc. & viu. f. h.*) Ita in *Panegyr. Constant. Aug. c. 20: Sulla felix si se parcius vindicasset: sed enimuero multis capitibus Rostra compleuit.* Nimirum, vt *Solinus* autumat, *Cornelius Sylla dictus potius est, quam fuit Felix.* siue, vt *Pliniana* ἐπίκρισις *habet: Vnus sibi ad hoc æui* Felicis *cognomen asseruit L. Sylla. Ciuili nempe sanguine, & patriæ oppugnatione adoptatus, & quibusdam felicitatis inductus argumentis, quod proscribere tot millia ac trucidare potuisset. O prauæ interpretatio, & futuro tempore infelix.* Congruit *Valerius*, qui post enumerata crudelitatis argumenta, παθητικῶς subiicit: *En quibus actis Felicis cognomen assequendum putauit!*

2, 27, 6. *Quibus sine nomine Sull. vict.*) Buterius testatur, in vet. exempl. esse, *qui sub eius nomine.* quod omnino probum videtur.

2, 28, 2. *Cuius honoris vsurpatio &c.*) Si recte memini, non occurrit facile in antiquis Scriptoribus locus, de *Dictatura*, accuratior pleniorq;. Quapropter nihil abs re me facturum arbitror, si paulo pressius *Velleianis* vestigiis institero, vsumque Dictatoriæ potestatis, ea parte, qua notitiam reip. gerendæ iuuare potest, declarauero. Quæ iam aliis sunt tradita, nihil attinet repetere. Manebimus enim intra limites *Velleianos.* Dicitur 1. *Priores Dictatura ad vindicandam maximis periculis remp. vsos esse.* Recte, ipsa caussa reperti vsurpatique huius magistratus, & finis innuitur: creatum esse, ad maxima quæque & ardua pace belloque præsentioris imperii viribus conficienda. Itaque *Liuio in rebus trepidis vltimum consilium* dicitur Dictatoris creatio

tio 4, 56 & *Augustin.* 3 *de C. D.* 17 *in extremis periculis* factum ait. Hic verus, &, vt ita dicam ordinarius scopus. Nam quod *Clapmarius* 3 *de arcan.* 19 inter *Arcana Aristocraticæ dominationis aduersus plebem* refert, καὶ ἐπακολούθημα & respectu temporis, quo primus *Dictator* creatus, item resp. intemperantiæ popularis ἑπομένως accipiendum est. Seruiebat enim postea Dictatoris terror non Democraticæ modo vehementiæ coërcendæ, sed certaminibus etiam & ambitioni optimatum in ordinem redigendæ. Dicitur 2 à *Velleio, populum R. timuisse potestatem imperii* Dictatorii. Erat enim *iure regio*, à quo ferme solo tempore differebat. vnde *Ciceronis* illud *Philipp.* 1 debet explanari, cum ait de Syllæ temporibus: *Dictatura iam vim regiæ potestatis obsederat.* Erat sane *regia potestas*, quippe quæ duorum consulum, vt apud *Liu.* alibi dicitur, potestatem repræsentabat: iam autem duobus Consulibus *regium imperium* tribuitur apud *Ciceron.* 3 *de ll.* 3: sed cum exceptione temporis. quam cum transcendit Sylla perpetuus Dictator factus, iam Dictatura vim totam regiæ potestatis formamq; veri regni obsederat. Alias, ne Dictatura ad libertatis oppressionem, regnique in rem Rom. reductionem tenderet, temporis breuitate cautum prouisumque erat, ne vltra sextum mensem quisquam eum magistratum gereret, vide *Clapm. de arcan.* 2, 11, & Catuli *orat. apud Dion.* 36: vbi & alterum consilium ἐπιπλήξεως cuiusdam, *ne extra Italiam cum imperio sit Dictator.* Tertium erat, veluti imaginarium Dictatoriæ potestatis frenum, siue simulacrum Democraticæ libertatis etiam sub Dictatore; quando Dictatori equum conscendere non licebat, nisi ad populum tulisset, *vt equum ascendere liceret*, sicut ex *Plutarchi Fabio* & *ap. Liu.* 23, 14 discimus. His igitur rationibus consiliisque Dictatoriam potestatem

quam

quam timebat populus Romanus; quodammodo limitabant, & ne ad mutationem ſtatus valeret, retinebant. Dicitur; apud *Velleium*: *Non tam P. R. deſideraſſe vſum Dictatoris*, quam timuiſſe poteſtatem imperii. *Deſiderauit ſane vſum*, neque carere omnino potuit hoc remedio aduerſum libertatis vitia: ſed non ſine timore tamen acceſſit, ad præſentiſſimi remedii ſtrenuitatem; ſicut peritiſſimi quique medicorum fortiſſima & maxime ſtrenua medicamenta non quidem penitus omittunt, ſed cum cura & ſolicitudine adhibent. Hæc ſolicitudo non parum creuerat, perſpectis reip. morbis paulatim inualeſcentibus, auctaque inciuilis elationis cupiditate. Præcipuæ obſeruationis eſt locus *Appiani* 1 *bell. ciu. p.* 359. cum in tumultu Tiberii Gracchi miratur, *nemini, neque tum neque poſtea in mentem veniſſe Dictaturæ remedium, quo reſp. ſæpe è maximis periculis conualuerat.* καὶ μοὶ, inquit, θαῦμα καταφαίνεται, τὸ πολλάκις ἐν τοιοῖς δε φόβοις διὰ τῆς αὐτοκράτορος ἀρχῆς διασεσωσμένους, τότε μηδ᾽ ἐπὶ νοῦν τὸν Δικτάτωρα λαβεῖν. ἀλλὰ χρησιμώτατα τὸ προτέροις τόδε τὸ ἔργον εὑρεθὲν, μηδ᾽ ἐν μνήμῃ τοῖς πολλοῖς ἄρα γενέσθαι, μήτε τότε, μήτε ὕστερον. Quod ait, neque poſtea in mentem veniſſe cuiquam hoc remedium αὐτοκρατορικῆς ἀρχῆς, caute accipiendum eſt. Nam illud SC. quo poſtea in C. Gracchi ſeditione Opimio Cos. primum mandatum eſt, *videret ne quid reſp. detrimenti caperet*, quid aliud notat niſi commiſſum, quam pleniſſimum eſſe poteſt, imperium, ſiue, vt rectiſſime in *Gracchis Plutarchus* explicat, *Dictatoriam poteſtatem*? Vt clarum ſit, *nomine Dictaturæ*, ob timorem, quem innuit *Velleius*, *abſtinuiſſe; rem ipſam tamen*, poſt longiorem ceſſationem, *reduxiſſe Romanos*. Magno argumento hinc eluceſcit, *Monarchici imperii ſiue Regni præſtantia dignitasque*. cuius etiamſi nomen eiurauerat a-

mantiſ

mantiſſima libertatis ciuitas, tamen tot illis artibus ſuis, tanto legum conſiliorumque apparatu, non potuit ſuam libertatem regere atque conſeruare; quin ſubinde ad plenam *Vnius poteſtatem*, ſub diuerſis quidem nominibus, recurrendum haberet; donec denique penitus in eam imperandi formam recideret, atque ita ab interitu, qui ex morbis libertatis imminebat, reſurgeret.

Quam timuiſſe poteſtatem imperii &c.) *Lipſius* reſcribebat: *non tam deſideraſſe quam timuiſſe*) *poteſtate imperii, quo priores ad vind. max. peric. remp. vſi fuerant, immodicæ crudelitatis licentia abuſus eſt.* vt dicatur Sulla ea poteſtate, quæ ſæpe reip. rebus trepidis ſaluti fuit, immodica crudelitate abuſus. De ſenſu nihil ambigendum duco, certitudinem coniecturæ, vt in loco fœde corrupto, nemo facile affirmauerit.

Immodicæ crudelitatis licentia vſus eſt) Quam præſertim graphice deſcribunt *Val. Max*, 9, 2. *Plut. Syll. Auguſtin. de C.D.* 3, 27 & 28. *Lucan.* 2. *Senec.* 1 *de clem.* 12. *Id. de Prouid.* 3 aliique plures.

2, 28, 3 *Primus ille, & vtinã vltimus exẽplum proſcriptionis inuenit*) *Appianus* 1 *bell. ciu. p.* 409: οὗτος γὰρ δοκεῖ πρῶτος οὓς ἐκόλασε θανάτῳ προγράψαι, καὶ γέρα τοῖς ἀναιροῦσι καὶ μηνύματα τοῖς ἐλέγχουσι καὶ κολάσεις τοῖς κρύπτουσιν ἐπιγράψαι. *Hic enim primus, quos capite plexos cupiebat proſcripſit & præmia percuſſoribus proſcriptorum, itemque latentium indicibus, neque minus pœnas celantibus latentes propoſuit.* quod & *Velleius* Noſter mox ſubiicit. clarius autem *Plutarchus*, *receptatori proſcripti & ſeruatori capitalem pœnam denuntiatam; non exceptis fratribus, filiis, parentibus: percuſſori bina talenta promiſſa, etiamſi ſeruus Dominum, filius parentem interfeciſſet*, memorat.

In

In qua ciuitate petulantis conuicii iudicium histrioni exoleto redditur) Placet *Gruteri* interpretatio: *nimirum aures præbuisse iudices histrioni, & ciues qualescunque castigasse, quos constaret histrionem aliquem petulantiore notasse conuitio.* Lipsius maluerat: *iudicium in histrionem ex albo.* Quia in *msc.* fuit *iudicium historiarum ex alto.*

in ea iugulati ciuis R. publice constit auctor.) Legebatur: *ciuis Reip.* Quod emendatum, sicut edidimus, à *Puteano*, omnibus eruditis placuit.

2, 28, 4. *Quod indignissimum est*) Ita *Plutarchus* ὃ δὲ πάντων ἀδικώτατον ἔδοξε, τῶν προγεγραμμένων ἠτίμωσε καὶ υἱοὺς καὶ υἱωνούς, καὶ τὰ χρήματα πάντων ἐδήμευσε. *Quod omnium visum est indignissimum, proscriptorum liberos nepotesque infamia notauit, omniumque bona publicauit.*

2, 29, 1. *Priuatis vt opibus ita consiliis magna ausus*) Ita de *Octauio* infra 2, 61, 1: *mira ausus ac summa consecutus priuato consilio maiorem senatu pro rep. animum habuit.* Quanquã, hæc priuati consilii auxiliique, vtut pro rep. suscepta molitio, nisi accesserit publicæ auctoritatis approbatio, non solet commendari à rerum ciuilium peritis. Itaque *Prudentes* apud *Tacitum* 1 A. 10, 1 in reprehensione Augusti etiam illud memorant: *paratum ab adolescente priuato exercitum.* Scilicet plus est in legibus, quam in successu. datoque semel exemplo prætextuque, facile dominandi cupidis ad noua consilia via panditur. Quare non frustra *Aristoteles* etiam circa clientelas, de quibus mox sequitur, monuit, *periculosum esse liberæ ciuitati, si quis nimia clientum, amicorum, seruorum multitudine emineat polleatque.* Quod Romani mature debebant obseruare.

2, 29, 2 *Forma excellens non ea qua flos com-*

mend. æt. ſed ex dignitate conſtanti) Ita *Plutarchus Pompeium*, commendat: τὸ γὰρ ἐράσμιον, ἀξιωματικὸν ἦν φιλανθρώπως, καὶ τῷ νεαρῷ καὶ ἀνθοῦντι διέφαινεν εὐθὺς ἡ ἀκμὴ τὸ γεραρὸν καὶ τὸ βασιλικὸν τοῦ ἤθους. *Gratia formæ dignitatem pariter ac humanitatem eximiam præferebat, & in illo iuuenili flore exſplendeſcebat iam ſenilis ac regia quædam grauitas.* Compara *Suetonii* locum de *Tito, cap.* 3: *Forma egregia, & cui non minus auctoritatis ineſſet, quam gratiæ.* Eſtne hoc εἶδος ἄξιον τυραννίδος, *ſiue imperatoria forma*, quam *Cornelius Nepos* etiam Iphicrati tribuit, 3, 1?

2, 29, 4 *Pæne omnium Vitiorum expers)* *Votorum* legebatur. quod quibusdam retinere & ſubtiliter interpretari placuit, repugnante vehementer contextu. itaque de *Aldina* hac emendatione nihil dubitandum.

In ciuitate libera dominaque gentium indignari, quenquam æqual. dignit. conſpicere) Cæſar 1 *bell. ciu. Pompeius neminem dignitate ſecum exæquari Volebat. Lucan.* 1. *Flor.* 4, 2, 14. *Salluſt.* alludit *orat.* 1 *de rep. ord.* cum de Pompeio loquens, *Nam particeps*, inquit, *dominationis neque fuit quisquam, neque ſi pati potuiſſet, orbis terrarum bello concuſſus foret.* Loca *Noſtri* παράλληλα in margine adſcripta ſunt. Egregie *Theophraſtus in Charact.* περὶ τῆς ὀλιγαρχίας, notat, *homines* ὀλιγαρχικοὺς *ex Homeri Verſibus hunc, ſolum & Vnum tenere*, οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω; *aliorum omnium nihil ſcire.* Qui character non tam Optimatibus i. e. Ariſtocraticis hominibus, quod ſimpliciter & ſine limitatione *Magnus ille Caſaubonus* pronuntiat, ſed Oligarchicis, adeoque iis, qui Optimatium auctoritatem vſque ad paucorum potentatum euectam cupiunt, videtur conuenire. Quo ſenſu ſcilicet ὀλιγαρχικὸς, declaratur à *Polluce* 3, 6 οὐκ

ἀγαπῶν τὸ ἴσον: *æqualitatem non amans.* Est enim ἰσότης siue ἰσηγορία, ἰσομοιρία ciuilis æquabilitas, veluti fundamentum & vinculum libertatis & Democratiæ. Ergo *Velleius*: *cum omnes ciues iure haberet pares.* Hanc æqualitatem qui transcendunt, *inciuiles, inciuiliter elati, & ὀλιγαρχικοὶ* vocantur, & interdum τυραννικοί.

2, 30, 1. *Tum M. Perperna Sertorium inter cenam Etoscæ interemit*) *Oscæ* legendum est, quod iam *Aldo* aliisque monitum. vide *Plutarch Sertor.* f. *Appian. Hispan.* f. *Flor.* 3, 22, 9. *Sallust. fragm.* 3 *Hist.*

2, 30, 2 *Metellus & Pompeius ex Hisp. triumph.*) adi *Sigon. comment. in fast. & triumph. R.* ad ann. DCLXXXII. vbi & Auctorum loca notata.

Sed Pompeius hoc quoque triumpho adhuc eques Rom.) Nam & antea, quatuor & viginti annos natus, adhuc eques Romanus, *quod nulli contigerat, ex Africa triumphauit. Epit. Liu.* 89. Adi rursum *Sigon. comment. in f. & tr. R.* ad an. DC LXXII.

2, 30, 3. *C. Cæsaris in altero consulatu pet. S. P. Q. R. rationem habere*) *Flor.* 4, 2, 16 & late *Dio* 40 *Appian.* 2 *bell. ciu. Cæs.* 1 *bell. ciu. Plut. in Vit.*

Inuidiam rerum non ad caussam sed ad voluntatem personasque dirigere) satis obscura sententia, nisi capias: *inuidiam rerum a plerisque ambitiosis & potentiæ cupidis non referri ad caussam & negotium, neque ex eo æstimari: sed potius voluntatis suæ studio obsequentes eos ferri ad obtrectandum inuidendumque non tam factis & rebus quam personis.* si enim *voluntatem* de προαιρέσει eorum, quibus inuidetur, accipias, falsa erit sententia.

2, 30, 4 *Cuius Sulla imaginem sine re reliq.*) alii, *sine iure*. eodē sensu. Restituit autem Pompeius tribunitiam potestatem, simulacro quodam popularitatis: vt nimirum pignerato populi fauore, aditum sibi ad dominatum muniret. sicut & Cæsar apud *Sueton.* 5 *auctores restituendæ tribunitiæ potestatis, cuius vim Sulla diminuerat, enixissime iuuit.*

2, 30, 5. *LXIV fugitiui è lud. gladiat.*) De bello Spartacio vide *Flor.* 3, 20, quosque ibi *Camers* laudauit. adde *Sigon. ad ann.* DC LXXX. In numero *seruorum copiarumque* variant admodum.

2, 30, 6. *Mox Romanorum omnium principem*) Nihil prorsus impedit æqualitas aliorum, imo nec superior alterius auctoritas quidquam detrahit huic significatui. Princeps Romanorum rectissime dicitur, *non qui solus supra ceteros eminet, sed qui inter eminentissimos Romanorum, id est, inter principes suæ reip. numeratur.*

2, 31, 1. *cum Cos. iurasset, se in nullam prouinciam ex eo magistratu iturum*) vide *Appian.* 1 *bell. ciu. extremo:* vbi reconciliati Coss. Pompeius & Crassus, *exercitus dimissionem edixere. Sigon. comment. in f. & tr. R.* ad ann. DC LXXXIII, existimat apud *Zonaram* (t. 2 p. 12, in verbis παρῃτήσατο δὲ καὶ τὴν στρατηγίαν) hoc ipsum intelligi, *prouinciam sc. ab eo repudiatam.*

Pæne homine maior habebatur) Antea fuerat: *per omnia maiore vi habebatur. Acidalius* legit: *per omnia maior æuo habebatur.* Arridere potest primum aspicienti ea emendatio: sed penitus expensa non carebit dubitatione.

2, 31, 2 *A. Gabinius trib. pl. legem tulit, vt cum belli more*) De piraticæ licentiæ origine successibusque vide accuratissimum *Dionem lib.* 36. *& Plut. in Pompeio.*

2,31,3 *Quo SC. pæne totius terrarum orbis imperium vni viro deferebatur*) Plutarchus: ἔγραψε δὲ Γαβίνιος εἰς τοῦ Πομπηΐου συνήθων νόμον, οὐ ναυαρχίαν, ἄντικρυς δὲ μοναρχίαν αὐτῷ διδόντα, καὶ δύναμιν ἐπὶ πάντας ἀνθρώπους ἀνυπεύθυνον. Adde quæ sequuntur.

2,31,4 *Sed interdum persona, vt exemplo nocet, ita inuidiam auget aut leuat*) *Gruterus* ita παραφράζει: *quemadmodum alia atque alia persona minus magisue nocet exemplo suo; sic quoque vna eademque res huic vel illi maiorem minoremue creat inuidiam.*

2,32,1 *Cum dissuadens legem in concione dixisset &c:*) Vide quantum ex egregia oratione Catuli apud *Dion.* 36 superest. *Velleius* Noster ipsam vim consilii complexus est: *Esse & Optimatibus & Populo valde periculosum, si vni alicui extraordinaria, aut summa, aut crebra potestas deferatur: cum præsertim Pompeii magnitudo iam nimia sit &* πρὸς ἰσότητα δημοτικὴν ἀσύμμετρος, vt Plutarchi voce vtar. Quales nimium obseruandos esse cauendosque in rep. libera, peritissimi quique Politicorum monent. *Arist.* 3 pol. | 9. Potest quodammodo ad *Velleianam* de Pompeio sententiam accommodari, quod de Manlio *Liuius* iudicat 6, 20, quem *virum* vocat, *nisi in libera ciuitate natus esset, memorabilem.*

2,32,3 *per idem tempus Cotta iudicandi munus*) Confer 2, 6, 3. 2, 13, 2. De re tota late *Sigonius de antiq. iur. ciu. Rom.* 2, 18.

& Otho Roscius lege sua eq. loca in theatro restituit) Rursum vid. *Sigon. de antiq. iur. c. R.* 2, 19.

2,32,4 *At Cn. Pomp. multis & præclaris viris in id bellum assumtis*) de legatis capiendum. Nam lege Gabinia continebatur etiam, vt multis legatis (πολλοὺς ὑποστρατήγους *Dio* vocat) vteretur Pom-

 peius.

peius. Plutarcho πρεσβευταὶ dicuntur, expreſſo numero XVI. Appianus ὑπηρέτας ἀπὸ τῆς βουλῆς, οὓς καλοῦσι πρεσβευτὰς, numerat XXV. *Florus*, *plures legatos atque præfectos* memorat 3, 6, 8. è quo capite aſcriptisque à Camerte Auctoribus totius belli Piratici hiſtoriam petas licet.

2, 32, 6 *Data enim facultate ſine rapto viuendi, rapinis arcuit*) *Florus* quoque *ſingulare* hic *ducis conſilium* agnoſcit: *qui maritimum genus a conſpectu longe remouit maris, & mediterraneis agris quaſi obligauit.* Quæ translatio nationum hominumque ferocium ex aſſuetis ſedibus in diuerſæ indolis loca, etiam alibi arcanis firmandi imperii ſtabiliendæque tranquillitatis ſeruiit.

2, 33, 1. *Lucullus qui ante ſeptem annos ex conſulatu ſortitus Aſiam Mithrid. &c.*) Solenne eſt Velleio dicam, an exſcriptoribus Velleii, per magnas parentheſes orationem ſuſpendere. id quod aliquando non caret moleſtia. Ceterum, quæ de *Lucullo* hic tanguntur, perſcripta lege apud *Plutarch. in Lucull. Appian. Mithridat. Dion.* 35. *Flor.* 3, 5, *&c.*

Bello pæne inuictus pecuniæ expellebatur cupidine) *Lipſius* legit *debellabatur*: *Acidalius*, *excellebatur* i. e. ſuperabatur: Gruterus noua voce, *exbellabatur.* Si quid mutandum, *Lipſiana* emendatio per omnia ceteris melior eſſet. Sed quæ illa neceſſitas correctionis? Certe *expellebatur* prouincia rebellione militum & calumniis inimicorum ipſiuſque Pompeii ambitione: expellebatur, inquam, Pompeiusque non tam belli quam triumphi ſucceſſor mittebatur. quod factum non eſſet ſc. *niſi milites propter auaritiam ſibi infenſos habuiſſet.*) Lege *Plutarchi Lucullum*, vbi clare notantur, quæ innui.

Manilius trib. pl. ſemper venalis & alienæ miniſter potentiæ legem tulit) Tales plerique tum tribu-

tribuni, qui decus ac libertatem populi, cuius custodes esse debebant, alienæ potentiæ gratificabantur. Itaque nemo immoderata nimiaque concupiuit aut molitus est, quin tribunis plebis tanquam satellitibus prauæ lubidinis, ad opprimendas leges, capiendamque vi remp. vteretur. Obseruabunt autem studiosi prudentiæ iterum hoc loco, verissimum esse in Rep. quod Aristoteles in Philosophia posuit: *Vno absurdo dato, cetera accidere.* Nimium reip. liberæ & in certissimum libertatis præiudicium erat iturum, cum ad bellum Piraticum tanta Pompeio tamque monarchica potestas deferretur: nunc, ne quid ad absoluti dominatus speciem deesset, continuatur, augetur, suppletur illa Potentia. Dum enim lege Manilia Luculli legiones & Prouinciæ, Bithynia item, i. e. quæcunque antea non habuerat, decernuntur, classisque & imperium maritimum continuatur; quid hoc aliud erat, quam vni semel imperium Romani orbis transcribere? τοῦτο δὲ ἦν, ἐφ' ἑνὶ συλλήβδην γενέσθαι τὴν Ῥωμαίων ἡγεμονίαν, inquit *Plutarchus in Pomp.* ὥπερ οὐδενί πω παντάπασι πρὸ τοῦδε ὁμοῦ πάντα ἐδόθη, notante *Appiano Mithrid. p.* 238. Vide tamen callidas astutasque rationes, quibus inducti duo summi viri *Cicero & Cæsar* hanc legem Maniliam probarunt atque defensarunt, apud *Dion.* 36 p. 23: videbis eadem opera, Remp. Romanam non fuisse iam rem publicam.

2, 33, 2. *Cum Pompeius Lucullo infamiam pecuniæ, Lucullus Pompeio interm. cupid. obiiceret imperii, neuterque ab eo, quo arguebatur, mentitus argui posset*) *Lipsius* emendat: *cum Pomp. Lucullo infamem,* sc. cupiditatem, quæ mox sequitur, item: *neuterque adeo, quod arguebat, mentitus argui posset.* Mihi inter correctiones ceteras ea maxime placuit, quam in textum recepi, cuius & *Aldus* mentionem fecerat.

2,33,3. *quemquam animo parem tulit)* alii corrigunt: *q. omnino parem tulit. Gruterus* vulgatam tuetur: quæ minus interim mihi probatur, si *parem animo*, dicatur Pompeius grauatus esse. Videtur enim potius voluisse Velleius: *Pompeium neminem parem, æquo animo tulisse.*

in quibus rebus primus esse debebat, solus esse cupiebat) Ita *Cicero* loquitur 1. *offic.* 19 vbi de nimia principatus cupiditate agit. *Vt quisque animi magnitudine maxime excellit, ita maxime vult princeps omnium, vel potius solus esse.*

Vt qui eos, vt libentissime sumeret) Alii, *&* *qui eos* &c: quod præplacet.

2,33,4 *Profusæ huius in ædif. conuict. & apparat. luxuriæ primus auctor)* vide *Plutarchum in Lucullo*, vbi & de molibus mari iniectis &c. Idem Scriptor, non *à Pompeio* sed à *Tuberone Stoico*, *Xerxem togatum* esse appellatum memorat. quanquam & *Plinius* cum Nostro facit 9,54: *Lucullus exciso etiam monte iuxta Neapolim maiore impendio, quam villam ædificauerat, euripum & maria admisit. Qua de caussa Magnus Pompeius Xerxem togatum eum appellabat.*

2,34,1 *Per id tempus à Q. Metello Creta insula in pop. R. pot. redacta est)* vide de bello Cretico *Florum* 3, 8, & quos ibi *Camers* notauit. quibus adde *Dion.* 36 *principio. Plutarch. in Pomp.*

2,34,3 *M. Cicero, qui omnia sua incrementa sibi debuit &c:)* Catilinarium hoc bellum scripsit *Sallustius* egregio opere; *Florus* 4, 1, vbi *Camers.* cuius annotatio augeri potest nominibus, *Dionis* 37, *L. Ampelii lib. memoriali sub titulo*: *Qui aduersus patriam nefaria iniere consilia.*

Singulari virtute, const. vigil. cur. aperuit) Legebatur, *eripuit.* pro quo aliis placuit, eruit; nonnullis, *aperuit.* quod & nos, manifesta vt arbitror ratione ducti expressimus.

2,35,1 *Altissime illuminauit*) ita cum *Grutero* legimus, cum fuisset antea, in *altissimo luminauit.* vbi si *luminandi* vox toleraretur, φράσις tamen tota insolentior videri potest.

2,35,2. *Principe illo familiæ Porciæ &c.*) *Familiam* pro *gente* hic poni, *Lipsius* iam monuit. Ceterum de hoc elogio Catonis vide *Charact. Vellei. c. 4.*

Semper fortunam in sua potestate hab.) vide *Indic.* v. *Fort.*

2,35,4 *sic impendentia ex ruinis incendiisq; vrbis & commut. status publici pericula*) Rursum *ipsam vim orationis Catonianæ* (quam habes apud *Sallust. Catil.* 52) siue *præcipuum argumentum* his verbis complexus est Noster. Non enim videbantur intelligere Patres, quantum à Catilinariis molitionibus periculum reip. toti statuique, omni ordini, omni ætati ac sexui immineret: itaque Catonis oratio potissimum in eo occupabatur, vt ruinas, incendia, internecionem, in conspectu omnium poneret, necessariæque seueritatis vnicum consilium demonstraret.

2,35,5. *At Catilina non segnius vota obiit, quam scel.*) i.e. *quæ vouerat destinaueratque*, interprete *Lipsio*, qui tamen, *mota*, mallet. *Schegkius*, *voto* legit. *Gruterus*, *conata* reponit, cum in msc. *nota* fuerit: sed cum *conandi* vox statim subsequatur, debilitari vim huius lectionis, consentaneum est.

2,36,2 *Senemque Crassum*) Ex editione *Rhenani* est hæc lectio, quam *Lipsius* refutat: quippe cum hic sermo sit de *Crasso diuite*, non de *Lucio illo*, quem supra *Velleius* memorauerat. Legit ergo, *vnaque Crassum.* al. *saneque Crass.* De ceteris nominibus, adi *Indicem.*

in suscepti operis sui) Ita cum *Lipsio*, simplicius

ius rescribi opinatus sum. alii *suspecti* retinent, & pro *suspiciendi* interpretantur.

2, 36, 3 *Nam viuorum vt magna admiratio, ita censura difficilis est*) Næ difficilis, præsertim in opere Historico: vel ob hoc ipsum, quod *Velleius* acute innuit (quia admiratio publica neque requirit iudicia & rationes censuræ, neque admittit examen sui affectus. Iam quantum potest dignitatis, loci, gentis, necessitudinis, denique fortunæ veneratio? ad quam vel suo vel æui ingenio plerumque etiam Prudentum mentes inclinantur. Igitur haud dubie ea sincerissima laus est, illud verissimum decus quod incorrupta cuique posteritas rependit. cum præsertim ex altera quoque parte, doctissimum quemque inuidia non nisi cum inuiso finitura, contundere nitatur ac deprimere.

2, 37, 2 *Nisi quia Lucull. armis infractus erat*) *Gruterus* mallet, *nisi qua*, i. e. *quatenus*.

Tigranemque socerum) *generum* legi debere, res ipsa & communis doctorum animaduersio dictat.

2, 37, 4 *Neminem alium neque Romanum neque vll. gent.*) Plane conuenit hæc oratio ad illud ἦθος, quod *Dio* 36 in Tigrane commendat: *Ita se comparasse regem, vt medium præstaret inter memorem pristinæ dignitatis & præsentis calamitatis, adeoque & reuerentia & misericordia dignus videretur.*

2, 37, 5 *sicuti Pompeio moris erat*) Non illi solum, sed & ceteris. Igitur *Acidalius* transponit: *quæ omnis Pompeio, sicuti moris erat, redacta in quæst. potest.* *Lipsius* ad singularem Pompeii integritatem refert, quæ ἐξαιρέτως memorari mereatur.

2, 38, 1 *Quæ cuiusque ductu gens ac natio redacta in formulam prouinciæ*) Egregiæ huius egressionis *Commentatorem* damus *Sigonium*; ex cuius

1 de antiq. iur. Prouinc. plenior prouinciarum factarum historia ratioque peti potest. Est autem *redigere in formulam prouinciæ nihil aliud, quam leges domesticas* adimere, & *Romanas dare, ac prætorem, qui quotannis prouinciam ex legibus datis administret, instituere. Neque vero sola tributi impositio prouinciam efficit, cum id multis sit etiam Italicis & exteris imperatum, qui tamen in prouinciæ formam non sint relati; sed legum domesticarum & patriæ libertatis ademtio, & prætoris, qui eos regat, institutio.* Sunt hæc rursum verba *Sigonii* è 1 *de antiq. iur. Ital.* 26. Ergo ipsum *Ius prouinciale*, alio nomine, *Formula prouinciæ* appellatur notante *eodem* 1 *de antiq. iur. Prou.* 1.

Vt quæ facilius quam partibus simul vniuersa conspici possunt.) *Aldus* huius lectionis mentionem facit: quam recepimus ideo præcipue, quia vox *Notauimus* è vet. cod. nonnullis abest. Alias varie corrigunt vulgatam (sc. *Notauimus facilius vt quæ partibus simul vniuersa conspici possint*) *Lipsius, Notabimus, vt facilius, quam partibus, s. v. c. p.* Alii aliter.

2, 38, 2. *sed post CCIV annos P. Scipio Æmil. abhinc* annos CLXXXII) *Lipsius* priore loco rescribit *CV*; posteriore *CLXXV.*

2, 38, 3 *certæ pacis argumentum Ianus Geminus clausus dedit*) Hinc *Florus* 4, 12, 64. Ausus que tandem Cæsar Augustus Ianum Geminum cludere, bis ante se clusum, *sub Numa rege, & victa primum Carthagine. Sueton. Aug.* 22 *Ianum Quirinum semel atque iterum à condita vrbe memoriam ante suam clausum, in multo breuiore temporis spacio, terra marique pace parta, ter clusit. Alii* passim.

2, 38, 6 *Cypri deuictæ*) *Lipsius* reposuit. cum esset *Cypro deuicta*; ex quo alii fecerunt: *Cypro de victa.*

2, 39, 1 *Ignauum conferunt stipendium*) vide *Ind.* voc. *stipendium.*

2, 39, 3 *Quam certam Hispanis parendi confess. extorserat parens*) Ex emendatione *Lipsiana* ita reponendum, res ipsa loquitur.

2, 40, 1 *Penetrata cum victoria Media, Alb:*) Nil attinet repetere scriptores belli Mithridatici, quos supra nominauimus.

2, 40, 2 *Cuius reditum fauorabilem opinio fecerat.*) optima lectio, *gratum*, inquit, *lætumq; reditum fecit, quod dimisso exercitu, ciuiliter vrbem ingressus est. Opinio n. & metus antea per homines diffusus erat, armatis completurum vrbem & ad modum Syllæ Mariiq; ex arbitrio suo de capite fortunis libertate Romanorum statuturum. Plutarchus*: λόγοι δὲ παντοδαποὶ περὶ τοῦ Πομπηΐου προκατέπιπτον εἰς τὴν Ῥώμην. καὶ θόρυβος ἦν πολὺς, ὡς εὐθὺς ἄξοντος ἐπὶ τὴν πόλιν τὸ στράτευμα, καὶ μοναρχίας βεβαίας ἐσομένης. *Varii rumores in vrbem præcurrerunt; magnoque tumultu trepidatum est, ne exercitum statim vrbi admoueret Pompeius, vniusque dominatio denuo inualesceret.* Adde *Dion.* 37 *p.* 43. vbi magnifica commendatio huius ciuilitatis.

2, 40, 3. *Magnif. de tot regib. per bid. egit triumphum*) vide *Sigon. comment. in fast. & triumph Rom.* ad ann. DC XCII.

Præterquam a Paullo) *Aliis* placet, *præterquam Capitolio*; quod *Aldus* reprobat, & vsitatum præfert. *Quibusdam* à manu glossatoris videntur hæc tria verba. Vtiq; in tanta numeri incertitudine, quæ in manubiis describendis apud Auctores occurrit; difficile est aliquid pronuntiare: cum præsertim maius subesse vitium hoc loco, omnino videatur.

2, 40, 4 *Vt is ludis Circensib. corona laurea &c.*) Recipienda erat in textum palmaria *Lipsii* emendatio, quam res ipsa ritusque Rom. &

Dionis

Dionis auctoritas firmat: vnde nihil de *aurea corona*, sed *de laurea* habemus. *Dio* 37 p. 44; *Decreta Pompeio hæc erant*: Δαφνοφορεῖν τε αὐτὸν κατὰ πάσας ἀεὶ τὰς πανηγύρεις, καὶ τὴν στολὴν, τὴν μὲν ἀρχικὴν, ἐν πάσαις αὐταῖς, τὴν δὲ ἐπινίκιον, ἐν τοῖς τῶν ἵππων ἀγῶσιν ἐνδύνειν. *Aureamtarum Cor.* defendit *Carol. Paschalius* in erudito de coronis opere. Iudicent docti. *Sauaro ad Sidon. Apollinar. carm.* 23 v. 425 confundit locum Nostri Auctoris cum iis, qui de coronis sacrorum certaminum victoribus dari solitis agunt. Nisi forte respexit ad locum *Plinii*, 7, 26, vbi de Pompeio *Postea ad maria & deinde solis ortus missus hos retulit patriæ titulos more sacris certaminibus vincentium.* sed additur mox ratio: *Neque enim ipsi coronantur, sed patrias suas coronant.*

Vt primum ex Africa, iterum ex Europa, tertio ex Asia triumpharit, & quot partes orbis terrarum sunt, &c.) Plane ad hunc sensum *Plutarchus*: μέγιστον δὲ ὑπῆρχε πρὸς δόξαν καὶ μηδενὶ τῶν πώποτε Ῥωμαίων γεγονὸς, ὅτι τὸν τρίτον θρίαμβον ἀπὸ τῆς τρίτης ἠπείρου κατήγαγεν. ἐπεὶ τρεῖς γε καὶ πρότερον ἦσαν ἕτεροι τεθριαμβευκότες. ἐκεῖνος δὲ τὸν μὲν πρῶτον ἐκ Λιβύης, τὸν δὲ δεύτερον ἐξ Εὐρώπης, τοῦτον δὲ τὸν τελευταῖον, ἀπὸ τῆς Ἀσίας εἰσαγαγὼν τρόπον τινὰ τὴν οἰκουμένην ἐδόκει τοῖς τρισὶν ἐπῆχθαι θριάμβοις. *Maxime autem ad gloriam illustre Pompeio, neque cum quoquam Romanorum ad id tempus commune erat, quod tertium triumphum ex tertia orbis parte egit. Nam ter quidem etiam alii ante ipsum, triumphauerant. Ipse autem primum ex Africa, secundũ ex Europa, tertium siue hunc postremum ex Asia duxit, adeoq; tribus triumphis totum quodammodo orbẽ triumphasse visus est.*

2, 40, 5 *Lucullus memor tamen acceptæ iniuriæ, & Metellus Creticus non iniuste querens*) Addendus est locus Nostri *supr.* 2, 34, 2: nominatique suis locis horum bellorum scriptores.

& cum

Et cum iis pars optimatium refr. ne aut prom. ciuit. &c.) Accurate, vt solet, exequitur *Dio* 37 p. 53.

2, 41, 1 *Hic nobilissima Iul. gen. famil.*) Elogia *Cæsaris* passim habentur. Vide *Charact. Vellei. c.* 2.

Magno illi Alexandro simillimus) cum quo etiam à *Plutarcho* παραλλήλως comparatur, adde *Appian.* 2 *de bell. ciu.*

2, 41, 2 *Cuius filiam vt repudiaret, nullo modo compelli potuit*) Ferme, his ipsis verbis *Suetonius Cæs.* 1: *neque vt repudiaret compelli a Dictatore Sulla vllo modo potuit.* adde quæ sequuntur de eius periculo. *It. Plutarch. Cæs.* Quod nonnulli legunt, *nullo motu*, mihi quidem nondum arridere potuit, neque opinor cuiquam attentius cogitanti.

2, 41, 3 *Cum à piratis captus esset*) *Plut. Cæs. Sueton. Cæs.* 4. *&c.*

2, 42, 1. *Metu suo destituerit*) alii, *motu suo*, sed haud dubie melius est, *metu suo*.

2, 42, 3 *Is enim Asiam tum obtinebat*) *Manutii* est hæc emendatio. vitiose ita legebatur: *Cum idem enim Asiam eam quam obtinebat.* Vnde variis varia coniectare libuit.

2, 43, 1 *Quippe absens pontifex factus erat, cum in Cottæ c.*) *Lipsius* feliciter corrigit: *q. absens Pontifex factus erat in Cottæ consularis locum, cum pæne puer à Mario &c.* Ita congruit historia, nec *Tacitus* aut *Dio* opponi possunt.

2, 43, 3 *Nobilissimaque Dolabellæ accusatio*) *Post* hanc *accusationem Dolabellæ, haud dubie principibus Patronis annumeratus est. Sueton.* 55. *Auctor de caussis corrupt. eloq.* 34, 8: *Nonodecimo ætatis anno L. Crassus C. Carbonem; vno & vicesimo Cæsar Dolabellam, altero & vicesimo Asinius Pollio*

C. Ca-

C. Catonem, non multo ætate antecedens Caluus, iis orationibus insecuti sunt, quas hodieque cum admiratione legimus. adde *Val. Max.* 8, 9, 3. *Plut. Cæs.*

contentiones ciuiles cum Q. Catulo atque aliis eminentiss. viris) de quibus *Plutarchus* & *Dio.*

Victus maximi Pontificatus petitione Q. Catulus) Suet. Cæs. 13. *Dio* 37. *Plutarch. Cæs.*

2,43,4 *Restituta in ædilitate mon. C. Marii) Suetonius Cæs.* 11 caussam exponit ἀνθιπεραγίαν *sc. æmulationem aduersus optimates. Vt auctoritatem,* inquit, *Optimatium, quibus posset modis, inuicem diminueret, tropæa C. Marii de Iugurtha, deque Cimbris atque Teutonis, olim à Sulla disiecta restituit.*

Reuocati ad ius dignitatis proscriptorum liberi) Quos Sulla excluserat, vide supr. 2, 28, 4.

2,44,2 *Hoc consilium sequendi Pompeius caussam habuerat &c.)* Fatalis rei Romanæ *Oligarchia.* cuius ὑπόθεσιν egregia obseruatione politica hic explanat Noster, qui & alias in talibus, quam sit studiosus χαρακτῆρος πολιτικοῦ, ostendit. Est autem in diuersis Triumuirorum consiliis, vnum & quasi generale propositum, quo *suam quisque potentiam* spectabat quærebatque: Maiore cum fiducia, Pompeius; maiore cum calliditate, Cæsar; maiore cum vanitate Crassus. Cæsar, vt ad destinata perueniret, etiam Pompeium & Crassum in amicitiam reduxerat, quod *Plutarchus* vocat πρᾶγμα καλὸν μὲν ἄλλως καὶ πολιτικόν, αἰτίᾳ δὲ φαύλῃ, καὶ μετὰ δεινότητος ὑπ' ἐκείνου συντεθὲν ἐπιβούλως, *præclarum alias factum & ciuili prudentia dignum, sed callide prauoque consilio ab ipso structum.* nempe, vt auxilio vtriusque eo proficeret interim, vnde alterum alterius auxilio postea oppugnare ac deprimere posset, relegata interim communis potentiæ inuidia in

so cios

ſocios, quod *Velleius* notat. Lege *Dionem* 37, vbi & ceterorum propoſitum oſtenditur. *Florus* rotunde 4, 2, 11: *Sic igitur Cæſare dignitatem comparare, Craſſo augere, Pompeio retinere cupientibus, de inuadenda Rep. facile conuenit.* Recte, *de inuadenda rep.* ait. Hæc enim vt ſpolium & merces ipſa ſui petebatur hac conſpiratione. à qua propterea Cato libertatis perniciem ſolebat repetere; atque, cum alii diſcordiam poſtea Pompeii & Cæſaris exiſtimarent reip. exitium attuliſſe, ille conſenſionem eorum fatalis mali cauſſam ſuggerebat.

2, 44, 5 *Affinitas etiam inter Cæſ. Pomp. contracta nuptiis*) *Affinitate & nuptiis ludere, prout potentiæ parandæ conſiliis conducit, inter arcana habent, quicunque dominatum moliuntur.* Ita hic, iam alii (*Cæpioni*) pacta Cæſaris filia, in Pompeii transfertur matrimonium: rurſus Pompeii filia, Fauſto Syllæ filio deſponſa, in manum Cœpionis iubetur conuenire. Quo tenderent ea conſilia, notat *Cicero* ad *Atticum* ſcribens 2, 17: *Turbat vt Sampſiceramus* (Pompeium intelligit) *nihil eſt quod non timendum ſit.* ὁμολογουμένως τυραννίδα συσκευάζεται. *quia enim iſta repentina affinitatis coniunctio?* Viderat in talibus affinitatibus iam antea ὑπόθεσιν τυραννικὴν Cato, cum Pompeio, filioque eius neptes ex fratre & ſorore denegaret. eo quod animaduerteret, ſuam quoq; ad prouehenda inciuilia cœpta voluntatem quæri. Hanc ipſam quoque vafritiem impauide coarguit, apud *Plutarch.* in *Cæſ.* p. 714. & *Appian.* 2 *bell. ciu.* vociferatus: διαμαστροπεύεσθαι γάμοις τὴν ἡγεμονίαν. Adi *Charact. Vellei.* c. 4, 13.

2, 44, 4 *In hoc conſulatu Cæſar legem tulit, vt ager Campanus plebei diuid.*) Etiam hoc arcanis dominationis coniungit *Cicero* epiſtola modo laudata. Rem totam prolixe expoſuit *Dio princip.* 38; vbi

vbi præſertim illa calliditas Cæſaris demonſtratur, qui cum reuera populi ſibi animos aduerſum Optimates conciliatos hac lege cuperet, auctoritatem tamen Optimatum conſenſumque, in ſpeciem, requirebat præferebatque, tota molitione ita diſpoſita, vt ne occaſionem quidem contradicendi inuenirent.

Et ius ab his reſtitutum) *Puteanus*: *ius ciuibus reſtitutum* i. e. *ius ciuitatis*. *Lipſius* coniecerat *ius his reſtitutum*. Si tamen vulgatam retinemus, illud *ab his* ad Cæſarem auctorem & Pompeium ſuaſorem legis pertinebit.

2, 44, 5. *Bibulus cum actiones eius magis vellet impedire quam poſſet)* *Dio* 38. *Sueton. Cæſ.* 20. Inſignis error optimatum hoc loco notandus eſt. Cum enim ſuſpectam merito haberent Cæſaris potentiam & διάνοιαν τυραννικὴν, veluti *aduerſarium* ei dederunt hunc Bibulum. Auctor *Appianus*: ἡ βουλὴ Λεύκιον Βίβλον ἐς ἐναντίωσιν τοῦ Καίσαρος ἐχειροτόνησεν αὐτῷ συνάρχειν. *Senatus Lucium Bibulum collegam Cæſari pariter & aduerſarium dedit. lib. 2 bell. ciu.* Adde *Suet. Cæſ.* 19. Non recte. Videndum enim eſt, *quis cui opponatur*, in refringendis nouis conſiliis. Non erat is Bibulus, qui cum Cæſare componi poſſet in rep. gerenda. Non erat, inquam, idoneus vel calliditate vel auctoritate. Itaque ſtatim in ipſo ἀντιπραγίας initio turpiter ſe dedit: cum ad ſpecioſa Cæſaris verba potius, quam inſidioſa facta animum attenderet, ſimulatæque concordiæ imagine tantiſper ſibi imponi pateretur, donec Cæſar diſcordiæ aduerſus Bibulum valituræ firmum quaſi gradum occuparet.

Tum Cæſari decretæ in quinquen. Galliæ) Socero ſc. (Piſone) generoque (Pompeio) ſuffragantibus, ex omni prouinciarum copia Gallias potiſſimum elegit, cuius emolumenta atque opportu-

nitates idonea essent materia triumphorum. *Suet. Cæs.* 22.

2,45,1 *Peridem tempus P. Clodius homo nobilis &c.*) Dicetur in *Character. Vellei. c.* 5.

actus incesti reus) Prolixe habes historiam apud *Plut. in Cæs. Dion.* 37. *Sueton. Cæs.* 6.

a patribus ad plebem transiret) Cæsare in inuidiam Ciceronis eum transducente. *Sueton. Cæs.* 20. nimirum vt tribunatum, qui patriciis non patebat, impetrare posset. Tales autem tribuni, qualis Clodius describitur, rebus nouandis idonei, ideoque molitoribus dominationis grati sunt.

Qui ciuem R. indemnat. interemisset) *Plut. in Cicer.* & præsertim *Dio* 38 : vbi & *iniquitas huius legis* declaratur, & quo consilio, quibus Potentum fraudibus oppressus sit Cicero, egregie ostenditur. *Appian.* 2 *bell. ciu.*

2,45,2 *Conseruatæ patr. pretium calamitate exsilii tulit*) Alii maluerunt : *calamitatem exilii.*

Non caruerunt suspic. oppress. Cic. Cæsar & Pompeius) Nec suspicio erat, sed manifesta fides. Vide *Dionem.*

Quod inter XX viros diu. ag. Camp. esse noluisset) Cæsar enim, vt occultaret noua consilia, optimum & clarissimum quemque diuidendis agris adhibere cupiebat, quasi nimirum non sua, sed ipsorum auctoritate illa res gereretur. quod animaduertens Cicero, decus atque dignitatem suam noluerat alienæ dominationi gratificari.

2,45,3. *Sera Cn. Pomp. cura, verum vt cœpit interrita*) Ita *Vrsinus* & *Gruterus* bene emendarunt; cum fuisset in exemplari, *verum & cupit interita.* Tu obserua infidam hic quoque Potentum amicitiam : Modo abiiciunt, si vtile suis rebus existimant; modo attollunt, si ex erecti restitutio-

ne a-

ne aliquem ſuæ potentiæ vſum commenti ſunt. Vt beneficio obligare poſſint aduerſarium, iniuria eo redigunt, vt beneficii capax ſit.

Neque poſt Numidici exilium) Fuit enim vere glorioſum Ciceroni hoc exilium, ſicut & *Philiſcus* in egregio illo cum Cicerone colloquio iudicauerat apud *Dion.* 38.

2, 45, 4 *Idem P. Clodius in ſenatu, ſub honorif. miniſterii titulo*) vide *Plutarch. Cat. Min.* Ita ſcilicet lupi apud oues, in fabula, de remouendis canibus agunt. Ceterum quam alias late pateat iſtud arcanum, quo *ſpecie honoris homines ſeponuntur*, eximia diſſertatione pertractat *Gruterus diſcurſ.* ad illud *Taciti* 2 *A.* 42, 2: *Tiberius amoliri iuuenem* (Germanicum) *ſpecie honoris ſtatuit. Lipſ.* 4 *polit.* 14, 70. In Noſtro exemplo non fefellit ſane Catonis prudentiam Clodius, qui vltro clamauit, ὡς ἐνέδρα τὸ πρᾶγμα καὶ προπηλακισμὸς, οὐ χάρις ἐστίν; *inſidiarum & contumeliæ cauſſa ſibi id miniſterium à Clodio imponi.* Sed quomodo poterat voluntati populi, quem perforata nare trahebat Clodius, reſiſtere?

Ad ſpoliandum r. Ptolemæum, omnib. mor. vitiis e. c. meritum) Mirum Schema Velleii. quaſi morum vitia Ptolemæum regno exuere, & Romanis ſpoliandum tradere debuerint. Aliter & verius *Ammianus Marcellinus* 14, 27, de Cypro loquens: *nec piget dicere, auide magis hanc inſulam populum R. inuaſiſſe, quam iuſte. Ptolemæo enim rege federato nobis & ſocio, ob ærarii noſtri anguſtias iuſſo ſine vlla culpa proſcribi, ideoque hauſto veneno voluntaria morte deleto, & tributaria facta eſt, & velut hoſtiles eius exuuiæ claſſi impoſitæ, in vrbem aduectæ ſunt per Catonem. Florus* quoque non obſcure indignitatem rei innuit, cum 3, 9, 3 inquit: *Diuitiarum tanta erat fama, nec falſo, vt victor* gen-

gentium populus, & donare regna consuetus, P. Clodio Tribuno duce, socii viuique regis confiscationem mandauerit. Videnda, quæ ad Marcellinum *Henr. Valesius*; ad Florum, *Freinshemius*, duo clarissimi Viri, notauere. Alii alios colores quæsiuere, ac in Clodium omnem eius rei culpam reiecere. Verum hi colores sunt, quibus appingendis valde sollertes sunt, magistri & ministri dominationis: *vt iniquitas, auaritia, ambitio sub virtutum & iuris nominibus lateant.*

2, 45, 5 *cuius integritatem laudari, nefas est*) Talis sententiæ formula apud *Tacitum* occurrit in *vita Agricolæ* 9, 5: *Integritatem atque abstinentiam in tanto viro referre, iniuria virtutum fuerit.* q. d. *In viro tam glorioso, nihil habebit magnifici aut præclari, si dicatur, integritatem & abstinentiam, quas omnes vtique suis functionibus debent, quæque inter necessaria potius officii ciuilis nomina, quam inter elogia virtutis audiri solent, præstitisse: quinimo obscuraretur excellentiorum virtutum splendor & deprimeretur quodammodo, expositione earum rerum, sine quibus nec in bonis viris ii numerantur, quos magnis interim nemo accenset.* Aliter explicant Nostrum alii, mihi de hac interpretatione nondum opus fuit dubitare.

2, 46, 1. *Cum deinde imm. res vix multis voluminib. explicandas Cæsar in Gallia ageret*) De quibus vide quos Camers notauit ad *Flor.* 3, 10: & adde *Dion.* 40.

Inuictum par consulum Cn. Pomp. & M. Crassus) Vitiosissime *victus pars consulum.* vnde *Rhenanus par cons.* fecerat. quod retinuimus, in textu, non quod ceteris coniecturis doctorum præferremus; sed quod nihil certi aut firmi in omnibus esse cerneremus. *Lipsius, inclutum par*; *Vrsinus, vetus par*, legunt.

Neque

Nequepetitus honeste ab his, neque prob. gestus est) Nam & factiose ac pæne per vim, ex arbitrio suarum partium, inuaserant consulatum, & magistratus quos vellent constituerant, & omnia potentiæ augendæ patrabant nouabantque. inter quæ etiam decretæ in alterum quinquennium (Dio de *triennio* meminit, sed intellexerim de consultatione potius, quam de decreto) Cæsari Galliæ, Pompeio Hispania & Africa; Crasso Syria & vicinæ prouinciæ, referri debent. *Dio* 39. *Plut. Cæs. & Crass. Appian.* 2 *bell. ciu.*

2, 46, 3 *Hunc proficiscentem in Syriam diris cum ominib.)* De his deuotionibus, diris, imprecationibus solenniter publiceque conceptis vide omnino doctissimi *Brisson.* 1 *formul. solenn.* vbi & huius historiæ occurrit declaratio ex *Plutarcho, Appiano, Dione, Cicerone, Lucano.* Adde *Nostrum* supra 2, 22, 2.

Vtile imperatoris damnum saluo exercitu fuisset reipubl.) *Lipsius*, *Vile* reponit. Ceterum scriptores belli Parthici vide notatos ad *Flor.* 3, 11. Est autem memorabile cumprimis in exitu Crassi exemplum, *qualis vindicta iniustissima bella, auaritiamque inexplebilem soleat consequi.* nam id magno consensu agnoscunt scriptores obseruantque hoc loco.

2, 47, 1. *Amplius CCCCM hostium à Cæsare cæsa sunt) Plinius, Plutarchus, Appianus* longe maiorem, nec tamen eundem, numerum habent. vnde *Lipsius* rescribit: *octingenta millia host.*

Pugnatum sæpe erupt.) Incuria Typothetæ & Correctoris factum est, vt hoc loco omitterentur duo membra in nostra editione, quod vehementer doleo. Locus ita habet: *pugnatum sæpe directa acie, sæpe in agminibus, sæpe eruptionibus.*

Circa Alesiam vero tantæ res gestæ) Florus

Alexiam vocat. 3, 10, 23. vide, ipsum *Cæs. bell. Gall. 7. Plutarchus in Cæs.* διὰ πολλὰ μὲν οὖν εἰκότως ὁ πρὸς Ἀλησίᾳ κίνδυνος ἔσχε δόξαν, ὡς ἔργα τόλμης καὶ δεινότητος, οἷα τῶν ἄλλων ἀγώνων οὐδεὶς παρασχόμενος. *Multas ob caussas gloriam Cesaris auxit hoc ad Alesiam certamen: quippe vbi ea virtutis consiliique documenta, qualia non in alio facile certamine edidit.*

2, 47, 2 *cum medium iam ex inuidia potentiæ male cohærentis inter Cn. Pomp. & C. Cæs. concordiæ pignus Iulia)* Est hæc inter præcipuas *Lipsii* emendationes. nam in msc. erat: *ex inuidia Ponti ac camilte.* vnde quidam fecerant: *ex inuidia Pompeii male cohær.* Ita autem Pompeii nomen inficete statim repeteretur. Ergo hoc dicitur: *Concordiam male cohæsisse ex inuidia potentiæ.* prorsus præclare & sententiose. *inter socios potentiæ, est inuidia & æmulatio potentiæ: hæc facit vt infida sit societas, vt male cohæreat concordia.*

2, 47, 3 *Tum in gladios cædesque ciuium furente ambitu, cuius neque finis reperiebatur, neque modus)* Tribunorum præsertim plebis ferocia tumultus excitabat, comitia turbabat, pro consulibus tribunos militum postulabat (quo nimirum plures remp. capesserent) populo suis malis applaudente & in perniciem suam sæuiente. οὔτε γὰρ ἐμετρίαζον, οὔθ' ὑγιὲς οὐδὲν ἐποίουν, ἀλλ' ἐπ' ἀλλήλους παρώρμηντο, πολλὰ μὲν δαπανώμενοι, πολλῷ δ' ἔτι πλείω μαχόμενοι. *Neque enim moderati sanique quidquam agebant, sed tumultuabantur inuicem turbabantque tum largitionibus multa, tum pleraque certaminibus gerentes ac cædibus,* inquit *Dio* 40 *p.* 159. apud quem plura antecedentium & consequentium vide, vt æstimes, quantũ breuitate mirifica, signanter tamen, expresserit *Velleius.* Similia habet *Plutarchus in Cæs p.* 721.

Tertius cons. sol. Cn. Pompeio, etiam aduersantium antea dignitati eius iudicio delatus est) de

Catone

Catone præſertim & *Bibulo Plutarchus* in *Pomp.* de totius ſenatus conſilio *Dio* 40: fuiſſe inter artes *Ariſtocraticas*, vt Pompeio ſoli delatus Conſulatus & dictaturam impediret, quam tribunipl. Pompeio magnis iam clamoribus deſtinabant; & Pompeium à plebe auocaret, atque ad optimatium partes traduceret; denique ne duriore in ſeruitio eſſent Romani, ſi cum Pompeio Cæſar, quod timebant, conſul factus eſſet. Sed quid eſt τὰ ναυάγια πολιτεύεσθαι, ſi hoc non eſt? Nulli iam prudentiæ, nulli arti ſua vis. mutabantur miſeriæ, non tollebantur. Et iam ὠδῖνες reip. regnum parturientis occœperant.

Sed eius conſulatus omnem vim in coërcit. ambitus exercuit) *Lipſius* mallet, *exeruit*. Vide *Dion.* 40. *Appian.* 2 *b, c. Plut. Pomp. Sigon. de iudic.* 2, 29.

2, 47, 4 *P Clodius a Milone &c*:) Supra iam aliquid de iudicio Noſtri auctoris diximus ad 2, 20, 3.

2, 48, 1. *Iis qui ab ipſo*) Rhenani editio, *iis qui ab ipſo quoque* non debuit mutari.

2, 48, 2. *Qui ſi ante biennium quam ad arma itum eſt deceſſiſſet, defuiſſet fortunæ deſtruendi eius locus*) Tali ſententia *Plutarchus in Pompeio* optat: *Vtinam tum obiiſſet* (poſt tertium triumphum) *cum adhuc Alexandri fortunam haberet. nam quæ ſecuta ſunt non minimam felicitati eius impoſuere labem.*

Vniuerſa Ital. vota pro ſalute eius, primo omnium ciuium, ſuſcepit) *Dio* 41 pr. *Plut. Pomp. Iuuenal.* 10.

2, 48, 3 *Non alius maiorem flag. q. C. Curio tr. pl. ſubiecit facem*) Nam perturbatis reip. temporibus tales homines, qualis hic deſcribitur Curio, idonea ſunt inſtrumenta, dominationis conſilia agitantibus.

Cuius animo, voluptatibus vel libid. neq; op.

 vllæ)

illa) Haud dubie corruptissimus est hic locus. cui medelam hactenus nemo excogitauit. Lipsius tentauit: *cuius animi voluntatibus*; & postea pro *cupiditates*, *ciuitates* substituit. *Gruterus* illa verba, *voluptatibus vel libidinibus*, à mala manu esse, itaque deleri oportere existimauit. Acidalius, pro *animo*, legit *omnino*. Quidquid horum consideras, vel stilus vacillabit vel sensus.

2, 48, 4 *Mox simulatione contra Pomp. & Cæsarem*) cuius simulationis consilia exposuit diligenter *Dio* 40 non procul à fine.

accepto centies H-S) prorsus maior summa fuit: quod iam *Aldus*, *Lipsiusque* notauere. cuius verba non possum, quin adscribam: *Ego*, inquit, *scribo* sexcenties. *Caussam habeo, quod* Dio Cassius *auctor lib. XL*, omni ære alieno, quo ingenti obstrictus, Curionem à Cæsare liberatum. *atqui* forum nostrum *ait* Valerius (9, 1, 6) Curionis filii sexcenties sestertium æris alieni aspexit. *Caussam etiam alteram, quod* Plutarchus *&* Appianus *consentiunt*, Paullum Cos. emtum à Cæsare mille quingentis talentis. Curionem autem maiore etiam summa. *Si ita est, cum tot ista talenta paullo minus* quadringenties HS *efficiant: quidni Valerium audiamus in maiore summa?* Hactenus *Lipsius*.

condiciones pacis discussit & rupit) Quo sensu etiam *Lucanus lib.* 1. tribunos *faces belli* vocat, *Curionique* præsertim orationem, qua Cæsar ad audendum bellandumque instigatur, tribuit. Ita quidem ex parte Cæsaris: sed ex Pompeii parte *Lentulus* aliique similem censuram merentur, qui non passi sunt ipsum pacis consiliis animum adiicere.

Vnice cauente Cicerone concordiæ publicæ) Commendat etiam virum optimum hoc nomine *Plutarchus in Cæs.* Κικέρων ὁ ῥήτωρ ἄρτι παρὼν ἐκ Κιλικίας καὶ διαλλαγὰς πράττων, ἐμάλαττε τὸν Πομπήϊον. ὁ δὲ

τἄλλα

τἆλλα συγχωρῶν τοὺς στρατιώτας ἀφήρει, καὶ Κικέρων μὲν ἔπειθε τοὺς Καίσαρος φίλους συνενδόντας ἐπὶ ταῖς εἰρημέναις ἐπαρχίαις, καὶ στρατιώταις μόνοις ἑξακισχιλίοις ποιεῖσθαι τὰς διαλύσεις. *Reuersus modo è Cilicia Cicero Orator de reconciliatione agebat, Pompeiumque mitigabat, Vt in aliis concederet, legiones tantum Cæsari adimeret. Itaque rursum Cicero persuasit amicis Cæsaris, Vt contenti, quas prædiximus, prouinciis militumque sex millibus, concordiam pacemque admitterent.* Meminit & in *Vita Ciceronis.*

Cum iustis aliorum Voluminibus promitur) vet. exempl. *cum iustius aliorum Voluminib. promatur.* quod tolerari queat.

2,49,1 *Quieta aut certe non præcipitata, fatali a. i. &c.) Lipsius*, interponit: *quieta ea aut c. n. p.* vt ad remp. referatur. ita enim omnino necesse est. nam quæ alias illa multitudo epithetorum, si de morte capias? *Fatali morte,* bene se habet, nec erat mutandum. Ceterum pertinet huc locus *Ciceronis* de Hortensio, in *Bruto c. 96. Sic Q. Hortensii Vox extincta fato suo est; nostra, publico.* & mox: *Sed fortunatus illius exitus, qui ea non Vidit cum fierent, quæ prouidit futura. sæpe enim inter nos impendentes casus defleuimus, cum belli ciuilis caussas in priuatorum cupiditatibus inclusas, pacis spem à publico consilio esse exclusam Videremus. sed illum Videtur felicitas ipsius, qua semper est Vsus, ab eis miseriis, quæ consecutæ sunt, morte Vindicasse.* Tali ferme figura *Tacitus* Agricolæ suo *opportunitatem mortis*, quam vocat, gratulatur, & *festinatæ mortis grande solatium tulisse*, ait, *euasisse postremum illud tempus, quo Domitianus non iam per interualla ac spiramenta temporum, sed continuo & Velut Vno ictu remp. exhausit.* Agr. 44, 6 & 45, 5. Quid nobis hodie dicendum est? Nihil aliud addam, quam quod rursum *Tullius* de temporibus

reip. dicit in *Bruto* 76. *Præteritorum recordatio est acerba, & acerbior* forte *expectatio reliquorum.*

2,49,2. *& anno LXXVIII)* Illud *anno* insertum est, & poterat abesse.

2,49,3 *Alterius ducis caussa melior videb.)* Egregia dissertatio de partibus belli ciuilis, de qua sigillatim aliquid dicemus. *Videbatur sane Pompeii caussa melior*, quia à Coss. mandata ipsi erat defensio reip. contra Cæsarem hostem iudicatum: sed videbatur tantum, non erat. Satis notum est, & scriptoribus diligenter memoratum, quod vterque pro sua dominatione, neuter pro rep. bellauerit. *Solus Cato fecerat aliquas & reip. partes*, sicut *Seneca* loquitur ep. 104. Quanquam hæc ipsa species & splendida nomina Pompeianorum non parum deformata sunt illa intemperantia, qua tractationem Cæsaris de pace repulerunt, τὴν εὐπρεπεστάτην Καίσαρι τῶν προφάσεων αὐτοὶ μηχανησάμενοι. *speciosissimum colorem ac prætextum Cæsari hoc pacto ipsi concinnantes. Plutarch. Cæs.* Scriptores huius belli vide *Camerti* notatos ad *Flor.* 4,2, quibus omnino *Dionem* adde.

Hic omnia speciosa, illic valentia) Ita est: Pompeius ipse multa gestorum gloria, multis regum amicitiis, populorum auxiliis subnixus, & iam reip. ac libertatis propugnator habebatur: sed reuera maius in Cæsareanis partibus robur, siue ducem spectares, siue milites, siue instrumenta belli solida. Cæsar ipse *in orat. ad milit.* ridet inania Pompeii nomina & speciem, apud *Lucan:* 1,

——*Veniat longa dux pace solutus*
Milite cum subito, partesque in bella togatæ,
Marcellusq; loquax, & nomina vana Catones. &c.

Pompeium senatus auctoritas) Scriptores passim testantur. Vide orationem *Lentuli ap. Lucan. principio* l. 5, ubi inter alia;

——— ———*non vnquam perdidit ordo*
Mutato ſua iura ſolo, mærentia tecta
Cæſar habet, vacuasq; domos, legesq; ſilentes,
Clauſaq; iuſtitio triſti fora. Curia ſolos
Illa videt Patres plena quos vrbe fugauit.
Ordine de tanto quisquis non exulat, hic eſt.

Conſules Senatusque cauſſæ non Pompeio ſum. imp. detul.) *Gruterus* contra *Lipſium* firmat hanc lectionem, vt ſenſus ſit *non Pompeio propter Pompeium, vt ſic dicam, ſed Pompeio propter cauſſam, quæ non Pompeii, ſed publica videbatur, commiſſam eſſe rei militaris ſummam.* Eruditiſſimus *Gronouius diatrib. ad Stat. l. 3. ſilu. 3. c. 32* legit: *cauſſæ nomine Pompeio* &c. i. e. *vt ipſe cauſſam Senatus tueretur, ſubintellige, non vt imperaret, vel potius dominaretur, cum contra Cæſarem ſui Dominum aſſererent.*

2, 49, 4. *Nihil relictum à Cæſare, quod ſeruandæ pacis cauſſa tentari poſſet &c.*) Ita quidem præ ſe ferebat: ſed fortaſſe veriſſimum eſt iudicium *Plutarchi* in *Antonio*, Cæſari bellum pridem & vehementer cupienti fuiſſe; quippe quem ſtimularet ἔρως ἀπαρηγόρητος ἀρχῆς, καὶ περιμανὴς ἐπιθυμία τοῦ πρῶτον εἶναι καὶ μέγιστον *inexplebilis imperandi amor, & inſana principatus cupiditas.* cuius tegendæ, iuriſque titulo exornandæ maximas interim occaſiones Pompeiani præbuere homini, quod negari non poteſt.

cum alter cos. iuſto eſſet ferocior) *Marcellum* intelligit. cuius ferociam præſertim etiam ex *Appian. 2b. c,* licet intelligere. Porro vterque Cos. ideo creati erant; quia Cæſarem ſummo odio proſequerentur: notante eodem.

Lentulus vero ſalua rep. ſaluus eſſe non poſſet) propter magnitudinem ſcilicet æris alieni: nam his nimirum *ciuili bello opus*, ſiue, vt apud *Salluſtium*

ſtium notantur, *his perdita rep. opus eſt. Cæſar* 1. *b. c. Lentulus*, inquit, *æris alieni magnitudine, & ſpe exercitus ac prouinciarum & regum appellandorum largitionibus mouetur: ſeque alterum fore Syllam, inter ſuos gloriatur, ad quem ſumma imperii redeat.*

M. autem Cato moriend. ante, quam Vllam condit. ciu.) vide quæ notauimus ſupra ad 2, 7, 2.

2, 49, 5 *Et ſe in petit. conſul. ſuffrag. P. R. committeret decreuere*) Rectiſſime ita poſt alios *Gruterus* edidit, qui hanc ipſam lectionem eſſe exemplaris ſcripti affirmat.

Cn. Pomp. Coſſ. q. & m. p. S. relicta Vrbe &c:) Deſcribit eam ex vrbe fugam graphice *Dio* 41. Cæterum *an prudenter à Pompeio factum ſit, quod Vrbem Italiamque reliquit*, non vna erat ſententia. Quidam, inquit *Plutarchus in Pompeio* ἐν τοῖς ἀρίστοις τίθενται στρατηγήμασιν, *in optimis belli conſiliis ponunt* Pompeii ex Italia diſceſſum: *ipſe Cæſar mirabatur, quod relicta munita Vrbe, cum præſertim ex Hiſpania copias expectaret, marique polleret, Italia tamen excederet. Cicero etiam reprehendiſſe fertur, quod Themiſtoclis potius conſilium quam Periclis imitatus ſit Pompeius, cum tamen, tempora huius caſus non illius exemplum ſuppeditarent.* Quod peritiſſimorum virorum iudicium non videtur de nihilo: cum præſertim non tam conſilio Pompeii; quam impetu Pompeianorum ſuſcepta profectio videatur. Poteſt tamen opponi: *Pompeium illis populis, regibus, tetrarchis, dynaſtis, quorum amicitia nitebatur propiorem factum; Cæſarem in aduerſa & inimica loca perlicere debuiſſe.* Sed imbellem illam gentium multitudinem Pompeius cum Cæſariani militis bello indurati peritia & virtute debebat contendere; ſimul illud reputare; minorem vbique eſſe cedentis aucto-

ritatem,

ritatem, & qui recedat, fugere credi. Certe non omisit *Dio* notare talem euentũ 41 p. 178 Πομπήϊος μὲν οὖν τήν τε πατρίδα καὶ τὴν ἄλλην Ἰταλίαν οὕτως ἐξέλιπε, πάντα τὰ ἐναντιώτατα τοῖς πρόσθεν, ὅτε ἐς αὐτὴν ἐκ τῆς Ἀσίας κατέπλευσε, καὶ ἑλόμενος καὶ πράξας, ἀφ᾽ ὧνπερ καὶ τὴν τύχην καὶ τὴν δόξαν ἀντίπαλον ἐκτήσατο. *Atque ita Pompeius patriam omnemque Italiam reliquit; longe ille quidem diuersa ac plane contraria iis molitus, quam antea probauerat, cum ex Asia rediret. Itaque & FORTVNAM & EXISTIMATIONEM priori contrariam nactus est.*

2,56,1 *At Cæsar Domitio legionib. Corfin. &c*) Quæ de Domitio, item de oratione Cæsaris in vrbe hic memorantur, præter Dionem, Appianum, Plutarchum, præsertim *Ipse* diligenter exposuit 1 *bell. ciu.* Noti sunt & iam supra indicati *scriptores totius ciuilis belli*: è quibus deinceps, ea tantum mutuabimur, quæ nostro instituto opportuniora videntur.

2, 50; 3 *Festinat. itineris eius al. morata Massilia est; fide melior quam consilio prudentior*) Melius se medios & neutrius partis præstitissent hoc tempore Massilienses. Certe si vllum tempus cuiquam ciuitati ἀδιαφορίαν suasit, hoc videtur illud fuisse. Vtrique obstricti erant, Pompeio Cæsarique: nec de iustitia caussæ aliquid certi in re perplexa videre licebat. Atq; etiamsi Pompeii vetustiora, Cæsaris recentiora essent merita, par tamen obligatio gratiam & fidem ex æquo postulabat. Itaque honesta sane fuisset oratio, prudensque consilium, quod præferebant initio apud *Cæsarem l.1.b.c: Intelligere se diuisum esse P.R. in partes duas: neq; sui iudicii, neq; suarum esse virium discernere, vtra pars iustiorem caussam habeat: principes vero esse earum partium Cn. Pompeium & Cæsarem patronos ciuitatis; quorum alter agros Volcarum Arecomicorum & Heluiorum publice iis concesserit; alter bello victas*

Gallias attribuerit, vectigaliaque auxerit. quare partibus eorum beneficiis parem se quoque voluntatem tribuere debere, & neutrum eorum contra alterum iuuare; aut vrbe aut portibus recipere. Hoc responsum etiam *Dio* vocat, ἀπόκρισιν ἀξιομνημόνευτον. Sed mox Pompeianis se partibus adiunxerunt, eaque re iram Cæsaris asperarunt. Quem errorem nec *Strabo*, omisit notare *lib.* 4: τῷ κρατηθέντι μέρει προσθέμενοι τὴν πολλὴν τῆς εὐδαιμονίας ἀπέβαλον; *cum parti victæ se adiunxissent, plerumque felicitatis suæ perdidere.* Scilicet *arbitria* volebat agere Massilia principalium armorum, vt *Velleius* iudicat, quia dum Pompeium sequitur, Cæsaris caussam damnauit: neque prudenter fidem alteri approbare conata est, quam vtrique debebat. sicut nec illa pars responsi satis prudens erat, cum Cæsaris consilia se morari velle profiterentur, antequam satis expendissent suas ad morandum vires opesque. Vnde *Velleiana* ἐπίκρισις illa subnascitur: *Principalibus armis ii se debent interponere, qui non parentem coercere possunt.* quasi diceret, si Massilienses iis instructi fuissent opibus, quibus Cæsar potuisset terreri compescique, tum sane quiuissent dicere: *abstine portibus nostris Cæsar, omitte arma aduersus Pompeium, excede finibus nostris, aut pacato habitu ingredere. Nunc stultitia erat leges dicere ei, qui armorum minas armis eludere posset.* Miseratione interim dignissima est optima & de Romano nomine præclarissime merita ciuitas. Quare *Cicero* 2 *offic.* 8 serio deplorat *in triumpho portatam eam vrbem, sine qua nunquam Romani imperatores ex transalpinis bellis triumpharant.* id quod indignissimum merito viris bonis videbatur: non debebat enim triumpho ostentari, quod miseratione mœstitiaque publica potius abscondi merebatur.

5, 50, 4 *Vterque legatorum & q. c. o. S. eos*

Vol.

Vol. remissi ad Pompeium) Ita ab initio capitis *Domitium captum aliosque qui voluerant abire ad Pompeium sine dilatione dimisit.* Qua re & gloriæ non parum & insigne ad res gerendas momentum sibi peperit Cæsar, sicut *Dio* anim aduertit. Moderationis huius exemplum etiam apud *Suetonium* habemus *Cæs.* 75: *Denuntiante* enim *Pompeio, pro hostibus se habiturum, qui Reip. defuissent: ipse medios & neutrius partis, suorum sibi numero futuros pronuntiauit. Quibus autem ex commendatione Pompeii ordines dederat, potestatem transeundi ad eum omnibus fecit.* Prudenter sane, nam quid *inuitis, id est, infidis* auxiliis fidas ac adiutoribus? Nam & segnius tua imperia exequentur, & quamprimum poterunt, discessione ac desertione te nudabunt. Ita sunt homines, cogentem fugient: non-inuitantem sponte sequentur. censetur enim ibi plus iuris esse ac fortunæ, vbi minus est coactionis.

2, 51, 2 *Sed inopia obsidentibus, quam obsi: grauior erat*) Mira tamen tolerantia Cæsariani sustinuere illam inopiam, dictitantes: *prius se cortice ex arboribus victuros quam Pompeium è manibus dimissuros. Cæs. b. c.* 3. *Sueton. Cæs.* 68. *Plutarch. Dio* 41. *Appian.* 2 *b. c.*

2, 51, 3 *Quibus non Hispaniensis sed Hispanus*) Ex Lipsianis emendationibus præcipuis ista haberi debet. Fuerat antea *Hispaniæ suæ natus*, ex *msc. Hispaniæ Asia natus.* Paraphrasis ista, è Lipsio: Hac audacia, ait Velleius, effectum, vt Balbus ille, non dicam ciuis è Latio aut incola Hispaniæ saltem, sed vere Hispanus & externus Romæ perueniret ad sacerdotium & triumphum. quod sc. nouum erat. *Plin.* 5, 5. Vide etiam *Ind.*

Sed vno longe magis Pompeianis prospero) adeo quidem vt Cæsar diceret: *Actum de nobis*

erat,

erat, si hostis sciuisset victoria vti. Vide scriptores paulo ante laudatos.

2,52,1. *Neque hercules quidquam illis partib. salubrius fuit*) Ita etiam *Appianus* iudicat. Certe etiam alterum istud consilium *trahendi belli* prorsus è re Pompeii futurum erat: sicut clare *Plutarchus* explicat. Sed Pompeium non tam *impetus suus*, quod hic *Velleius* dicit, quam fatalis suorum temeritas in noxia consilia & exitium præcipitauit.

Quod dignatione partium in dies ipsis m. prosp. fieret) Ita *Rhenanus* bene ediderat, cum fuisset: *quod dignationi partem in die ipsi magis p. f.*

2,52,2 *Aciem Pharsalicam &c.*) vide *Cæs.* 3 *bell. ciu. Plut. Cæs. & Pomp. Dion,* 41. *Appian.* 2 *b. c. Flor.* 4, 2, 44 *&c. Liu. epit.* 111. *Lucan.* 7 aliosque.

effossumque alterum R. imperii lumen) Hæc vera lectio & primigenia.

2,52,3 *Quam omnes partes (militari & verbo & consuet. vtar) dimitteret*) Legebatur. *quam in omnes p.* &c. Quidam emendabant: *quam vt omnes Patres.* Quod aspernatur *Lipsius*, & *Partes* vocari hic militari verbo autumat; quia durum videbatur in ciuili dissensu *hostes* dicere. Videtur tamen *verbum militare* Velleii potius de *dimissione* intelligendum esse. Sensus fuerit: *nihil prius habuit Cæsar, postquam in sua manu victoriam intellexit, quam vt omnem inimicitiam, partiumque odium ex animo abiiceret; neque iam Pompeianos vt hostes suis, neque suos vt Pompeianis hostes, sed vtrosque vt ciues considerabat, adeoque veluti simul & semel, tanquam dimissis à bello, finem odii noxæque indiceret.* Alluditur ad Cæsaris vocem: *Miles parce ciuibus.* Ecce, non vt partes aduersas nominat Pompeianos, neque se vt diuersæ partis considerat, sed *Ciuis ciuibus* vult parci.

2,52,4

2, 52, 4 *Quod huius volunt. erga Brutum sua*) Etiam *Plutarchus in Cæs.* & *Dio fine* 41 statim in comparationem ingratitudinis, qua postea Brutus violauit conseruatorem suum, sententiam acuit. Timuerat Cæsar Bruto, cum nō compareret: saluumque postea gauisus benigne exceperat.

2, 53, 1. *Aliis vt Parthos, aliis vt Africam pet.*) de Parthis etiam *Appianus*. Sed refutat eam sententiam *Dio principio lib.* 42. idem qui graui obseruatione perplexitatem Pompeii, & ex perplexitate desperationem arguit. Didicerat alias Pompeius in aduersis bene sperare, idque tanto viro, tantaque indole ac experientia dignum erat. nunc omnem spem abiicit, cum tamen multa ad sperandum & resurgendum superessent. Scilicet antea aduersos casus, antequam acciderent, præuiderat, & quid facto opus foret, si accidissent, meditatus erat: nunc certa spe victoriæ præcepta, inopinato casu perculsus, consilium timore & consternatione perdidit. Vide ipsam *Dionis* super ista re φιλοσοφίαν.

2, 53, 2 *sed quis in aduersis benefic. seruat memoriam?*) Pleni sunt auctorum libri talibus sententiis: quippe id argumentum *locis Rhetoricis* opportunum est cumprimis. hic *Rhetorum campus*. *Cæsar* in hoc ipso scelere Ægyptio commemorando *l. 3 b. c. plerumque in calamitate ex amicis inimicos existere* notat.

Imperio arbitrioq; Ægyptii mancipii) *Senec. ep. 4 De Pompeii capite Pupillus & spado tulere sententiam. Idem de breu. vit.* 14: *Pompeius Alexandrina perfidia deceptus, vltimo mancipio transfodiendum se præbuit.*

2, 53, 3. *In tantum in illo viro à se discordante fortuna*) Valde signanter & ἐμφατικῶς istam fortunæ discordantis ἀντίθεσιν tractat *Dio* 42. *p.* 210 & 211. adde *Lucanum, fine* 8.

2,54,1 *Non fuit tamen maior in Cæs. &c.*) *Cæs. fine* 3 *b. c.* & *Hirtius bell. Alex. Plutarch. Cæs. Appian.* 2 *b. ciu. Suet. Cæs.* 35 *Flor.* 4,2,54 *&c. Liu. epit.* 112.

2,54,2 *Nusquam erat Pompeius corpore, adhuc vbique nomine*) Legebatur: *adhuc vbique Iubæ nomine.* Vocem *Iubæ* doctissimus quisque deleuit.

Bellum exc. Africum, quod ciebat rex Iuba) *Hirtius de bell. Afric.* ceterique, quos iam sæpe laudauimus.

2,54,3 *Honoratiori parere maluit*) Clarius *Appianus*: *recusasse* Catonem imperium, *quod adessent legati consulares, cum ipse prætorius tantum esset, itaq; hic quoq; legum habendã rationem, quod* apud *Plutarch. in Cat. Min.* additur. Paulo antea legitur in Nostro: *itinerum locorumq; inopia*: rectissime. ne quis correctionibus indulgendum hic putet.

2,55,1 *Ibi primo varia fortunam expugnauit via*) Valde placuit doctis *Lipsii* emendatio, quam & *Acidalius* sibi vindicat: *Ibi primo varia fortuna, mox pugnauit sua.* Clarior est sententia, quam vt explicari debeat.

2,55,2 *Victorem Afr. b. Cæs. grauius excepit Hispaniense*) vide *Hirtium de bell. Hispan.* ceterosque. neque enim toties repetemus satis nota cuiuis nomina.

Nam victus ab eo Pharnaces vix quicq. gloriæ adstruxit) vide *Flor.* 4,2,63 ibique *not. Freinshemian.*

2,55,3 *Vestigio se non recessurum*) scilicet rebus tam dubiis periculorum remedium sunt ipsa pericula, neque temeritas videri debet, necessaria audacia; siue, vt accuratissime omnium *Tacitus* loquitur, vbi *præsidium ab audacia mutuatur*, quem virtus iam non potest eripere. Qua de re multa multi,

multi, quæ non exscribimus, Adi *Scipion. Amirat. dissert. polit. ad Tac. IX.*

2, 55, 4 *a duce quam à milite fortius*) Ita *Rhenanus* edidit. Vetus exemplar prætulit: *C. A. duce q. a m. f.* vnde *Aldus*; *Ceterum a duce.*

2, 56, 2 *Pecunia ex manubiis lata paullo amplius sexies millies H-S*) Defendit hanc lectionem aduersus *Hotomannum* (qui *sexagies* volebat) *Lipsius*: cum Cicero *septies millies* aliquoties nominet; & *Appian* summa vltra *decies sexies millies HS* (maiorem sane numerum, sed longe infra *Hotom.* calculum) non ascendat. Vide *Ind.* voc. *Sestert.* Sed & cetera quæ de triumpho hic dicuntur, in *Indice* commodius declarabuntur.

2, 56, 3 *Idibus Martiis coniurationis auctorib. &c.*) De cæde *Cæsaris* plerique, quos hactenus sæpius nominare opus fuit. An merito acciderit ei hic exitus, varie disputatur. & iam olim *occisus Cæsar aliis pessimum, aliis pulcerrimum facinus videbatur*, teste *Tacito* 1 A. 8, 7. ad quem locum vide quæso, quæ *Vir Illustris Christophorus Forstnerus* notauit: vbi præsertim cum *Dione* ac prudentissimo quoque Historicorum, *præiudicium diuinæ vltionis aduersum parricidas* vrget, magnisque exemplis confirmat. Res tota illuc videtur redire: *passionem*, secundum tritum vulgi verbum, *iustam*; *actionem iniustissimam* censeri debere. Immiserat ei hanc cladem haud dubie Diuina Iustitia, tum alia facinora tum Pompeianarum partium funera reiq; publicæ perturbationem, & ciuilem sanguinem vltura: sed interfectores ipsi scelestissimo consilio ausuque facinus suscepere. cum præsertim, non dum inuadit dominationem, sed postquam iam pacto & iuramento ciuium ius quodpiam nactus erat, interfecerint Cæsarem. Nam quod *Brutus* apud *Appianum* iactitat ὀδ᾽ ἐν πιςῶν ἐςὶ ῥωμαίοις πρὸς τυράννυς, ὀδ᾽

ἔνοχον, merito refutat *Hugo Grotius de iur. b. & p.* 2, 13, 15. confer 1, 4, 19 & 3, 19, 2. Egregia est dissertatio *Dionis principio lib.* 44. Certe inter insignes *solœcismos politicos* retulerim illam *Ciceronis* intemperantiam, qua toties cædem & percussores Iulii extollit & immodice prædicat: cum tamen ex illa de tyrannicidio quæstione, cuius sæpe in epistolis mentionem facit, nunquam se plane pleneque extricare queat.

Quorum alterum promittendo consulatum non obligau. contra differendo Caßium offenderat) vide *Plut. in Cæs.* subtili sententia ambitiosorum ὑπόθεσιν notat *Velleius, qui cum habere quam expectare malint honores, nec promittēdo mitigantur, & differendo offenduntur.* Quanquam animo inuidiæ facibus iam succenso, *omnia sunt ingrata, nihil fecisse benigne est.* Vide de his & ceteris popularibus sceleris *Dion.* 44 *p.*

2, 56, 4 *Quod ab eo ita repulsum erat, vt non offensus vid.) Suet. Cæs.* 79 *Dio* 44 *p.* 278. *Plut. in Cæs. & Anton.* Vanitas insignis Antonii: quam merito exagitat *Cicero in Philippicis* & apud *Dion.* 45 *in oratione aduersus Anton.*

2, 57, 1 *Principatum armis quæsitum, armis teneret) Henricus Sauilis*, cuius eruditissimum de militia Romana librum ex *Anglico* Latinum fecit *G. M. Lingelshemius*, Prætorianorum custodiam non nisi foris in bello vsurpatam Romanis ait: *donec Sulla & Cæsar vsurpato dominatu, domi quoque tanquam inter hostes retinuerunt consuetam custodiam. Sed Sulla resignato simul dominatu & præsidio (Appian.* 1 *&* 2 ἐμφ. *Sallust. & alii) quamobrem a Cæsare notatus*, nescire litteras, *potest videri secutus saniorem Grammaticam, quam ipse Cæsar, qui dimisso præsidio nec simul dominatu, commisit periculosum & insignem solœcismum in politica admi-*

administratione, & viam ad suam perniciem patefecit. Lubens adscripsi verba elegantissimi libelli; è quo & *Clapmarius* quædam mutuatur *Arcan.* 3, 14, vbi plura super hoc argumento.

2,57,3 *Sed profecto ineluctabilis fatorum vis, cuiuscunque fortunam m. const: c. corrumpit)* Ita recte *Lipsius*, legebatur enim, *cuius quem f. m.* *Plut. in Cæs.* ἀλλ' ἔοικεν ἐχ οὕτως ἀπροσδόκητον, ὡς ἀφύλακτον εἶναι τὸ πεπρωμένον. *Non tam improuisum, quam ineuitabile videtur fatum esse. Appianus:* χρῆν γὰρ ἃ ἐχρῆν Καίσαρι γενέσθ. Talia passim obuia. vide *Cl. Freinshem. ad Curt.* 5, 11, 10 & *Lips.* 1 *polit.* 4. Vellem tamen Lipsium (quippe qui ad vsum pietatis & vitæ eam doctrinam tradere instituit) cautius adhibuisse quædam gentilium loca; quæ nimirum studiose à Stoicæ necessitatis hypothesi repurganda, & ad Christianam philosophiam diligentius exigenda sunt.

2, 58, 2 *Nihil amplius ciuibus præter tyranni petendum esse sanguinem) Plutarchus in Anton.* ἐκώλυσε δὲ Βροῦτος, ἀξιῶν τὴν ὑπὲρ τῶν νόμων καὶ τῶν δικαίων τολμωμένην πρᾶξιν, εἰλικρινῆ καὶ καθαρὰν ἀδικίας εἶναι. *Prohibuit autem Brutus* (sc. interfici Antonium) *cupiens actionem pro legibus & iure susceptam, sinceram & ab iniquitate puram esse.* Hic color nimirum facto quærebatur.

2, 58, 4 *Illud decreti Atheniensium celeb. exempl. relatum à Cicerone, obliuionis præterit. rerum decreto Patr.)* Intelligitur Ἀμνηστίας ψήφισμα, *decretum siue Lex obliuionis.* Cuius inuentores Athenienses celebrantur. Nobilis est præsertim *Ciceronis de Amnestia oratio*, cuius hic meminit Noster, descripta *Dioni lib.* 44. Ceterum, quæ ad hoc argumentum pertinent, executi sumus pridem *dissertatione Academica*, quam, ne interrumpamus denuo Notarum seriem, sub finem earum,

earum, cum Lectoris æqui venia, exhibebimus.

2, 59, 1. *Etiamsi præuentis & pauca dicenda sunt*) Ita plerique edidere. *Vrsinus* tamen monuit, legi in veteri codice: *etiam si præuenit, & pauca dic. s.* Quæ lectio proba videtur; vt ad Augusti commentarium, quem de vita sua scripsit, respiciatur.

2, 59, 2 *Fuit C. Octauius &c.*) *Sueton. Aug.* 3 & 4. *Dion.* 45.

2, 59, 3. *Hispaniensis militia assecut. s. p. comitem hab.*) *Lipsius* malebat: *Hispaniensi militia.* Mihi nil mutandum videtur. sed nec *Hellenismus* hic existimari debet, cum haud dubie *comes Hispan. mil.* clare & simpliciter dicatur. *Suet. Aug.* 8.

2, 95, 4 *Ad erudiendum lib. disciplinis singul. indol. iuuenis, Apolloniam eum in studia miserat*) Id agente tum fato, vt qui Monarchiam Romanam conditurus esset, omnibus ad tanti fastigii gubernationem artibus instructus accederet. satis nimirum intelligebat Cæsar, *indolem* solam, vtut *singularem*, non sufficere ad absoluendum singularem virum: nisi accedant liberales disciplinæ, id est, solida rerum gerendarum instrumenta. Operæ pretium est autem inspicere *Dionis* verba, qui *lib.* 45 *p.* 307 emphatice describit *studia*, quibus Augusti ingenium ad summæ fortunæ cultum excitatum eruditumque est. Primo vniuersim memorat, *Iulium studuisse, vt Octauius ad gerendam remp. erudiretur, & in omnibus iis recte institueretur, quibus indiget, qui tanto imperio digne præfuturus est.* ὁ Καῖσαρ οὖν μεγάλα ἐπ' αὐτῷ ἐλπίσας, ἔς τε τοὺς εὐπατρίδας αὐτὸν ἐσήγαγε, καὶ ἐπὶ τὴν ἀρχὴν ἤσκει, καὶ πάνθ' ὅσα προσήκει τῷ μέλλοντι καλῶς καὶ κατ' ἀξίαν τηλικοῦτον κράτος διοικήσειν, ὑπάρχειν, ἀκριβῶς ἐξεπαίδευσε. Postea sigillatim quædam nominat: Λόγοις τε γὰρ ῥητορικοῖς

οὐχ

οὐχ ὅτι τῇ τῶν Λατίνων, ἀλλὰ καὶ τῇδε τῇ γλώττῃ ἠσκεῖτο. καὶ ἐν ταῖς στρατείαις ἐρρωμένως ἐξεπονεῖτο, τά τε πολιτικὰ καὶ τὰ ἀρχικὰ ἰσχυρῶς ἐδιδάσκετο. *Exercebatur etiam instudio eloquentiæ, non modo ad Latinæ, sed & ad Græcæ linguæ promtitudinem. Laboribus militiæ strenue insuescebat: denique quidquid ad remp. gerendam imperiaque & magistratus administrandos pertinet, egregie condiscebat.* An habemus totam & exempli loco commendandam eius informationis descriptionem, qua summis publicisque rebus nata ingenia præparari debent? In *disciplinis* τὰ πολιτικὰ καὶ ἀρχικὰ, vno verbo *studium Politices*; quod cum latissime pateat, imperandi præsertim artes hic complectitur: in *Linguis*, *eloquentiam Græcam Latinamque*: in *Exercitationibus*, *opus militiæ*: in *apparatu subsidiisque*, *quidquid iuuare prudentiam aut dignitatem ornare vel commendare elegantiam principalis fastigii potest.* *Modum* prætereca *rationemque institutionis*, non ad scholam aut vmbram sed ad lucem & vitam tendentis præclare indicant illa: τὸ ἀκριβῶς, τὸ ἐρρωμένως, τὸ ἰσχυρῶς. quibus & *solide*, & *strenue* & *efficaciter* geri in hoc negotio omnia debere, ostenditur. Vide quæ *Lipsius* disseruit ad *lib.* 1 *polit. suorum c.* 10. Tetigimus etiam id argumentum in *commentar. Nepot. p.* 43.

2, 59, 5 *Omnem ordinationem & necis & testamenti*) Ita *Aldus* & *Gruterus* ex veteri exemplari ediderant, Alii: *ordinem.*

2, 59, 6 *Cum intraret vrbem, solis orbis super caput eius curuatus æqualiter rotundatusque in colorem arcus &c.*) *Sueton. Aug.* 95: *Post necem Cæsaris, reuerso ab Apollonia & ingrediente eo vrbem, repente liquido ac puro sereno, circulus ad speciem cælestis arcus orbem Solis ambiit. Dio* 45 *p.* 308, ἐς γὰρ τὴν Ῥώμην ἐσιόντος αὐτοῦ, ἶρις πάντα τὸν ἥλιον πολλὴ καὶ ποικίλη περιέσχεν. *Ingrediente eo vrbem, iris magna*

& Varia totum solem ambiuit. Seneca ita describit *quæst. natural.* 1, 2: *Videamus nunc, quemadmodum fiat is fulgor, qui sidera circumnectit. Memoriæ proditum est, quo die diuus Augustus Vrbem ex Apollonia reuersus, intrauit, circa Solem visum coloris varii circulum, qualis esse in arcu solet: hunc Græci* Halo *vocant, nos dicere* Coronam *aptißime possumus.* & paulo post, *Aream* vocat. *Plinius* 2, 28: *cernuntur & circa solis orbem ceu specie coronæ & versicoloris circuli: qualiter Augusto Cæsare in prima iuuenta Vrbem intrante post obitum patris, ad nomen ingens capessendum.* Adde *Obsequent. c.* 128.

2, 60, 2 *spreuit itaque cælestis animus hum. consilia*) Dicemus aliquid ea de re in *Charact. Vellei. c.* 2.

2, 60, 3 *Vixque admisso in Pompeianos hortos*) vide historiam illius congressus colloquiique apud *Appianum* 3 ἐμφυλ.

Velut insidiis eius petitus) *Plutarch. in Anton.*

2, 60, 4 *Aperte deinde Antonii ac Dolabellæ consulum ad nefand. dominationem erupit furor*) Nemo ista clarius annotauit *Appiano* 3 ἐμφυλ. qui & ipse consilium δυναστείας μοναρχικῆς Antonio tribuit: tacitamque *Dolabellæ*, quem Senatus Antonio opposuerat, cum eo collusionem memorat. Ita tum erant tempora: quibus Senatus factionum compressionem mandabat, ii ad factiosos transibant, suæque studentes potentiæ, nihil pensi moderatique habebant.

HS septies millies) Recte se habere hunc numerum *Lipsius* ex *Cic. Philipp.* 2, contra *Fr. Iunium* probat. sed quod *Idem* delet *adem*, non video quid caussæ habeat. cum præsertim etiam *Cicero Phil.* 2 ita loquatur.

Actorum eiuſdem, inſertis falſis indubit. corruptis commentariis) Ita ediderat *Rhenanus* aliique. *Lipſius* mallet: *commutatisque & corruptis*. *Aldus*: *inſertis falſis, ſublatisque*. *Vrſinus* exiſtimat retinendam veterem lectionem: *inſertis falſis ciuitatibus, corruptisque commentariis*. Mihi ne ſic quidem ſatis perſanatus videtur locus; cuius ſcilicet manet inſolens adhuc, & ſuſpicionem corruptionis præfert ſtructura. De re ipſa *Cic. in Philipp.* & *Appian.* 3 ἐμφυλ. *p.* 529: πολλὰ ἐς πολλῶν χάριν προσετίθει, καὶ ἐδωρεῖτο πόλεσι, καὶ δυνάσταις, καὶ τοῖσδε τοῖς ἑαυτοῦ φρουροῖς, καὶ ἐπεγράφετο μὲν πᾶσι τοῖς αὐτοῖσι τὰ Καίσαρος ὑπομνήματα, τὴν δὲ χάριν οἱ λαβόντες ᾔδεσαν Ἀντωνίῳ. *Multa in multorum gratiam adiecit, ciuitatibus, dynaſtis, ſuisque cuſtodibus gratificans: & præferebantur quidem Cæſaris commentarii, quaſi perſcripta in iis hæc omnia eſſent, ſed qui acceperant, Antonio ſe debere gratiam, facile intelligebant.*

Vendente remp. Conſule) Quo nomine *Cicero* eum grauiter exagitat in *Philippicis*.

2, 60, 5. *Idem prou. D. Bruto decretam &c.*) vide omnino *Cic. Philipp.* 11.

interque naturaliter diſsimillimos ac diu. Vol. creſcebat odium) Diſtinctio exemplarium vitioſa hic eſt. Non enim intelliguntur *Antonius* & *Dolobella* (quippe qui ex diſſidio, communione διανοίας τυραννικῆς in gratiam redierant, parique voluntate dominationem moliebantur, vt antea dictum eſt) ſed *Antonius* & *Cæſar Octauius*. vnde mox cum notatione cauſſæ ſequitur: *eoque C. Cæſar iuuenis quotidianis Antonii petebatur inſidiis*. Diſtinguendum ergo: *Dolabella tranſm. decreuit ſibi. interque naturaliter diſsimillimos ac diuerſa volentes creſcebat odium: eoque C. Cæſar iuuenis quotidianis Antonii petebatur inſidiis*. Eſt autem eadem ſententia, qua ſupra de *Clodio* & *Cicerone* dixit: *quid*

enim inter tam dissimiles amicum esse poterat? 2, 45, 1.

2, 61, 2 *Veteranos exciuit paternos*) Quæ hic Noster memorat, latius exposita vide apud *Dion.* 45 *p.* 313 & 314. *Appian.* 3 ἐμφυλ. *p.* 552. Hoc quoque à Prudentibus reprehensum est in actionibus Augusti ap. *Tacitum* 1 A. 10, 1; *cupidine dominandi concitos per largitiones veteranos.* vide quæ notauimus supra ad 2, 29, 1.

2, 61, 3 *Honoratum equestri statua*) De honoris huius præcellentia tractat *Herm. Hugo milit. equestr.* 5, 1.

Proprætore) Ita legendum esse pridem animaduertit *Robortellus* in *emendat.* 2, 23, siue potius *Sigonius.* De *bello hoc Mutinensi* vide *Flor.* 4, 4. & quos ibi *Camers* notauit, quibus adde præsertim *Dionem* 46.

Consulum alter in acie, alter post p. d. ex vulnere) Quis rumor de morte consulum percrebruerit, ex *Tacit.* 1 A. 10, 2. *Sueton. Aug.* 11 *Dion.* 46 *p.* 360 satis constat.

2, 62. *Quæ in hoc capite habentur*, vide apud *Dionem lib.* 46 *Appian.* 3 ἐμφυλ. *Liu. epit.* 119.

2, 62, 4. *Et D. Bruto, quod alieno beneficio viueret, decretus triumphus*) Nescio, cur hoc mutatum cupiant. Vtique alieno, id est, Cæsaris Octauii beneficio vixit Brutus, cuius milites nihil aliud quam de muro spectarunt prælium, sicut in expositione huius historiæ *Dio notat.* Itaque illud, *quod*, ἐμφατικῶς nec sine Ironia opportune à Velleio vsurpatur. *Decretus est*, inquit, *Bruto triumphus.* ob *quas res gestas*? Responderet εἴρων aliquis; *quod incolumis euasit, non sane sua aut suorum militum virtute, sed alieno beneficio, & Cæsaris Octauii victoria. id nimirum erat, ob quod triumphare deberet.* Quod nonnulli reponunt, *quam pro quod*, nescio

nescio an ipsis an typothetæ tribuam. Forte alicui doctorum in mentem venerat, *quum alieno beneficio viueret*: quod sensum non incommodum parit, sed pro necessaria correctione haberi non debet.

2, 62, 6. *Cæsarem laudandum & tollendum censebat*) i.e. *laudandum aperte, sed occulte è medio tollendum*: *laudandum, vt securus & incautus tolli posset*. Quali arte apud *Tacitum* 4 H. 39, 6 Mucianus Antonium primum opprimit. *Igitur Mucianus*, inquit Historicus, *quia propalam opprimi Antonius nequibat: multis in senatu laudibus cumulatum, secretis promissis onerat, citeriorem Hispaniam ostentans, discessu Cluuii Rufi vacuam. simul amicis eius tribunatus præfecturasq; largitur. Dein, postquam inanem animum spe & cupidine impleuerat, vires abolet*, &c. His insidiis Manlium Valentem Fabius appetiit. *secretis eum criminationibus infamauerat Fabius ignarum, & quo incautius deciperetur, palam laudatum* 1 H 64, 7. Erralle autem Tullium hac in parte, alibi diximus.

2, 63, 1. *Primo per colloquia repulsus à M. Lepido*) Hæc vera & genuina lectio à *Rhenano* etiam exhibita, sicut iam *Gruterus* notauit. Rem ipsam habes apud *Dion.* 46. *Plutarch. in Anton.* Per *colloquia* autem intelliguntur apud *Velleium* πυκναὶ διαπομπαὶ, siue *crebri internuntii*, quibus Antonius cum Lepido egit, cum Lepidus abnueret diu societatem, teste *Appiano* 3 ἐμφυλ. *p.* 589. Ergo cum *Dio* refert, *Lepidum ipsum abnuisse colloquia & congressum*, non capienda sunt colloquia per internuntios, de quibus *Velleius* & *Appianus*.

Qui titulo imperii cedebat Lepido) *Plutarchus*: καὶ τῷ μὲν ἔργῳ πάντων αὐτὸς ἦν κύριος, ἐκείνῳ δὲ ὀνόματος καὶ τιμὴν αὐτοκράτορος διετέλει φυλάττων. *Et Antonius quidem re ipsa omnia in potestate habebat, Lepido tamen nomen & honorem Imperatoris conseruare non destitit.*

2, 63, 2

2,63,2 *Sub Ant. ingress. in castra Iuuentius Laterensis*) vide *Dion. l.46 Appian.3 b.c.* vbi & de *Planco* ac *Pollione.*

2,63,3. *Senatuique se litteris venditans* &c:) Plena tum omnia σκήψεων καὶ προφάσεων καὶ παλλιλογιῶν. Coloribus, inquam, prætextibus, sophismatis pleraque agebantur. vide Planci epist. ad *S. Pop. pl. Q. R.* apud *Cic. epist.* 10, 8 tum multas ad ipsum *Ciceronem* in eodem libro. vbi & *C. Asinii Pollionis* litteræ.

2,64,1 *D. Brutus desertus primo à Planco &c.*) Exitum huius viri scribunt *Dio* 46 *Appian.* 3 ἐμφυλ. extremo. qui illum hospitem Bruti *Camillum* vocat. *Liu. epit.* 120 vbi *Capenus Sequanus* pro *Camelio* habetur.

2.64,3. *Quibus M. Tullius continuis actionibus æternas Antonii memoriæ inussit notas*) Quibus *Philippicarum* nomen dedit. Illustre opus, & studiosis grauioris Politicæ diligenter versandum. Vide inter *suasorias Senecæ Rhetoris* vltimam, in qua, non ad veritatem historiæ, sed ad declamandi exercitium *Deliberatio* habetur *Ciceronis: An scripta sua comburat, promittente Antonio incolumitatem, si fecisset.*

At tribunus Canutius continua rabie) *Velleius* inter actiones Ciceronis & Canutii comparationem instituit; aitque Ciceronem magno cum eloquentiæ, prudentiæ, grauitatis apparatu Antonium insectatum esse; Canutium autem, conuitiis potius & acerbitate verborum Antonii famam lacerasse. Alias, quantum ad meritum Antonii & argumentum actionis, *Cicero* 3 *Phil.* 9 *Antonium à Canutio honestissimis contentionibus & sæpe & iure vexatum* dicit. sed & *Velleius* mox *libertatis* vindictam, adeoque honestam προαίρεσιν ei tribuit.

2,64,4 *Sed tribuni sanguine commissa proscriptio, Ciceronis vel satiato Antonio pœna finita*) *Lipsius* malebat, *velut satiato Antonio.* Idem qui opportune verba *Cremutii Cordi* è *VI suasoria Senecæ* huc retulit: *Quibus visis lætus Antonius, cum peractam proscriptionem suam dixisset* (*quippe non satiatus modo cædendis ciuibus sed defectus quoque*) *pro rostris exponit.* Ita enim legerim. *Schottus* ediderat: *esset quippe.* alii, *essetque.* Illud, *esset*, in libris, videtur ex vltimis litteris vocis *dixisset* repetitum. Ceterum *Gruterus*, cui subscribimus, defendit lectionem *Velleii*, sicut edidimus.

2,65,1 *Et condicionum tacta merito*) Rectissime ita *Gruterus* ediderat, auctoritate *msc.* & loquendi elegantia satis suffultus. Nam quod alii *facta* prætulere, à correctoris ingenio est.

Cum Antonius subinde Cæs. admoneret &c.) More suo hic *Velleius* breui expositione magnæ amplitudinis historiam complectitur. Ceterum de hac *conspiratione Triumuirali*, quam potentiæ societatem, i. e. ὀλιγαρχίαν *Velleius* vocat, secutaque *proscriptione*, diserte *Florus* 4, 6 & quos *Camers* adscripsit Auctores. quibus omnino addendus est *Dio*, qui *fine* 46 & *principio* 47 accuratissime describit omnia, & præsertim ipsa *consilia* Triumuiralis coitionis, vt & *Rationem illam status*, quam secuti sunt, qui nihil iam præter suam potentiam curabant cogitabantque, μάλα πολιτικῶς explicat.

2,65,2 *Post V. C. annus DCC IX*) Adi *Sigonium comment. in fast. & triumph. Rom. ad ann.* DCC X. & *Onuphr. Panuin. comment. in lib.* 2 *fast. ad ann.* DCC XI.

2,65,3. *Vidit hic annus Ventidium, per quam vrbem inter capt. Pic. intr. &c.*) Vide *Dion. fine* 43. & *lib.* 47 *p.* 382. *Val. Max.* 6, 9, 6. *Gell.* 15, 4. *Appian. Parth. Plut. Anton.*

2, 66, 1 *Repugnante Cæsare, sed frustra aduersum duos*) *Suetonius Aug.* 27 *In triumuiratu*, inquit, *restitit quidem aliquandiu collegis, ne qua fieret proscriptio, sed inceptam vtroque acerbius exercuit.* De Ciceronis proscriptione seorsim, *repugnasse collegis per biduum, tertioque demum die concessisse* auctor est in *Ciceronis vita Plutarchus.* De cetero excusat Augustum *Dio* 47 *p.* 371. omnemque crudelitatis triumuiralis inuidiam in collegas eius reiicit. vtri credimus; *Suetonio* an *Dioni*, quorum neuter sine auctoritate & argumentis agit?

2, 66, 3 *Nihil tamen egisti*, M. *Antoni &c.*) Hanc egressionem Velleianam non immerito, etiam eloquentiæ nomine eximiam prædicauit *Rhenanus.* Ceterum de exitu & elogio Ciceronis auctores plerique iam sæpius nominati, quibus adde omnino, è *suasoriis Senecæ vltimas*; vbi tum cetera magnifice, tum hoc verissime dicitur: *in Ciceronis laudes sequendas Cicerone laudatore opus esse.* adde *Plin.* 7, 30. *Pontan. Philocal.* 6, 22.

2, 66, 4 *Vitam miseriorem te principe*) Ita plerisque iam placuit. al. *inferiorem*, ex quo *Gruterus* tentat rescribere, *infeliciorem.*

2, 66, 5. *Dumque hoc vel forte vel prouidentia vel vtcumque constitutum rerum naturæ corpus*) Non congero huc similia Auctorum loca: illud tantum moneo Studiosam iuuentutem, vt obseruet cæcitatem gentilium & infelicitatem, quorum sapientes non raro in auctoritatem sapientiæ habent, *de origine mundi, imo de ipsa Prouidentia* (quis enim non videt connexos errores esse?) *dubitare.*

citiusque in mundo genus hominum, quam * *cadet*) *Lipsius* hanc lacunam supplet: *quam ea cadet*; vt ad laudem Ciceronis referatur. *Gruterus*: *quam Cicero cadet.* alii aliter.

2, 67, 2.

2, 67, 2. *Velut in dotem, inustamentumque sceleris &c.)* per mutuas dominationis pactiones nimirum, & διαλλαγὰς τῶν δυναστειῶν, quas *Dio* vocat. qui non tantum hanc atrocitatem, ſed etiam, quæ Velleius *de fide, Vxorum, ſeruorum &c.* tetigerat, exemplis memorabilibus illuſtrat *lib.* 47. vt & *Appianus* 4 ἐμφυλ. vbi amplius liberorum in parentes impietas annotatur.

2, 67, 3 *De Germanis non de Gallis, duo triumphant conſules)* *Deſignatos* intellige *conſules.* Vide *Sigon. comment. in faſt. & triumph. R. ad ann.* DCC X: & *Indicem Voc. Germ.*

2, 68, 1 *ſuoprat. loco ref. neque enim perſona Vmbram acta rei capit)* De vitio huius loci ne dubitandum quidem arbitror. cui ſine codicibus difficulter medeare. *Lipſius* voluit, *Vmbram ac tenebras capit.*

Dum in acie Pharſalica Africaque de ſ. r. C. d. M. Cælius &c.) *Lipſius* reponit: *in acie Pharſalica circaque.* Poteſt tamen vulgata defendi. Licet enim tum in Africa ductu non militabat Cæſar, tamen auſpicio, & per ſuos. *Atqui non de ſumma rerum*, inquis. Imo vero: de ſumma rerum ἀπὸ κοινοῦ refertur ad Pharſaliam Africamque, vt fortaſſe ſufficeret, ſenſum phraſeos præciſe ad vnum membrum determinari, licet σύνταξις ad vtrumque congruat, qualia exempla non deſunt. Sed quid argutamur? Vtique etiam tum per ſuos de ſumma rerum dimicauit Cæſar in Africa: niſi quis credat, ſummam rerum ad Cæſarem venire potuiſſe, partibus Pompeianis tam valide bellum alibi ſuſtentantibus. De ſeditione *M. Cælii ſiue Cæcilii Rufi* vt & *Milonis* vide *Dion.* 42 *p.* 2, 9 & 220. *Liu. epit.* 111. *Cæſ.* 3 *b.c.*

cum ne modico quidem ſeruari poſſet) Erat, *cum in modica quidem ſeruari poſſet.* Quod cum aperte vitioſum eſſet, varie emendare conati ſunt

viri docti. *Aldus: cum ne modica quidem re.* Sed *Vossiana* lectio, manifestis scripturæ indiciis, vltro se emergit & commendat. Itaque nil dubitauimus in textum recipere.

2, 68, 2 *auctoritate Coss.*) *Lipsius* vult: *auctoritate Cos.* quod alter Consulum, ipse Cæsar nimirum, abesset tum Roma.

Haud magis occulte bellicum tum. mouens) Hæc lectio & distinctio est à vet. exemplari. Alii tamen malunt; *aut magis occulte bell. t. m.*

2, 68, 3 *Vltra sortem temerarius*) Quis dubitaret, ita scripsisse Velleium? Quam enim friget illud alterum. *Vltra fortem?*

2, 68, 4 *Marullum Epidium Flauiumque Cæsetium &c.*) *Sueton. Cæs.* 79 *Val. Max.* 5, 7, 2. *Plut. Cæs. Appian.* ἐμφυλ. 2 sed nemo accuratius *Dione* 44 *p.* 277.

2, 69, 1. *Iam & Dolabella in Asia C. Trebonium occiderat*) De Trebonii interitu, ipsiusque quod sequitur Dolabellæ fato vide *Dion.* 47 *p.* 392 & 393. *Liu. epit.* 119. *Appian.* 4 ἐμφυλ.

2, 69, 2 *Laodicea expugnata interfecerat, ita tamen &c.*) Ita *Rhenanus*, non male meo iudicio, nam ad vocem interfecerat, rectius quadrant, quæ mox per ἐπίπληξιν siue quendam ἐπανορθώσεως διορισμὸν adduntur. Quamquam ne sic quidem locum persanatum credam. *Vossiana* emendatio ista est: *Laudicea, expugnata ea Vrbe, ceperat* (*ita tamen &c.*

2, 69, 3 *Volentes legiones extorserat*) Alii, *Valentes* volunt. mihi nihil mutandum videtur. De re ipsa *scriptores* paullo ante laudati.

2, 69, 5 *Et lege Pedia*) Adde *Dion.* 46 *p.* 367. *Appian.* 3 *b. c. p.* 586. *Liu. epit.* 120: qui Cæsarem hanc legem tulisse dicunt. Nimirum Cæsar Q. Pedium collegam ferre iusserat. *Sigon. comment. in fast.*

faſt. & tr. R. ad ann. DCCX, & *Onuphrius comment. in faſt. ad ann.* DCCXI. Hanc legem, cum neque in vniuerſum, neque in futurum ſit lata, pro lege non habendam eſſe, *Roſinus* notat 8, 27.

Quo tempore Capito, patruus meus, Agrippa ſubſcripſit in Caſſium) Iactat *Velleius* ſuorum in Cæſares merita; aulicique obſequii artes ab ſtirpe ſibi conciliatas, vult intelligi.

2, 69, 6 *Caſſius Rhodum, r. i. ó. ceperat; Brutus Lycis deuicerat:* &c.) *Dio* 47 *p.* 305 *Appian.* 4 *ἐμφυλ. Plut. in Brut.*

Neque reperias, quos aut pron: fortuna &c.) Fortunatorum notabilis eſt in pari fortuna diſparitas. Quorundam eximias virtutes ac prudentiam comitatur fortuna fido & aſſiduo ſucceſſu; quoſdam, vbi diu comitata eſt, ad extremum deſerit: quoſdam per vices, & miſcens aduerſa ſecundis beat: quoſdam in omni virtutis conatu deſtituit fugitque: quorundam læta initia, in progreſſu, aut ante progreſſum, ſtatim abrumpit. quibuſdam temeritas etiam & ignauia vbique procedit: plurimi maiore fortuna, quam ſapientia vtuntur. verum, quidquid diuerſitatis habent illæ Felicium notæ, *commune omnibus*, ſed maxime præfidenter de ſucceſſu ſentientibus, *ancipitium* imminet.

2, 70, 1 *Apud Vrbem Philippos cum M. Bruto Caſſioque acie concurrerunt)* ſcriptores huius belli notauit ad *Flor.* 4, 7 *Camers. Dio* 47, & *Zonaras t.* 2, qui prolixius ferme, quam alias ſolet, exponit, quæ à Dione mutuatur.

Oratus ab Artorio Medico &c.) Valde celebre eſt hoc ſomnium & euentu ipſo nobile, ideoque diligenter ſcriptoribus huius belli annotatum. *Aliqui* inter argumenta prouidentiæ hæc talia etiam gentilibus oblata ponunt, diuinitusque immitti credunt; *alii* præſtigiis Diabolicis accenſent (vide

de hoc ipso somnio Artorii aliisque *Lactant.* 2. 8) *quidam* naturæ quandam vim hic comminiscuntur, præsertim qui *Homeri* propositum disquirunt, Heroibus tantum somnia tribuentis. Verum vt de tali somnio, quale hic habemus, valde durum fuerit affirmare, *ex caussis naturalibus ortum esse*: ita cetera dubitatio non parum difficultatis videtur habere. *Seruasse Deum etiam gentilium Heroas & è periculis ereptos maioribus rebus adhibuisse*, negari nec potest nec debet. Quocirca nec pugnat cum Diuina Philosophia, si dicas; *Incolumitatem talium virorum curæ Deo fuisse; eiusque curæ partem somniorum fatidicorum immissione aliquando ostensam.* At vero ea somnia ex ipsis *speciebus* per somnum oblatis non vniusmodi sunt, aut vna æstimatione comprehendi queunt. Quæ in Sacris codicibus leguntur exempla, nullas habent *imagines idololatricas, neque vel Deorum vel sacrorum ethnicorum simulacra*, quanquam ethnicis ostensa, præferunt: sed in somnio Artorii, Minerua virũ monet, alibi Iupiter in templo suo, è sinu suo futura promit. Vnde merito ambigas, *an Deus immittendis homini pagano somniis, profani cultus imagines adhibere voluerit.* Inquis: *si Diaboli præstigiis id assignas, vnde & quomodo Diabolus præscire euentum pugnæ Philippensis potuit?* Hic ergo videatur forte distinctio facienda inter *illas profanas species, quatenus è caussis naturalibus & quotidiani vsus reliquiis phantasiæ offeruntur*; & *inter dispensationem diuinam, quæ emergentibus naturaliter simulacris significamenta μαντικὰ coniungere*, siue *naturæ occupationem ad futurorum indicia dirigere potest.* Atque hoc, nec alio, sensu, quamquam sic quoque timide cauteque, scripsi *in Charact. Vellei. c. 2, 16 Catuli ac Ciceronis de Augusto somnium posse de diuinæ consilio prouidentiæ accipi.* Consule *Tertullian.*

tian. lib. de anima 46. Zwinger. Theatr. Volum. 5 lib. 4. tit. de insomniis. Pontan. Philocal. 10, 21.

2, 70, 2 *In altiora se receperat loca*) Ita *Gruterus*, *Sylburgius*, aliique edidere. Potest tamen omitti illud, *se*; quoniam à principe editione abest, quod iam *Vossianæ* notæ aduertere.

Aut matus exemplum hominis grati ac pii) Notat huius in Messalla pietatis exemplum etiam *Appianus* 5 ἐμφυλ. vbi Octauius Cæsar cladem perpessus, exercituque exutus, à Messalla, quem tamen olim proscripserat, cum iam in eius potestatem venisset, conseruatus est.

2, 70, 3 *Iuliæ Augustæ pater*) alii *Liuiæ* reponunt: qua correctione minime quidem opus erat. Licet enim tum temporis nondum *Iulia* diceretur, nihil tamen impedit, quo minus *Velleius*, respectu secuti temporis, nomen præsertim illustrius, quo prius inumbratum est, adhibeat.

2, 72, 1 *corrupto animo eius in d. quæ illi omnes virt.*) Omnes consentiunt in reprehensione eius parricidii, etiam qui alias vehementer laudant Brutum. Valde autem notanter fatalem in hoc Bruti Cassiique vindictam demonstrant *Appianus* 4 ἐμφυλ. *p.* 667 & *Dio* 48 *pr. Velleius* Noster acuta sententia animaduertit, vnius temeritatem facti omnes virtutes corrupisse ac extinxisse. quod sane ita solet in magnis sceleribus, post quæ vix ac ne vix quidem attolli ad virtutem pristinam animus potest. *Appianus* ab eadem mente: ἀλλὰ καὶ τοιοῖσδε οὖσιν αὐτοῖς ἀνυθέτον ἐς ἅπαντα ἦν τὸ ἄγος τὸ ἐς Καίσαρα. vtrobiq; subindicatur, caussa dissimilis animi degenerisque; fortuna scilicet animaduertens & vindicans & omnia retro dans.

2, 72, 2 *Fuit autem dux Cassius melior, quanto vir Brutus*) Characteristica comparatio, opportune

tunc *χρήσεως καὶ κρίσεως πολιτικῆς ἕνεκα* inserta. Fecit idem *Appianus* 4 ἐμφυλ. *p.* 661. *&* 667.

2, 72, 4 *Cum omni commissa sibi parte exercituum nauiumque*) *Lipsius* rescribit, *exercitus*. Fuit enim, *exercitu nauium*. Ceterum *Statius Murcus* huius sui consilii triste postea præmium tulit; de quo infra 2, 77, 3.

2, 72, 5. *Quippe nullum habentibus statum quilibet Dux idoneus erat*) *Lipsius* voluit: *Quippe nullum habentibus, statim quilibet dux erat idoneus*. *Gruterus* aliique *statum* retinent: & *nullum statum habere*, nulla conditione vitæ tolerabili vti interpretantur. vid. *Ind.* Eleganter autem in hoc capite initia *belli cum Sex. Pompeio* designantur: cuius *scriptores Camers ad Flor.* 4, 8 collegit, adde *Dion.* 48.

2, 73, 1 *Cogitatione celer*) in vet. exempl. erat: *cogitator celer*. *Lipsius* mallet; *concitatu celer*; vt τὸ ὀξύθυμον notetur. *cogitandi celeritatem* in laude esse. Non assenserim ita scripsisse *Velleium*. nam & *manu promtus* in laude est, quod tamen hic Pompeio tribuitur. accipiendum itaque fuerit, non illo eximio significatu, quo *cogitationis celeritas* summis tantum ingeniis conuenit, sed illa media notatione, qua consilii qualiscumque capiendi & decernendi volubilitas vt sic dicam, indicetur: quam ego animi audacis, inquieti, præcipitis prolem dixerim.

2, 73, 3 *Vindicatum armis ac ductu patris sui mare infestare pirat. scel.*) Talem ex comparatione sententiam quærit etiam *Florus* 4, 8, 2: *ô quam diuersus à Patre? Ille Cilicas extinxerat: hic secum piratas nauales agitabat*.

2, 74, 2 *Quippe L. Antonius Cos. &c.*) Scripsere hoc bellum, quos ad *Flor.* 4, 5 *Camers* notauit. quibus adde *Dion.* 48.

Qui iuste diuis. prædiorum) *Lipsius iniuste*, vel *iniusta* legendum putat. atque ita quidem res monebat: sed *Velleius* Cæsareanis factis vbique colorem appingit, aut iuris titulum.

2, 74, 4 *In Perusinos magis ira militum, quam voluntate sæuitum ducis*) *Suetonius* tamen diuersum testatur in *Aug.* 15: *Perusia capta, in plurimos animaduertit: orare veniam, vel excusare se conantibus vna voce occurrens, Moriendum esse.*

2, 75, 1 *Tib. Claud. Nero prætorius & pontif.*) Vide *Sueton. Tib.* 4. *Dio* 48 *p.* 417.

2, 75, 3 *Quam postea coniugem Augusti vidimus, quam transgressi ad deos sacerdotem ac filiam*) Rectissime ita emendarunt viri docti. *Filia* Augusti, sui mariti, fuit Liuia, adoptione in familiam Iuliam per testamentum Augusti inserta: *Sacerdos* ex decreto Senatus. Monuerat iam olim *Lipsius* ad 1 & 13 *A. Taciti.*

Vix bimum hunc Tiberium) Erat: *nus bimum.* hinc fecerant aliqui, *vix bimum:* quod *Aldus* approbauit & *Gruterus* edidit. *Vix bimus*, est, *necdum bimus.*

futurumque eiusdem Cæsaris filium) Eandem fortunæ vicissitudinem miratur Dio 48 p. 418, ὥστε καὶ τοῦτο ἐν τοῖς παραδοξοτάτοις συμβῆναι. ἥτε γὰρ Λιβία αὐτὴ ἡ τὸν Καίσαρα τότε φυγοῦσα, μετὰ ταῦτα αὐτῷ ἐγήματο, καὶ ὁ Τιβέριος οὗτος ὁ σὺν τοῖς τοκεῦσι τότε ἐκδράς, τὴν αὐτοκράτορα ἀρχὴν αὐτοῦ διεδέξατο. Præcesserat de fuga Neronis & Liuiæ, cui subiungit; *accidisse tum rem in maxime mirabilibus ponendam. Nam hæc Liuia*, inquit, *quæ tum Cæsarem fugiebat, postea ipsi nupsit: & Tiberius iste, qui cum parentibus tum fugiebat, principatum Cæsaris postea accepit.*

2, 76, 1 *Marciq; Bruti ac Tironis*) Bene ab *Aldo* emendatum: *Tib. Neronis.*

2, 76, 3 *Quo facto*) *Acidalius* existimabat scriptum fuisse, *Quoi facto*, siue *cui facto*. sed non opus est hac correctione, vt omnes vident.

Præparatusque contra eum Cæs.) Ita *Burerius* ex vet. exempl. Et mox *Idem*: *pax contra Brundisium composita*. quod probum.

Saluidienus &c:) *Dio* 48 *p.* 430. *Appian.* 5 ἐμφυλ. p. 710 vbi etiam illa *ars Cæsaris in euertendo Saluidieno*, aliis quoque Principibus in simili caussa non raro vsurpata. *Accitum* enim ad se propere, quasi præsentia eius ad negotium quoddam opus haberet, moxque ad exercitum remissurus eum esset, occidit.

2, 77, 1. *Tum expostulante consensu populi*) Vtrinque coacti erant. Cæsar & Antonius à populo, Pompeius ab iis, quos secum habebat. Igitur nihil firmi in hac pace potuit esse. οἷα γὰρ οὐκ ἐθελονταὶ, οὐδὲ ἐκ προαιρέσεως ἀλλὰ ἀναγκαστοὶ τὴν ὁμολογίαν πεποιημένοι, χρόνον οὐδένα αὐτῇ (ὡς εἰπεῖν) ἐνέμειναν, ἀλλ' εὐθὺς τὰς σπονδὰς λύσαντες διηνέχθησαν. *Quia enim non sponte neque suo consilio* sed *coacti pacem fecerant, haud diu steterunt pactionibus, sed statim iis neglectis ad dissidium redierunt*. obseruante *Dione* 48, qui paullo ante pacis, circa Misenum initæ ac conditionum historiam describit. adde Appian. 5 ἐμφυλ. p. 713. Vtraque pax, & illa Brundisina cum Antonio, & hæc Misenensis cum Pompeio, apud *Tac.* 1 A. 10, 4 & 5 refertur inter *arcana dominationis*, quippe ἀπάτης χάριν inita: *Pompeium imagine pacis, Lepidum specie amicitiæ deceptos: post Antonium Tarentino Brundisinoque fœdere & nuptiis sororis illectum*. τοσοῦτο μὲν δὴ καὶ τῶν στάσεων καὶ τῶν πολέμων παράλογός ἐστι, δίκη μὲν οὐδὲν τῶν τὰ πράγματα ἐχόντων, νομιζόντοιν, πρὸς δὲ δὴ τάς τε ἀεὶ χρείας καὶ τὰ συμφέροντα σφῶν, τό, τε φίλιον καὶ τὸ πολέμιον ἐξεταζόντων. καὶ διὰ τοῦτο καὶ τοὺς αὐτοὺς, ποτὲ μὲν ἐχθροὺς, ποτὲ δὲ ἐπιτηδείους

σφίσι

σφίσι πρὸς τὸν καιρὸν ἡγ/εμένων. *Adeo in discordiis intestinis bellisque omnia præter rationem eueniunt. Vbi qui rerum potiuntur, non ex re ac iure, sed ex vtilitate sua ac necessitudine amicos inimicosque existimant, atque ideo eosdem, nunc amicos, nunc inimicos, pro tempore & præsenti conditione habent.* dignissima erant, quæ hic è *Dione* 48 *p.* 427, legerentur, verba.

2, 77, 3 *Et, Aruntium Actium)* Legendum esse, *& Aruntium* ac *Titium*, ex vet. edit. *Aldus, Lipsius, Gruterus* iam monuere.

Staium autem Muncm) Statium lege & hic & alibi. cuius exitum scripsere Dio 48 (vbi ficto proditionis crimine, reuera ideo subuersus est, qui Pompeius eum videbat esse δραστήριον καὶ φρονηματώδη *strenuum acrisq; animi*, quales dominantibus, aut principibus, qui suam fortunā animo non æquant suspecti inuisiq; sunt) & amplius Appianus 5 ἐμφυλ. p. 712.

2, 78, 1 *Quas magnis momentis Labienus &c.) Florus* 4, 9 adscriptique à *Camerte* Auctores, quibus addendus *Dio* 48.

2, 78, 2 *Ne res disciplinæ inimicissima otium corrumperet milit.)* Pleni sunt de hoc argumento Commentarii Politici: vt non opus sit actum agere.

crebris in Illyrico Dalmatiaque expedit.) de quibus *Vid. Dio* 49. *Appian. Illyr. Liu. epit.* 132. *Hist. miscell.* 7, 7.

2, 78, 3. *Ob turpem ex acie fugam, fuste percussit)* alii: *fusti*. Pertinet hoc quoque ad Velleianæ scriptionis commendationem. quod exempla quarumcunque rerum publice vtilium subinde, non sine grauitate, annotat: sicut hoc loco & alibi, disciplinam militarem vindicatam, in cuius scilicet sinu ac tutela serenus tranquillusque beatæ pacis status acquiescit, vt loquitur *Valerius* 2, 7, pr. De

pœnis militaribus valde erudita sunt, quæ tradit *P. Faber semestr.* 1, 17 Castigabantur autem milites, vel *fustibus* (quæ coërcitio communis militibus & paganis erat) vel *vitibus*, quæ proprie militaris animaduersio. Potest autem etiam de ξυλοκοπίᾳ quam describit *Polyb. lib. 6. Velleius* intelligi. Adde *Cæl. Rhodigin.* 26 *c. vlt. Lips. milit. Rom.* 1, 18.

2, 79, 1. *parendique sed vni scientissimus*) Soli Augusto nimirum parere doctus, ceteris omnibus se anteponebat. Atque hoc ipsum magnum est in magno ingenio, scienter parere Principi aut Regi. Cuius artis summam dixeris expressam à *Dione* 53, vbi *Agrippam, cum multa imo pleraque gloriosa consilia Augusto suppeditaret, & facta patraret, nihil tamen prorsus eius gloriæ sibi arrogasse*, refert, οὐδὲ ἐπὶ βραχὺ τῆς δόξης αὐτῶν ἀντεποιεῖτο, inquit. Honores quoque ab Augusto sibi delatos in ipsius potius gloriam vsusque dispensabat, quam in suam ludibinem. Huius est illa primaria ad aulicam vitam disciplina, qua *virum in aula victurum duabus sibi rebus consulere oportere* ostendit, *primo difficultates rerum in se recipiendo, amoliendoque; deinde, consummatæ perfectæque rei nomen & gloriam ipsis (Principibus) relinquendo.* Δυοῖν παραινεῖ τὸν ἄνδρα τὸν σωθησόμενον, τῆς μὲν δυσχερείας αὐτὸν τῶν πραγμάτων ἀπαλλάττειν, τὴν δὲ δὴ κατόρθωσιν σφῶν ἐκείνοις φυλάσσειν. Quem *Dionis* è 49 p. 450 locum (ab interprete, priore moniti membro, parum congrue versum; *vt negotio præfectus difficultatem eius a se remoueret.* non enim, vt *difficultatem à se remoueat, quasi declinando; sed vt amoliatur i. e. expediat eam sustinendo agendoque,* dicitur) merito Maioribus Principum administris commendauit *Lipsius* 3 *polit.* 11, 14, cum præsertim memorabilia sint, quæ in Dione præcedunt, de ingenio Regum, omnium rerum gloriam sibi vendicante, aliis inuidente.

2, 79, 2 *Deſpondente et Nerone, cui ante nupta fuerat, Liuiam*) ἐξέδωκε δὲ αὐτὴν αὐτὸς ὁ ἀνὴρ ὥσπερ τις πατὴρ, inquit *Dio* 48 *p.* 438. *Elocabat autem Liuiam ipſe maritus, tanquam Patris loco.* Scilicet hoc ſchema quærebatur rei, quaſi maritus ſponte concederet Auguſto vxorem. Reuera autem *Tib. Neronis matrimonio Liuiam, & quidem prægnantem, abduxit*, vt ſimplicius loquitur *Suetonius Aug.* 62. ſicut & Prudentes apud *Tacit.* 1 A. 10, 7 increpant; *abductam Neroni vxorem, & conſultos per ludibrium Pontifices, an concepto, necdum edito partu rite nuberet.* Ergo inter *flagitia dominationis*, i. e. loco idoneo ac proprio referuntur hæc talia à *Clapmario* 5 *Arcan.* 3. Operæ pretium autem fuerit cognoſcere, quæ *Dio* circa reſponſum Pontificum ἐπιχειλικῶς annotat. fallor an minime inuſitata ſunt recentiori quoque æuo eius adulationis exempla, qua omnia Principum honeſta atque inhoneſta excuſare, etiam illis mos eſt, quorum conditionem dignitatemque valde videantur iſta dedecere.

Pompeio Siciliaque bellum intulit) Præter ſcriptores ſupra laudatos, accurate hæc omnia exequitur *Dio lib.* 48 & 49.

2, 80, 2. *Diſsidendo in conſiliis Cæſaris & ſemper diuerſa iis quæ aliis placebant dicendo*) vide *Charact. Vellei.* Factum tam memorabile Auguſti, quod hoc capite exponitur, ſcipſere etiam *Dio* 49 *p.* 455. *Appian.* 5 ἐμφυλ. *p.* 742 & *ſeq. Liu. epit.* 129. *Hiſtor. miſcell.* 7, 6. *Sueton. Aug.* 16. Tacitus, vna voce *exuendi* opportune huc accommodata rem complectitur 1 A. 2, 1.

2, 81, 1. *Subita deinde exercitus ſeditio*) De hac ſeditione eiusque compoſitione & ſupplemento Campanæ coloniæ accurate *Dio.* 49 *p.* 456. & 457. *Appian.* 5 ἐμφυλ. *p.* 744. *Hiſt. miſc.* 7, 6. Noſter præcipuam artem componendæ ſeditionis *Seueritatem*

tatem comitatis mixtura temperatam hoc loco innuit. Vide Lips. 6 *polit.* 4, & hac occasione nota, *Libro Primo Annalium Taciti, singulari prorsum arte copiaque id argumentum, de seditionibus militaribus, earumque remediis, tractatum ac veluti exemplo perfectæ commentationis perscriptum esse.*

2, 81, 2 *Eius reditus erant publici*) Erat in vet. ex. *eius relicti erant p.* Vnde *Lipsius* fecerat, *reliqui*, vt ad agros referatur, i. e. Capua reliquos habebat agros publicos, qui nondum attributi, & qui non venerant in diuisionem. Hos (Dione palam narrante) ab iis emit Cæsar. Locus *Dionis* è 49 *p.* 457 ita habet, οὕτω μὲν τότε τοὺς στρατιώτας κατέστησε. καὶ τὸ μὲν ἀργύριον αὐτίκα, τὴν δὲ χώραν οὐ πολλῷ ὕστερον αὐτοῖς ἔδωκεν. ἐπειδὰν γὰρ οὐκ ἐξήρκεσεν ἡ ἐν τῷ δημοσίῳ τότε οὖσα, προσεξεπρίατο ἄλλην τε καὶ παρὰ Καμπανῶν τῶν ἐν τῇ Καπύῃ οἰκούντων συχνὴν (καὶ γὰρ ἐποίκων ἡ πόλις πολλῶν ἐδεῖτο) καὶ αὐτοῖς τό, τε ὕδωρ τὸ Ἰούλιον ὠνομασμένον, ὑφ' οὗ καὶ τὰ μάλιστα διὰ πάντων ἀγάλλονται, τήν τε χώραν τὴν Κνωσίαν ἣν καὶ νῦν ἔτι καρποῦνται, ἀντέδωκε. *Atque ita tum quidem milites composuit: argento quidem statim, agris paulo post datis. Quum enim publici, qui tum erant, agri non sufficerent, coëmit etiam alios satis multos a Campanis Capuam incolentibus, quorum Vrbs multis colonis indigebat: iisque aquam Iuliam, qua maxime omnium gaudent, tum terram Cnosiam qua etiam nunc fruuntur, pretii loco dedit.*

2, 81, 3 *Insigne coronæ Classicæ, quo nemo vnquam Romanorum donatus erat*) Vni Agrippæ contigisse hunc honorem testantur, *Dio* 49. *p.* 457: τῷ Ἀγρίππᾳ στέφανον χρυσοῦν ἐμβόλοις ἠσκημένον ἐδωρήσατο. ὃ μὴ πρότερον, μήτ' αὖθις ἄλλῳ τῳ ἐγένετο. *Agrippam corona rostrata aurea donauit: quod neque ante neque postea cuiquam contigit.* Ita *Liu. epit.* 129. *Plinius*

autem

autem 16, 4 & 7, 30 cum *M. Varrone*, cui *Pompeius coronam naualem dederit, communicat hoc decus*: Cui assentiendum opinatur *Lipsius*: *Gruterus* autem ceterorum auctoritatem præfert. An & *Seneca* ab eorum parte, cui 3 *de benef.* 32 Agrippa dicitur *nauali corona insignis unicum adeptus inter dona militaria decus.* quamquam *unicum* pro *eximio* & *singulari* hic accipi possit. Vide *Turneb.* 26, 29. & *Taubm. ad 8 Virgil. Æn. v.* 684, & *Indicem Vellei*, vocab. *coron.*

Contractas emtionibus compl. domos p. p. eos, templumque Apollini) *Dio* 49 *p.* 458. *Sueton. Aug.* 29.

2, 82, 1 *Qua æstate Cæsar tam prospere in Lepidum in Sicilia, bene fortuna in Cæsare & rep. milit. adorientem*) Edebatur hactenus: *Qua æstate Cæsar tam prospere Lepidum in Sicilia * bene fortuna in Cæsare & rep. militauit ad Orientem.* In loco corrupto & mutilo varie coniecturis indultum est, quas enumerare supersedeo. neque enim veram lectionem facile quis inuenerit.

Antonius cum XIII. legionib. ingressus Arm.) XVI *pro* XIII reponi debere, rectissime monuit *Cl. Noster Freinshemius* ad *Flor.* 4, 10, 10. E quo capite petes historiam hanc, tum ex annotatis à *Camerte* scriptoribus. quibus *Dio* præsertim addendus 49.

2, 82, 3 *Hoc M. Antonio atque illis legionibus saluti fuit*) Ita enim, vel (*ac tot illis l.*) potius legerim, quam *Hoc M. Antonio acto.* quod in libris repertum, licet sensum aliquem sustinere possit, valde tamen à Velleiana elegantia videtur abesse.

calonum seruitiique desiderata tertia) *Tertia* in *Rhenani edit.* expressa, non omitti ab aliis debuit.

Hanc tamen Antonius fugam suam, quia viuus exierat, victoriam vocabat) Irridet & *Florus* eam

eam Antonii vanitatem; *Incredibili quadam mentis vecordia ferocior aliquando factus est: quasi vicisset qui euaserat.*

Catenis, sed ne quid honori deesset, aureis vinxit) Nullo modo audiendi sunt, qui *oneri* legunt. cui enim res ignota, cuius tot passim exempla extant? *Curtius* in eandem sententiam de Dario à Besso & Nabarzane comprehenso: *Ne tamen honos regi non haberetur, aureis compedibus Darium vinciunt.* 5, 12, 20. vbi *Cl. Freinshemio* notata vide. Congessit & *Schegkius* complura ad hunc *Nostri* locum.

2, 82, 4. *cum ante, Nouum se Liberum patrem appellari iuss. cum redimitus hederis &c.*) Vnde & Διόνυσ☉ νέ☉ cognominatus est, teste *Plutarcho. Alii* aliorum Deorum æmulati sunt habitum & cærimoniam; Bacchum autem pluribus imitari placuit, præsertim *Mithridati, Antigono, C. Mario, Alexandro M.* Vide *Schotti obseruat. hist.* 3, 3 & *Cl. Freinshemii not. ad Curt.* 9, 10, 24.

2, 83, 2 *Glaucum saltasset*) de Glauco v. *Natal. comit. mythol.* 8, 4. Cetera in *Indice*, singula suis locis quærenda sunt; *saltare, refrigeratus* &c.

2, 83, 4 *Vir prætorius grauissimus P. Silii Socer*) Legebatur: *vir è prætorius pater Silii socer.* Alii legunt: *è prætoriis*, quod non reiiciendum est.

2, 84, 1 *Cæsare d. & Messalla Coru. Coss. debellatum ap. Actium*) Quæ in hoc, & sequentibus duobus capitibus habentur, scripsere *Florus* 4, 11 quosque ibi *Camers* ac *Freinshemius* nominauerunt. quibus adde *Propert. lib.* 4. *eleg*: 6 *tot.* & *Paneg. Theodos. Lat. Pacat*: *c.* 33. *tot.*

2, 84, 2 *Hinc remiges firmissimi*) Ita rectissime pro *Regibus* reposuit *Lipsius*.

2, 84, 3 *Nam Dellius exempli sui tenax &*

illo bello) Legebatur corrupte: *nam de illius exem-plis vita naxuta Dolabella.* vnde *Lipsius*, applaudentibus eruditis, fecit eam lectionem, quam editio Nostra præfert; vel: *nam Dellius exempli fuit tenax, vt a Dolabella ad Caßium.* Firmat valde opportuno loco *Seneca* è *Suasor.* I. sententiam suam. vbi Deillius *desultor bellorum ciuilium vocatur; quia à Dolabella ad Caßium; à Caßio dein transmisit ad Antonium, ab Antonio ad Cæsarem.*

Nunquam reginam, nisi nomine salutauit) Ita cum Antonius Cleopatræ Artauasden Armeniæ regem captum vinctumque, cum suis, ostenderet, barbari neque alia humilitatis indicia edidere, ad quæ minis promissisque stimulabantur, neque aliter quam *nomine* compellauere, *Cleopatram*, non *reginam* vocantes. *Dio* auctor 49 *p.* 475.

Transmisit ad Cæs.) *Lipsius* mallet *transmisere*, cum ad plures referatur, potest tamen vulgata lectio tolerari.

2, 85, 1 *Pro salute alter, in ruinam alter terrarum orbis*) Ita *Pacatus paneg.* XII *c.* 33: *Tanta erat dissimilitudo caussarum, vt ab illis* (Antonianos intellige) *fuerit Romani imperii appetita captiuitas, ab his repetita libertas.*

2, 85, 6 *Vt dubites, suone an Cleop.*) Erat in msc. *videbit è suo an Cl.* Vnde Rhenanus ad eum modum rescripsit, quo posuimus. *Vossiana* correctio omittit, *ne*: *vt dubites, suo an Cl.*

2, 86, 1 *Ex quo in quem statum peruenerit fortuna publica*) Notanter ita, loquitur Noster, quippe designans initium veræ Monarchiæ. Qua diligentia etiam *Dio* 51 *pr.* dum diem Actiacii prælii (IV Non. VIIbr.) annotasset, ideo se istud præter consuetudinem suam fecisse, monet; ὅτι τότε πρῶτον ὁ Καῖσαρ τὸ κράτος πᾶν μόνος ἔσχεν, ὥστε καὶ τὴν ἀπαρίθμησιν τῶν τῆς μοναρχίας αὐτοῦ ἐτῶν ἀπ' ἐκείνης τῆς ἡμέρας ἀκριβοῦσθαι.

ἀκριβοῦσθαι, *quod ab ea die primum Cæsar Octauius rerum potitus est solus; imperiique eius recensio præcise sumatur ab hac die.* Nec dissentire putandi sunt, qui à reditu Augusti in vrbem Monarchiæ initium numerant. Vide *Hist. misc.* 7, 12. nam cetera nihil aliud, quam consummatio huius victoriæ fuere. Hoc prælio nactus est eam potestatem, quam postea cœpit Romæ exercere ac vsurpare. Vnde *Dio* ipse *principio lib.* 52 de hoc tempore: ταῦτα μὲν ἔν τε τῇ βασιλείᾳ καὶ ἐν τῇ δημοκρατίᾳ ταῖς δὲ δυναστείαις, πέντε τε καὶ εἴκοσι καὶ ἑπτακοσίοις ἔτεσι, καὶ ἔπραξαν οἱ ῥωμαῖοι καὶ ἔπαθον. ἐκ δὲ τούτου μοναρχεῖσθαι αὖθις ἀκριβῶς ἤρξαντο. *Hæc itaque Romani primo sub Regibus, postea in Libertate, denique in principatibus certorum hominum, & gesserunt & experti sunt, annis* DCCXXV. *Ex hoc autem tempore rursum penitus sub vnius imperio cœpit esse Respublica.* Quem locum eo lubentius attuli, vt eos refutaret, qui à Iulio potius Cæsare, quam ab Augusto initia Romanæ monarchiæ numerant. *Dio* enim, vt par erat, ante hoc tempus, & post Libertatem, tantum δυναστείας siue *dominationes* agnoscit, iisque Iulii etiam principatum accenset. qui neque diuturnus fuit, & mox repetita quamuis improspere libertate sublatus est. Itaque & *Herodianus diligentissimi calami scriptor*, ab Augusti tempore Principatus initia numerans in *præfat.* sui operis, hanc veluti caussam subiicit: ἐξ οὗπερ ἡ Ῥωμαίων δυναστεία μετέπεσεν εἰς μοναρχίαν; *nam ex eo tempore Romanorum potentia ad vnius est arbitrium deuoluta.* Consentit *Aurelius Victor*, qui in *Cæsarib.* & *Epit.* 1 obseruat Augusti tempore, & quidem post prælium Actiacum *repetitum Romæ morem, vni prorsus parendi.* Non tamen inuideri debet *Iulio Cæsari* honor primi inter Rom. Imperatores loci. Accurate enim loquendo, de *Iulio & Octauio* dici potest, quod *Iustinus* de

Philip-

Philippo Maced. & *Alexandro* iudicat 9, 8, 21: *Orbis imperii fundamenta pater iecit, operis totius gloriam filius consummauit.*

2, 86, 2 *Victoriæ suæ facturus fuerit* *) Deest aliquid. Aliqui male suppleuere per *triumphum.* Aliqui *modum* velut ex autographo addidere. sed à *Rhenani* nota marginali esse illam quoque vocem, *Gruterus* iam notauit.

At Sosium L. Aruntii prisca &c:) Mihi quoque vehementer placuit hæc *Cl. Puteani* emendatio. Legebatur: *ad solium alarunt in prisca gr.* Nescio an quidquam felicius in hoc scriptore restitutum sit. *Sosius* (ita enim Latini scribunt non *Sossius*, vt Græci) *L. Aruntii fide & clementia Cæsaris seruatus* dicitur. Aruntius occultauerat, vt arbitror; an & deprecatus pro eo Cæsarem?

2, 86, 4 *Mea in Antonium maiora merita sunt, illius in me beneficia notiora &c.*) Inter eximia hominum per ciuilia bella quietorum, siue mediorum ac neutrius partis *Lipsius 6 polit.* 6, 7 vbi de hoc argumento agit, huius quoque Pollionis consilium dictumque laudat. Congruit *Attici* verbum, cuius exemplum in hoc genere sine exemplo est. Cum Sulla, qui plurimum amaret Atticum, Athenis secum cuperet deducere adolescentem, *Noli, oro te,* inquit, *aduersum eos me velle ducere, cum quibus ne contra te arma ferrem, Italiam reliqui. Corn. Nep. in vit. Attici* 4, 2.

2, 87, 1 *Adeo vt multa desidiæ crimina morte redimeret*) Tali sententia *Tacitus* de *Sempronio Graccho* 1 A 53, 7. *constantia mortis haud indignus Sempronio nomine: vita degenerauerat.* Contra de *Iuuentio Laterensi* Noster supra: quem *vita & morte consentaneum* dixit.

Morsu sane eius) alii: *in morsu sane e. Acidalius* non citra rationem transponit: *morsu eius, sane expers muliebris metus,* 2, 87, 2

2, 87, 3 *Vltimus autem ex interfectorib. Cæsaris, Parmensis Cassius morte pœnas dedit*) *Hist. miscell.* 7, 10: *Interea iussu Cæsaris occisi sunt, maior Antonii filius, & P. Canidius; infestissimus quidem Cæsari, sed & Antonio infidus, & Cassius Parmensis, ultima violati patris victima; & Q. Ouinius &c.* Omnino autem non videtur repudianda admonitio *Aldi*, qui pro vulgato (*vt dederat Trebonius*) legit, *vt dederat primus Trebonius*. Certe particula συγκριτικὴ frigide vsurpata videbitur, si ad necem potius quam ad aliquam necis περίστασιν referatur.

2, 88, 1 *M. Lepidus &c.*) Coniurationis *Lepidi*, meminere *Sueton. Aug.* 19. *Liu. epit.* 133 *Dio* 54 *p.* 607. *Seneca* 1 *de clem.* 9.

2, 88, 2 *Angusto clauo pæne contentus: nec minora consequi potuit; sed non tam concupiuit*) Merito suspectum fuit *Lipsio* illud *pæne*. vtique vixit non *pæne* sed *plane* contentus angusto clauo: nisi tamen ita velis interpretari, *Mæcenatem pæne nihil supra equestris dignitatis modum optauisse. Mansit quidem in illo ordine; sed non vna ratione supra equitum dignitatem honoratus est.* Quod autem *Idem vir Doctissimus* sequentia verba in aliam faciem reformat & rescribit; *Nec maiora consequi non potuit; sed nunquam concupiuit*: minime id quidem ferendum autumo. cum haud dubie sensus optimus in vulgata sit; *potuisse Mæcenatem non minora consequi, sed non tam concupiuisse.*

Non minus Agrippa Cæsari carus) Inter præcipuos Augusti amicos, imo principes amicorum fuit Mæcenas, cum exceptione tamen vltimi temporis. quam *Tacitus* suppeditat 3 A. 30, 6. *Prouecta enim ætate* (quod & Sallustio Crispo acciderat) *speciem magis in amicitia principis, quam vim tenuit. fato potentiæ, raro sempiternæ: an satias*

capit,

capit, aut illos cum omnia tribuerunt, aut hos cum iam nihil reliquum est, quod cupiant. Adi *Lipſ.* 3 *polit.* 11, 20 & 21; vbi egregia quædam annotata. *Scip. Amirat. diſſert. polit.* ad *Tac. lib.* 3, 4. *Enenckelium in Seiano.*

2, 88, 3. *Hic ſpeculatus eſt per ſummam quietem ac diſſimulationem, &c.*) Quod ſæpius monere poteram, ſemel notabo, quam ſit in ſua expoſitione *Velleius* πολιτικὸς καὶ ἠθικός. Ecce quam paucis verbis, quantum politicæ artis hic incluſit? Nonne enim omne & conſilium & encomium opprimendarum conſpirationum in eo verſatur, *vt diſſimulata ſpeculatione veluti aliud agendo & per ſpeciem otii, conſilia ſcelerata obſeruentur, & in ipſa temeritatis molitione deprehendantur: deprehenſa autem, celeriter & abſq; omni περιεργίᾳ vindicentur, prius quam tumultus aliquis exoriri, rerumque aut hominum perturbatio interuenire poſſit: quæ plerumque difficilem eam medicinam reddit.*

2, 88, 4 *Æquetur prædictæ Calpurniæ Antiſtii, Seruilia Lepidi vxor*) Ita plerique. Legebatur antea: *Æquetur prædictæ iam Antiſtiæ Seruilia Lepidi vxor.* Vnde *Voſſius*: *Æquetur prædictæ iam Antiſtii, Seruilia Lepidi vxor.* Atqui: Non *Seruilia* ſed *Antonia* Triumuiri filia nupta Lepido fuit? Reſpondet *Lipſius*: *ſcire licet igitur, illa ſpreta aut mortua, alteram ſuperduxiſſe.*

2, 89, 1 *Cæſar a. rev. in Italiam atque vrbem, quo occurſu*) Erat: *C. a. r. i. I. a. v. occurſus.* quam poſtremam vocem *Gruterus* plane delendam putabat. Alii varie correctionem tentauere. ex quorum coniecturis facile eam prætulimus, quæ expreſſa eſt.

2, 89, 3 *Tantummodo octo prætoribus allecti duo*) An ergo iam octo prætores? Certe illis *octo prætoribus*, qui antea erant, iam Iulius Cæſar, duos primo, mox plures adiecerat. Sed *Velleius* Noſter

Iulianum numerum, quippe extra ordinem & ad tempus vſurpatum, negligere ac de octonario ordinario, cuius paſſim apud Ciceronem mentio, loqui videtur. Ceterum *de numero prætorum varie aucto imminutoque* egit *Lipſius* in *excurſ. ad* 1 *A. Tac.* 14, 4.

Priſca illa & antiqua reip. forma reuocata) Quæ illa forma? an Libertas? Adulatur hic *Velleius*. Quanquam de *ſimulatione Auguſti*, veriſſime equidem dicitur. Nihil magis Auguſto inter initia curæ, quam ſimulacro Libertatis & Reip. improuidis populi animis obiecto, vim principatus interim complecti & intendere. *Eſt enim omnis dominationis nouæ arcanum primarium, ſimulatio antiquæ*. quod nec Tiberius poſtea omiſit vſurpare. Qua de re alibi agimus.

2, 89, 4. *Leges emendatæ vtiliter, latæ ſalubriter*) *Suet. Aug.* 34 : *Leges retractauit, & quaſdam ex integro ſanxit. Hiſt. miſcell.* 7, 19. *Clauſis Iani portis Remp. quam bello quæſierat, pace nutrire & amplificare ſtudens, leges plurimas ſtatuit, per quas humanum genus libera reuerentia diſciplinæ morem gereret. Aurel. Vict. epit.* 1 : *Leges alias nouas, alias correctas protulit ſuo nomine.* An illa, *ſuo nomine*, à gloſſatoris manu ſunt, qui in margine forte explicandæ vocis, *protulit*, adſcripſerat? *Flor.* 4, 12, 65 : *Hinc conuerſus ad pacem, pronum in omnia mala & in luxuriam fluens ſæculum, grauibus ſeueriſque legibus multis coërcuit.* Addendus *Dio* 54 & alibi & *Tac.* 3, 28, 3 : *Sexto demum conſulatu Cæſar Auguſtus, potentiæ ſecurus, quæ triumuiratu iuſſerat aboleuit. deditque iura, quis pace & principe vteremur.* Quæ poſtrema verba *Clapmarius* ex ratione arcani politici, qua præſenti ſtatui ſemper accommodari leges ſolent, explicat: Alias enim Regno, alias Ariſtocratiæ, alias Democratiæ conue-

conuenire, itaque Augustum suas leges rationibus Monarchicis accommodasse. 2 *Arcan.* 10. Fortasse tamen, consideratis omnibus, quæ meditationem huius loci iuuare possunt, potius audienda est *Freinshemiana paraphrasis: iura constituit ita comparata, vt eorum beneficio certa restitutæ tranquillitatis, bonique principis vtilitas ad ciuitatem pertingeret.*

Senatus sine asperitate nec sine seueritate lectus) Suet. *Aug.* 35 vbi vltima in hunc scriptorem cura *Matthiæ Berneggeri* (nam hunc finem doctissimarum *Diatribarum*, acerba litteris fata esse voluerunt) tum *Auctores* ceteros, tum memorabilia alia notata reperies.

Principes viri ad ornandam vrbem illecti sunt) *Suet. Aug.* 29: *sed & ceteros principes viros sæpe hortatus est, vt pro facultate quisque monumentis, vel novis, vel refectis & excultis vrbem adornarent.* *Tacitus* ita de hoc more loquitur 3 A. 72, 1: *Erat etiam tum in more publica munificentia, nec Augustus arcuerat Taurum, Philippum, Balbum, hostiles exuuias & exundantes opes, ornatum ad vrbis & posterorum gloriam conferre.* Quæ verba magnam μείωσιν habent, monente *Casaubono*, si cum *Velleio* & *Suetonio* conferas. sed *Tacito* Monarchici auspicii consuetudo in mente fuit, quasi diceret: Etiamsi alias monarchæ & Principes, vt alia publice gloriosa, ita publicorum operum magnificentiam sibi debebant aut poterant vindicare, tamen Augustus non obstitit, imo (quod Noster iam addit) stimulum adiecit Principibus viris, vt publicis operibus struendis aut instaurandis suas opes collocarent. Non errauerit forte, qui in adiecta *Taciti* voce, *exundantes* opes, *arcani* latentis rationem sibi pateretur insinuari. Timentur, in novo præsertim Principatu, magnæ opes, virique tum alia claritudine tum exundanti-

dantibus diuitiis nobiles; vnde callidum iſtud, ab impio ore apud *Tacitum* 11 *A.* 1, 2 *auri vim atque opes Principibus infenſas*, in exitium egregii hominis valuit. ſed & Ariſtoteles 5 *pol.* 8 inter prouiſiones conſeruandæ reip. ponit, *ne quis ſinatur nimium opibus abundare.* Vnde magiſtri dominationis, variis artibus locupletiſſimum quemque in prædam corripiunt. verum id improbum eſt & nullo modo ferendum. ſicut & Ariſtotelicum illud ἐκκόπτειν, quo alibi & docere & velare remedium eius rei voluit, magnæ multæque cautionis eſt. Quanto melius Auguſtus, in ſumtus publice decoros & vtiles, ſpecie honoris & gloriæ illexit (ita enim ſignanter loquitur Noſter) viros principes. Hoc ego pro omnibus arcanis, Regibus commendandum duxerim: cum præſertim omnis ea laus iudicio poſteritatis ad ipſos redundatura ſit. neque vnquam deerunt occaſiones, quibus induci volentes poſſint ad ærarium ſubleuandum & magnificentiam publicam augendam.

2, 89, 5. *Conſulatus t. vſque ad vndecimum*) accurate *Suetonius Aug.* 26.

Nam dictaturam, quam pertinaciter ei deferebat populus &c.) *Sueton. Aug.* 52: *Dictaturam magna vi offerente populo, genu nixus, deiecta ab humeris toga nudo pectore deprecatus eſt.* Idem *Dio* tradit principio *lib.* 54, veraque ἐπικρίσει conſilium Auguſti declarat: τήν τε γὰρ ἐξουσίαν καὶ τὴν τιμὴν καὶ ὑπὲρ τοὺς δικτάτωρας ἔχων, ὀρθῶς τό, τε ἐπίφθονον καὶ τὸ μισητὸν τῆς ἐπικλήσεως αὐτῶν ἐφυλάξατο. Recte, inquit, *declinauit inuidiam & odium huius, quam offerebant, appellationis: quippe qui & honorē & poteſtatem dictatoria maiorem iam haberet.* Quippe vt olim *regnum* propter tyrannidem Tarquiniorum; ita *Dictatura* propter odium dominationis Sullanæ Iulianæque ſub titulo huius poteſtatis exercitæ, in flagrantiſ-

grantiſſimam omnium deteſtationem venerat. Atque ſicut *Regnum* inſtituto Valerii; ita *Dictatura*, lege Antonia ex rep. iam in perpetuum quaſi exilium erant relegata. Itaque ſingulare *arcanum* prudentiæ Auguſteæ latet in iſtis apud *Tacit*: 1 A. 9, 5: *non regno tamen, neque Dictatura, ſed Principis nomine conſtitutam remp.* Licet enim haud dubie *Regis* nomen in terris auguſtiſſimum ſit (ſicut amplius dicetur in libro de *Auſpicio Regio*, quem adornamus) tamen Auguſtus merito tempori ſeruiens, re ipſa contentus fuit; nomen, quod ex ſuperbia in inuidiam venerat, remiſit. cum præſertim vellet videri libertatis reſtaurator, ſicut paulo ante dictum eſt, ergo non expediebant huic ſimulationi *dominantia nomina*, aut eorum quidquam, quæ libertatis euerſores vſurpauerant. *Florus* 4, 12, 66 obſcure potius & de oblato tantum dictatorio nomine loqui, quam in re tam nota prorſus errare, exiſtimandus forte fuerit, cum ſcribit: *Ob hæc tot facta ingentia, Dictator perpetuus, & Pater Patriæ dictus eſt.* Dictus ſane eſt ab offerentibus Dictaturam, ſed deprecatus eſt honorem.

2, 89, 6 *In id ſolum opus ſcriptorem fatigent.*) Legebatur *fatigans.* Porro, quod *Lipſius* pro *ſubiecimus*, mox legit *ſubiiciemus*, ea mutatione non videtur opus eſſe.

2, 90, 1. *Coaleſcentibusque reip. membris, quæ tam longa &c.*) Legebatur: *coaleſcentibusque reip. membris, & coram altero, quæ tam l.* Illa, *& coram altero*, *Aldus aliique* ſuſtulerunt. *Lipſius* emendat, *& curante eo*, ſc. *Auguſto. Cl. Voſſius*: *eo curante ſerio.*

Dalmatia XX & CCrebellis) omnino videntur eſſe addendi, *anni*: nam ſubintelligere durum fuerit. Vide de his & Alpinis nationibus *Flor.* 4, 12 quæque *Freinshemiana* induſtria ibi annotantur.

Hispaniæ &c.) *Iustin.* 44, 2, 7 | & 44, 5, 7 & 8. *Io. Gerundens. Paralip. à lib.* 4 *vsque ad fin. Thuan.* 1 *hist.*

2, 90, 2 *Vt amissis P. R. imperatoribus exercitibusque)* *Cl. Vossius* mallet: *Prætoriis & imperatoriis exercitibus.*

2, 90, 3 *Contumelioso XX annorum bello)* *Lipsius* reponit X. *ann.* ex *Iustin.* 44, 2, 7.

2, 91, 1 *Ab oriente ac Rege Parthorum signa Romana Augusto remissa sunt)* *Florus* 4, 12, 83 cum declamatoria προσθήκη: *Parthi quoque, quasi victoriæ pæniteret, rapta clade Crassiana vltro signa retulere.*

Quod cognomen illi viro Planci sententia consensus vniuersi S. P. Q. R. indidit) De *Augusti* cognomine complusculа sunt, quæ ad *Sueton. Aug.* 7 notata reperies in *Diatribis Berneggerianis.* Indulgebimus etiam profundiori eius nominis meditationi in *commentatione de Auspicio Regio.*

2, 91, 2 *Quippe L. Murena & Fannius Cæpio &c.)* Recte *Velleius* iungit hos duos, tanquam vnius coniurationis populares siue principes. Ita enim *Dio* 54 *p.* 598 & *Sueton. Tib.* 8.

2, 91, 3 *Rufus Egnatius)* *Suet. Aug.* 19. *Dio* 53 *p.* 587 & *seq. Senec.* 1 *de clem.* 9. *Tac.* 1 A. 10, 6.

2, 92, 5 *Nisi quod naturaliter, audita visis laudamus libentius &c.)* Sententiam etiam aliis benedictam cum expolitione & interpretatione rationis, quæ subest, effert *Velleius.* Valde enim subtile est illud: *præsentibus nos obrui, veteribus instrui credimus.*

2, 93, 2 *Quem homines, si quid accid. Cæsari, success. potentiæ eius arbitrab. futurum, vt tamen id per M. Agrippam secure ei posse contingere non exist.)* Agrippa enim summopere à populo diligebatur, neque parum meritis suis in remp. & Augustum,

stum fidebat. ideò nec Augustus ausus est Marcellum ei præferre. Vnde prima offensionum inter Marcell. & Aggrippam semina; quæ ne erumperent, Augustus, sub specie ministeriorum principalium (vide quæ supra notamus ad 2, 45, 4) Agrippam ablegauit. *Dio* 53 *p.* 593 vbi etiam de magnificentissimo Marcelli munere. adde *Sueton. Aug.* 66.

2, 93, 3 *Reuersus inde filiam Cæsaris Iuliam, q. i. m. M. h. duxit vxorem*) coactus repudiare priorem vxorem, quamuis esset sororis Augusti filia. Matrimonii huius caussa duplex: *altera* è temporibus & negotiis petita (volebat enim Augustus, cum abesse Roma cogeretur, ad coërcendas subnascentes turbas præficere vrbi Agrippam; qui prudentia tantæ rei par, etiam dignitate principalis matrimonii ad venerationem publicam prouehendus videbatur) *altera* è profunda ratione status, quam vocant, siue potius è consiliis dominationis; dum callidissimus Mæcenas in aurem Principi insusurrat: *Agrippam iam tantum fecisti, vt vel gener tibi asciscendus vel occidendus sit.* Heu! quantus ab extremo in extremum saltus! nimium ille quidem, nimium magnis aulis familiaris. adeo inter summa & ima apud *Statistas*, si volunt ita appellari, nihil medium est. Adi *Dionem* 54 *p.* 600.

2, 94, 1 *Quo prius nato*) Ita *Schegkius* ediderat. nollemus autem in nostram editionem irrepsisse. Legebatur: *quo primo* vnde *Aldus* fecerat, *quo trimo.* In *variantibus Lect. à Raphelengio* editis: *quo bimo.* vtrumque (*trimo* & *bimo*) habet, quo se tueatur.

2, 94, 3 *Maximamque difficultatem annonæ ac rei frumentariæ inopiam &c.*) *Suetonius* etiam in *Tiberio, c.* 8 testatur: *eum curam administrauisse annonæ, quæ arctior inciderat.* crebra ea difficultas Romæ; indeque magna laus aut odium recte

ſecuſue adminiſtrantibus. *ſane annonæ cura aliquando Pompeio non minus addidit gloriæ, quam pulſus ambitus campo, exactus hoſtis mari, oriens triumphis, occidensq; luſtratus. teſte Plinio in Panegyr.* 29. vide *Dion.* 54. *pr. Lipſ. elect.* 1, 8. Ceterum quæ illa, & cuius tam ſollers cura, ſufficere potuit rei annonariæ Romanorum ac in longum ſatis prouidere? Non immerito aliquis miretur tanti imperii tam periculoſum & anceps vitium. Vt ali poſſet populus Romanus, peregre & longinquis è locis aduehenda erat annona. adeo quidem, vt horreum Romanorum, Ægyptus vel armis occupata vel ſterilitate depleta, fame potuerit Italiam vrgere. *Tac.* 1 A. 59, 4. Igitur hæc inter intimas & ſecretiſſimas Principum ſolicitudines non poſtrema fuit: ſicut *Tiberius* fateri opus habuit, apud *Tacit.* 3 A 54, 6, in grauiſſima illa ad Senatum epiſtola: *At Hercule nemo refert, quod Italia externæ opis indiget, quod vita populi Romani per incerta maris & tempeſtatum, quotidie voluitur. ac niſi prouinciarum copiæ & dominis & ſeruitiis & agris ſubuenerint, noſtra nos ſcilicet nemora noſtraque villæ tuebuntur. Hanc P. C. curam ſuſtinet Princeps. hæc omiſſa remp. funditus trahet.* Neque tamen potuit ille ipſe, qui de hac cura gloriatur hoc loco, prouidere, quin ſubinde *grauitate annonæ iuxta ſeditionem veniretur. Tac.* 6 A 13, 1. Cauſſa huius mali *primo* ex diuitiis & affluentia, quam tot victoriæ pepererant. hinc à labore & ſtudio agriculturæ in otium & voluptates verſa plebs annonam accipere potius quam parare aſſueuit. *Altera cauſſa* latet in viſceribus degenerantis reip. dum magiſtratus quidam affectatione popularitatis largitioni frumentariæ ſtudebant; & mox perturbata aſſiduis nouis molitionibus republica, quicunque dominationem cupiebant, *annona populum* ineſcabant, ſiue quod *Tacitus*, etiam inter

arcanas *Augusti* artes refert 1 A. 2, 2 *pelliciebant.* Quid hoc erat aliud, quam ad otium & cessationem ab agricultura, veluti signum omnibus sustollere? Scilicet ita obnoxiam sibi fidamque plebem reddebant, si eius vitam & necessitates, copiam inopiamque veluti in manu haberent. Testatus quidem est ipse Augustus, prodente *Suetonio Aug.* 42 *se aliquando impetum cepisse, frumentationes publicas in perpetuum abolendi, quod earum fiducia cultura agrorum cessaret: neque tamen perseuerasse, quia certum haberet, posse per ambitionem quandoque restitui.* vide, quæ ad hoc argumentum pertinentia *P. Cunæus* commentatus est *lib.* 1 *de rep. Hebr. c.* 3.

2, 94, 4 *Regnum eius Artauasdi dedit*) *Lipsius & Schegkius* ex *Tacito, Suetonio, Dione, Iosepho, Tigranem* reponunt. Vir Eruditus *G. Vossius* existimat Velleium omisisse Tigranem, quod brevi imperauerit, posteaque iussu Augusti, per Tiberium, Artauasdes impositus sit. *Taciti* verba, quæ potissimum hic in disquisitionem veniunt, ita habent, 2. A. 3, 4 & 5; *occiso Artaxia per dolum propinquorum, datus à Cæsare Armeniis Tigranes, deductusq; in regnum à Tiberio Nerone. Nec Tigrani diuturnum imperium fuit, neque liberis eius, quamquam sociatis more externo in matrimonium regnumque. Dein iussu Augusti impositus Artauasdes, & non sine clade nostra deiectus.* Non caret tamen suspicione, quod omisso eo, quem alii plerique nominant, cuiusque deducendi gratia Tiberius in Armeniam missus erat, Velleius Artauasden potius nominat. Vt non male videatur coniecisse *Doctissimus Vir,* qui hunc locum mutilum defectumque autumauit.

Cuius rex quoque Parthorum) Omnino assentio scribentibus: *cum r. q. P.*

2, 95, 2 *Quippe Vterque diuisis partibus Rhætos Vindelicosque*) *Sueton. Tib.* 9. *Liu. epit.* 136

& seqq. *Flor.* 4, 12, 22 &c. *Hist. miscell.* 7, 14. *Oros.* 6, 21. *Horat.* 4. *Carm.* 4 vbi *Interpretes*. *Dio* 54, *p.* 613 & 654. *Strabo* 7 *pr.*

2, 95, 3. *Censura Planci & Paulli acta inter discord.*) *Dio* 54 *pr. Sigon. comment. in fast. & triumph. R. ad ann.* V. C. DCCXXXI.

Plancus timere deberet, ne quidq.) Prorsus restituit hunc locum *Lipsius* distinctione ac emendatione: *Paullus vix posset implere censorem, Plancus timere deberet. nec quidquam obiicere posset adolescentibus aut obiicientes audire, quod non agnosceret Senex.* Egregie, *timere censorem* dicitur *debere*, qui probrorum sibi & inquinati moris conscius est. *Cur ergo Augustus tales constituit censores, cum hoc magistratu nihil debeat esse grauius sanctiusque?* An voluit hac ratione caussam struere & magnificam in publicum speciem quærere, cur in posterum censuram perpetuam, quam hactenus per accismum recusauerat, Princeps deberet suscipere? Ita enim nec discordiis locum, & officio dignitatem dari, vitiis huius censuræ moniti, credituri erant ciues. Certe non abhorret talis calliditas ab illa Augusti arte, qua *paulatim*, per occasiones & machinamenta, munia magistratuum legumque ita in se traxit, vt sponte & merito concessa viderentur.

2, 96, 2: *subinde bellum Pannonicum, quod inchoatum Agrippa Marcoque Vinicio auo tuo Cos.*) *Lipsius*, quoniam Agrippa ter tantum Consul fuit, hic subesse mendum suspicatus est, scribendumque: *quod inchoatum ab Agrippa, Marco Vinicio auo tuo Cos:* Sed *Gruterus* bene admonuit Velleio de duobus annis sermonem esse, scilicet *primo anno*, siue consulatu Agrippæ, natum esse bellum Pannonicum; *altero* adoleuisse, Vinicio consule. Videndi de hoc bello plerique supra memorati *scriptores*.

2, 97, 1. *Accepta in Germania clades sub legato M. Lollio)* *Dio* 54. *p.* 612. *Suet. Aug.* 23. ad quem locum notat *Casaubonus*, vnum esse Eusebium qui Lollii huius non cladem sed victoriam memoret. Verba hæc sunt, *Chronic. lib. priore*: *Germanos in arma versos M Lollius superat.* Non putandus est autem pugnare cum ceteris Eusebius: acceperat quidem Lollius cladem aliquam, sed victus non erat plane: quin potius, cum mox hostes apparatum eius audirent, in suam terram regressi, obsidibus datis pacem acceperunt. teste *Dione*. sed & antea victos à Lollio, ex *Obsequente* probari potest. Meminit eius cladis *Tac.* 1 A. 10, 6.

2, 98, 1 *Atrox in Thracia bellum ortum L. Pisonis virtus compressit.)* *Dio* 54 *p.* 624. *Flor.* 4, 12, 17.

2, 99, 2. *Mira quadam & incredibili atque inenarrabili pietate.)* Adulatorie hæc de Tiberio *Velleius*, vt alia multa. calliditatem enim potius dixerit, qui Tiberium nouit, quam pietatem. *Suetonius* diserte in *Tib.* 10 totam rem complectitur. *Tot prosperis confluentibus, integra ætate & valetudine statuit repente secedere, seque è medio quam longissime amouere. Dubium vxorisne tædio, quam neque criminari aut dimittere auderet, neque vltra perferre posset; an vt vitato assiduitatis fastidio, auctoritatem absentia tueretur atque etiam augeret, si quando indiguisset sui Resp. Quidam existimant, adultis iam Augusti liberis, loco & quasi possessione vsurpati à se diu secundi gradus, sponte cessisse, exemplo M. Agrippæ, qui M. Marcello ad munera publica admoto, Mitylenas abierit; ne aut obstare, aut obtrectare præsens videretur, quam caussam & ipse, sed postea, (v. Cap. 11.) reddidit. Tunc autem honorum satietatem: ac requiem laborum prætendens commeatum petiit.* adde *Dionem l.* 55. *p.* 635.

Quis non videt, concurrisse omnes illas caussas. quarum *prima* è necessitate domestica, *altera*, è consilio dominationis; *tertia*, è sollertia & institutis vitæ aulicæ exoriri putanda est. Meminit huius secessus *Tacitus* 1 A. 4, 4.

2, 99, 4 *Qui procoss. legatique in transmarinas profecti prouincias, visendi eius gratia ad eum conuenientes, semper priuato (si illa maiestas priu. vnquam fuit) fasc.)* Ita *Schegkius*: alii aliter emendarunt. Legebatur enim corrupte: *visendi eius gratia ad quem conuenientes semper priuatos illa maiestas priuata nunquam fuit, f. s. Lipsius* 3 *epist. quæst. ep.* 8 legit: visendi eius gratia atque conueniendi. cetera, sicut *Schegkius* habet. Ceterum adulationem Velleii arguet *Suetonius Tib.* 12 vbi specie legati exulem egisse memorans, addit: *Enimuero tunc non priuatum modo, sed etiam obnoxium & trepidum egit, mediterraneis agris abditus, vitansq; præternauigantium officia, quibus frequentabatur assidue: nemine cum imperio aut magistratu tendente quoquam, quin diuerteret Rhodum.*

2, 100, 3 *Quippe filia eius Iulia &c.)* Quæ de Iulia hic habentur vide apud *Sueton.* Aug. 65. *Tib.* 11. *Tac.* 1 A. 53, 1. *Dion.* 55 *p.* 635.

Quicquid liberet pro licito vindicans) Alii: *iudicans.*

2, 100, 4. *Tum Iulus Antonius singulare ex. d. c.) Tac.* 4, A. 44, 4. & 11 A. 10, 6. Idem de *Sempron. Graccho* 1 A. 53, 4.

2, 100, 5. *Quasi cuiuslibet vxore violata pœnas p.)* Intellige, quos hic nominat, qui ex lege Iulia in exilium pulsi. nonnemo enim morte affectus est. Quod *Lipsius* notat ad conciliationem Velleii cum *Tacito*, qui 3 A. 24, 2 scribit: *Vt valida diuo Augusto in remp. fortuna; ita domi improspera fuit, ob impudicitiam filiæ ac neptis, quas vrbe depulit*

pulit adulterosque earum morte aut fuga puniuit: nam culpam inter viros ac feminas vulgatam, graui nomine læsarum religionum ac violatæ maiestatis appellando, clementiam maiorum suasque ipse leges egrediebatur. Quanquam *Iulius Antonius*, non tam ob adulterium, quam ὡς καὶ ἐπὶ τῇ μοναρχίᾳ τοῦτο πράξας adeoque *ob rerum nouarum molitionem* interfectus memoratur *Dioni* 55 *p.* 635. sed quænam illæ *religiones*, quas *læsas* apud *Tac.* Augustus dicit? Amicissimus Noster *Freinshemius in doctissima & singularis exempli paraphrasi* exponit de *religionibus, quibus sacrata forent coniugia*: & quod de *violata maiestate* additur, ad *spretas leges* refert, quarum contemtus in maiestatis iniuriam redundaret. Mihi semper videbatur profundioris & vere Monarchici arcani ratio subesse: atque vtrobique *auspicia venerandæ sacratæque Maiestatis* spectari. quæ cogitatio inde confirmabatur, quod non tam ipse Augustus has pœnas tanquam suis verbis iudicioque, sed Senatus, quod *Dio* diserte memorat, in gratiam sc. venerationemque Augusti decreuit. Rationes deinde istas sequebar: cœperant iam *crimine maiestatis violatæ* notari vindicarique, quæ olim intra hoc nomen steterant: Vnde dato semel eius in Principem reuerentiæ exemplo, sponte iam & magna promtitudine Senatus, imo adulatione denique (quod de Tiberianis temporibus satis constat) huc ibatur. Iam vero *crimen ipsum maiestatis* nonne maximam atrocitatem ex eo habet, quod violantur *sacra imperii, auspiciaque summæ potestatis*? quæ cum in vnum translata est, omnis illa veneratio sponte sequebatur. Et quis nescit studium ac sollertiam aulicorum sub Augusto, imo ipsius Augusti, non potestatem modo & imperium sed imperii sanctitatem religionemque varie firmantium atque augentium? Existimet forte aliquis obstare

huic

huic opinationi *Dionem*, qui *lib.* 57, *p.* 696. *sub Tiberio demum, delicta in Imperatorem, impietatis nomine appellata* tradat. ſed præterquam, quod præciſe ex illis verbis non ſequitur, ſub Tiberio cœpiſſe id nomen, (cum locutio illa, ἤδη γὰρ ὠνόμαζον &c: *cœperat iam ita appellari*, facile ad antecedentia tēpora referri poſſit, quia præſertim de initiis Tiberii hic ſermo eſt) etiam illud animaduertendum eſt, Dionem hic de omnibus in Principem iniuriis loqui, cum Auguſti ſeueritas in aliquibus & extra ordinem, vt ſic loquar, apud Tacitum notetur. Verum hæc obiter, & prout ſub acumen ſtili venere, hic appono: conſideraturus eam rem amplius & diſquiſiturus *in comment. de Auſpicio Regio.*

Voluntarii exilii) *Lipſius* recte emendat: *Voluntaria.*

2, 101, 1. *Conuento prius Nerone, cui omnem honorem vt ſuperiori habuit*) Adulatur iterum hic *Velleius*, quod vere *Lipſius* obſeruat. *Dionis* enim diſerta eſt narratio 55 *p.* 636; τοῦ δὲ Γαΐου σταλέντος ἐς τὸν πρὸς Ἀρμενίους πόλεμον, ὁ Τιβέριος ἐς Χίον ἐλθὼν αὐτὸν ἐθεράπευσεν. ἐταπείνου τε γὰρ ἑαυτὸν, καὶ ὑπέπιπτεν οὐχ ὅτι τῷ Γαΐῳ, ἀλλὰ καὶ τοῖς μετ' αὐτοῦ οὖσι. *Miſſo ad bellum Armeniacum Caio, Tiberius in Chium profectus, cultum ei ac officia præſtitit. ſubmiſitque ſe non Caio tantum, ſed omnibus, qui cum ipſo erant.* Adde *Sueton. Tib.* 12.

cum rege Parthorum iuuene excelſiſſimo) Illa duo verba: *iuuene excelſiſſimo* delenda cenſet *Gruterus*. *Lipſius* optima ratione ductus, in primum caſum mutat, vt ad Caium referatur, quippe cum Phraates non fuerit eo tempore iuuenis.

2, 102, 1. *per Parthum indicata, Cæſari fama vulgauit*) Ita feliciter, vt arbitror, emendauit *Lipſius*. Erat; *Cæſaris iam euulgauit.* vnde fecerant; *Cæſaris ira euulgauit.*

2, 102,

2, 102, 2. *mox in colloquium (cui temere se crediderat) circa Artageram grauiter a quodam n. Adduo vulneratus*) Vide *Flor.* 4, 12, 44, 45. Vere autem iudicat Noster, temere hoc à Caio factum: cum hoc casu tot magni viri interierint, vnde exempla cautionis peti poterant. Pertinet huc eximia *Polybii* philosophia è 5 *hist.* 75 *p.* 41 : Καὶ τούτων οὕτω συνεχῶς καὶ προφανῶς πολλοῖς ἤδη συμβεβηκότων, οὐκ οἶδ' ὅπως καινοί τινες ἀεὶ καὶ νέοι πρὸς τὰς τοιαύτας ἀπάτας πεφύκαμεν. τούτου δ' αἴτιόν ἐστι, ὅτι τὰς τῶν πρότερον ἐπταικότων ἐν ἑκάστοις περιπετείας, οὐ ποιούμεθα προχείρους, ἀλλὰ σίτου μὲν καὶ χρημάτων πλῆθος, ἔτι δὲ τειχῶν καὶ βελῶν κατασκευὰς, μετὰ πολλῆς ταλαιπωρίας καὶ δαπάνης ἑτοιμαζόμεθα πρὸς τὰ παράδοξα τῶν συμβαινόντων. ὃ δ' ἐστὶ ῥᾷστον μὲν τῶν ὄντων, μεγίστας δὲ παρέχεται τὰς χρείας, ἐν τοῖς ἐπισφαλέσι καιροῖς, τούτου πάντες καταλιγωροῦμεν. καὶ ταῦτα δυνάμενοι, μετ' εὐσχήμονος ἀναπαύσεως ἅμα καὶ διαγωγῆς, ἐκ τῆς ἱστορίας καὶ πολυπραγμοσύνης περιποιεῖσθαι τὴν τοιαύτην ἐμπειρίαν. *Atque hæc calamitas*) adscribam præclarissimi quamquam longiusculi loci versionem è *Casaubono*) *quum adeo continue adeoque euidenter multis iam inciderit; fit tamen nescio quomodo, vt ad huiusmodi fraudes semper rudes ac noui existamus. Caussa autem huius rei est, quod priorum casus, à quibus in aliquo est offensum, vt in numerato habeamus & ad manum, operam non ponimus. sed frumenti quidem ac pecuniæ copiam, itemque murorum telorumque fabricas, aduersus incerta & inopinata casuum, vexatione magna sumtuque nobis comparamus: rem vero omnium facillimam, omniumque, vbi aliquid aduersi increpuit vtilissimam, hanc omnes susque deque habemus: quum præsertim facile queamus, honesto fruentes otio atque oblectatione animi, ex historia & curiosa diligentique rerum anteactarum notitia, hanc nobis peritiam atque prudentiam parare.* Extat similis

obser-

obſeruatio apud *Polybium Gallicum* (Cominetum intelligo) *lib.2 c. 6 edit. Barthian.*

2,102,4. *In Vrbe Lyciæ (Limyram nominant) morbo obiit)* Cum Velleio ſentit *Suetonius*, & *Zonaras*. Quibus opponit *Lipſius Senecam* Patrem, *Florum*; *Rufum* & præſertim monumentum iuxta *Emeſam* Syriæ vrbem, *in quo C. Cæſaris epitaphium*; memorante *Bellonio*. Vir Eruditus *G. Voßius cenotaphium* illud fuiſſe ſuſpicatur, cum oſſa Caii Romam deportata à tribunis militum; in *Dione* legantur.

2,103,2 *Vt & tribunitiæ poteſt. conſort. Neroni conſtitueret, & eum adoptaret*) vide *Tac.* 1 A. 3, 5. *Sueton. Tib.* 15 & 16. *Dion.* 55. *p.* 637. Intellige autem *tribunitiam poteſtatem* iterum datam. acceperat enim & geſſerat iam antea. adde *Tac.* 1 A. 10, 10.

2,103,5. *Id vnum dixiſſe iuuat, quam ille omnibus fuerit carus*) Ita ſuppleuit *Rhenanus* locum mutilum. Erat enim: *Id vnum dixiſſe; quam ille omnibus fuerit.* vnde *Lipſius*: *Id vnum dixero, quam ille omnia omnibus fuerit.* Alii aliter.

2,104,1. *Hoc, inquit, reip. cauſſa facio*) Dubitatum eſt à multis, *an Tiberius reip. cauſſa ab Auguſto ſucceſſor conſtitutus.* vnde Prudentium aliqui apud *Tac.* 1 A. 10, 9: *ne Tiberium quidem caritate aut reip. cura ſucceſſorem adſcitum: ſed quoniam, arrogantiam ſæuitiamque eius introſpexerit; comparatione deterrima ſibi gloriam quæſiuiſſe.* Sed *Suetonius* liberi alias & prudentis iudicii Scriptor ſuſpicionem eam ab Auguſto remouet, dum in *Tib.* 21 ſcribit: *Adduci tamen nequeo quin exiſtimem, circumſpectiſſimum & prudentiſſimum principem, in tanto præſertim negotio, nihil temere feciſſe, ſed vitiis virtutibusque Tiberii perpenſis, potiores duxiſſe virtutes: præſertim cum & reip.*

cauſſa

causſa adoptare ſe eum pro concione iurauerit, & epiſtolis aliquot, vt peritiſsimum rei militaris, vtque vnicum populi Romani præſidium proſequatur.

2,104,4; *Ante meritis ac viribus quam nomine, Cæſarem reuiſentibus*) *Lipſius* non ſine ratione pro *viribus* mallet *virtutibus*.

2,105,1 *Et amnis mox noſtra clade nobilis, tranſitus Viſurgis*) Ita *Rhenanus* εὐστόχως, vt arbitror, emendauit, cum inueniſſet: *& inamninus mox noſtra clad nob. Voßiana* coniectura ita reſcribit: *& vtinam minus mox noſtra clade nob.*

2,105,4 *Pietas ſua Cæſarem, pæne obſtructis hieme alpibus in vrbem traxit: ad tutelam imperii eum veris initio reduxit in Germaniam*) Ex variis lectionibus & diſtinctionibus hæc nobis commodiſſima videbatur. in *vet. ex.* extrita ſyllaba, *initi* extabat. item pro *obſtructis* leg. *extructis*. Vnde *vir Doctus*: *bene extructis*. Capio & tolero ſignificatum, vocabuli *extructis*. ſed retinuerim *pæne*. Nam *bene extructas Alpes* ſcripſiſſe *Velleium*, diſtulerim credere.

ad caput Iuliæ fluminis) *Lupiæ* legendum eſſe, conſenſus doctorum & res ipſa pridem euicit. vide de hoc Noſtri loco *Cluuer. Germ. antiq. lib. 3 cap. 9 & 49.*

2,106,2 *Ad quadrigenteſimum miliarium à Rheno vſque ad flumen Albim*) Hyperbolice hic loqui *Velleium*, aut anfractus atque circuitus paludum ſaltuumque complecti (cum alias millia paſſuum haud amplius CCXL reperiantur in itineris huius deſignatione) oſtendit *Cluuerius Germ. antiq.* 3,18. Ita adulatorie mox animaduertente *Lipſio*, *inauditum atque incognitum ante mare* vocat, quod tamen *Druſus* antea nauigauerat, ſicut ex *Dione* ſatis conſtat.

2, 107, 1. *Non tempero mihi &c.*) Quæ in hoc capite habentur, solius Velleii diligentiæ debentur. quo minus iudicare integrum est, quid iuxta aut supra veri fidem dictum sit. Certe cum in Tiberianis plerisque laudibus nimius deprehendatur Noster, non sine ratione suspicatus est *Lipsius*, parum pro indole Germani hominis sonare istam ad Tiberium orationem.

Cauatum, vt illis mos est, ex materia conscendit alueum) Meminit eiusmodi nauigiorum *Plinius* 16, 40: *Germaniæ prædones singulis arboribus cauatis nauigant, quarum quædam & triginta homines ferunt.* Scilicet hoc veluti *rudimentum nauium* gentibus fuisse antiquitus, consentaneum est. Ita *Sanchuniathon apud Euseb. præparat. Euang.* 1, 10 *de Phœnicum Theologia*, tradit: δένδρου λαβόμενον τὸν Οὔσωον καὶ ἀποκλαδεύσαντα, πρῶτον τολμῆσαι εἰς θάλασσαν ἐμβῆναι. *Vsoum arbore, cuius ramos amputauerat, accepta, primum hoc veluti nauigio ausum esse mare ingredi.* Annotandum hoc vel propterea videbatur, quia in disputatione de primis *rei naualis originibus* multa obscuritas tollitur, obseruato nauis tumultuariæ siue rudimentariæ, tum fabricatæ extructæque discrimine. hic proprie ναυπηγία locum habet: Velleianum autem istud nauigium, aut quæ alia ad eum modum memorantur, non sunt accurate loquendo ναυπηγηθέντα.

2, 107, 2 *in eam quam armis tenebamus*) *Burerius* in *antiq. ex.* fuisse, *tendebamus*, testatur. Vnde promtum fuerit, emendatione ceteram σύνταξιν huc attemperare: nisi in pari loquendi proprietate æque ambiguum crederem, huicne verbo, an reliquis voculis accesserit vitium.

Nostra quidē iuuentus furit, quæ cum vestrum numen absentium colat, præsentium potius arma metuit &c.) Tolerabilior videri posset montano-

rum

rum barbarorum apud *Curtium* 7, 6, 6 oratio, qui veniæ petendæ deditionem ſuam hoc colore adornant: *cum diis pugnare ſacrilegos tantum.* Nam quæ *Idem ſcriptor* de barbaro imbellique Indorum ſtupore memorat 9, 1, 18 & 9, 8, 7, quibus Dii ſcilicet erant, quos fortiores adeoque ſibi formidabiles credebant, facile fidem inueniant: ſed cui veriſimile ſit, Germanum, dignitate graduque militiæ honoratum in tantum non modo à libertate, ſed à ſeruitute ipſa degeneraſſe? Et quodnam illud numen Romanorum, quod iuuentus Germana ſcilicet coleret? An illa terrarum Dea gentiumque Roma? quam pro domicilio latronum deteſtabantur Germani? An vero Iulii Cæſaris ἀποθέωσις, aut Auguſti veneratio hanc formulam dictauit? qua eadem nimirum poſtea Arminius, *illum inter numina dicatum Auguſtum*, gravi cum irriſu vecordiæ Romanæ, memorat, ap. *Tac.* 1 A. 59, 6. Curioſior aliquis non difficulter crederet, Velleium hic commentum eſſe rationem, qua ſuum Tiberium ſummis quibusque & admirandis ducibus æquaret. Vide de *Scipione Val. Max.* 2, 10, 2.

2, 108, 1 *Nihil erat iam in Germania, quod vinci poſſet*) Etiam hoc *adulatorie*: vt recte notat *Lipſius.* idem, qui mox pro *inferiora* (quæ vox *Cluuerio Germ. antiq.* 3, 3 multum negotii exhibuit) rectiſſime *interiora* repoſuit.

2, 108, 8 *ſed certum imperium vimque regiam complexus animo*) Hunc locum, Deo annuente, amplius explicabimus in *comment*: *de Auſpicio Regio.* Hiſtoriam iuuabunt *Strabo* 7 prope principium, egregia, vt ſolet, breuitate rem totam complexus. *Tac.* 2 A. 45 & 46.

Aut conditionibus iuris ſui fecit) An æquis, an vero imparibus? Dubitat *Petrus Faber Semeſtr.* 1, 7. Nobis nil videtur dubitandum, ſi vel conſilium

Marobodui, vel textum Velleii consideramus. Dominari ceteris volebat Maroboduus, proferendique imperii caussa finitimos bello petebat. ergo partim vi cepit, partim deditione, quos *sui iuris*, omnes nimirum *fecit*. Qua Velleii phrasi nihil potuit clarius dici: nam *sui iuris facere*, est utique, *in suam ditionem potestatemque redigere*. Non consistunt autem συνθῆκαι ἐπ' ἴσῃ καὶ ὁμοίᾳ, cum alter amittit imperium, alter accipit.

2, 109, 1. *Gerebatque se ita aduersus Romanos*) Quæ hoc & sequenti commate dicuntur, prudentiam Marobodui singularem abunde ostendunt. Ceteri scriptores parcius hic agunt. an puduit fateri: fuisse inter Germanos virum, qui gerenda rep. constituendoque principatu æmulum agere posset eorum, qui soli eo nomine celebres & cupiebant esse & videbantur? Nimirum & elusit Maroboduus infinitam Romanorum ambitionem calliditate, & virtute coërcuit: & quantum ille dedisset Romanis negotii, nisi intestinis armis collisi inter se duo *Germanici Martes* (Arminius ille alter est, quem indigito) nudum hostibus latus præbuissent. Macte nunc quoque virtus Germanica, inuicta omni externa vi in hunc diem futura, si Libertati tuæ concordia constantius litauisses, neque alienæ dominationi tuum decus & sanguinem gratificari didicisses.

2, 109, 2 *Totumque ex male dißimulato agebat æmulum*) *Acidalius* contendit legendum, *in totumque*. Nolim statim assentire.

2, 109, 5. *Legiones Boiohæmum* duceret) verbum hoc explendæ lacunæ adiiciendum doctissimus quisque consensit.

2, 110, 1. *Saturninum admoueri placuerat* **pæne æquali* diuisæ *interuallo ab hoste*) *Lipsius* mallet, *admoneri*: & supplet lacunam: *cuius copiæ pæne æq.* Hoc postremum facile se cuiuis approbat:

probat: sed illud *admoueri*, tolerari posse obserua-bunt, qui cogitare volent.

2, 110, 2 *cum vniuersa Pannonia & Dalmatia*) Vide de hoc bello *Dionem lib.* 55 & 56. *Sueton. Tib.* 16.

2, 110, 3 *Amplius DCCC millibus*) Non dubito nota numerali expressum in msc. millenarium fuisse: DCCCM. Vnde *Acidalius*, potius *millia* ex optimorum Auctorum consuetudine, legendum esse, quam *millibus* existimat.

2, 110, 4 *pars in Macedoniam eruperat*) Ex vet. exemp. *effugerat*. *Lipsius* & *Vrsinus* faciunt, *se effuderat*.

Proxima duobus Batonibus ac Pinneti ducibus auctoritas erat) *Proxima*, à quibus? *Lipsius* corrigit: *prima duobus Batonibus ac P. a. e.* Aut: *proxima duobus Batonibus à Pinnete auctoritas erat*. Ceterum *duos Batones* expunxerunt alii, atque ita rescripserunt: *proxima duobus, Batoni ac Pinneti ducibus, auctoritas erat*. Tuetur hanc lectionem contra *Lipsium*, qui duos Batones è Dione retinet, *Acidalius* præsertim ex *Nostro* 2, 114, 4.

2, 110, 5. *Linguæ quoque notitia Romanæ*) Nescio quo consilio *Schegkius* hic obseruet, Linguæ Latinæ vsum beneficii loco à Romanis concessum. ex *Liu.* 40, 43: *Cumanis eo anno petentibus permissum, vt publice Latine loquerentur, & præconibus Latine vendendi ius esset*. *Noster* sane nihil de vsu huius linguæ Pannoniis publice concesso, sicut Cumanos actui publico ac negotiis ciuilibus solennibus illud priuilegium quæsiuisse & impetrasse *Liuius* auctor est: sed potius de peruulgata notitia sermonis Romani loquitur, sicut hodieque fieri potest & solet, vt linguæ alicuius extraneæ notitia in vulgus satis familiaris sit, non item vsu publico recepta & agendis rebus componendisque monumentis desti-

destinata. Nam id ne optant quidem aut sustinent facere, nisi qui externo imperio vel parent vel adulantur. Itaque semper discernendum est, *commercione & vsu ac necessitudine, an imperio institutoq; notitia* linguæ alicuius propagetur. De priori modo *Curtius* diserte 6, 10, 23: *Tam victoribus quam victis peregrina lingua discenda est.* Posterius consilium *Dominantibus* solenne est: qui linguam suam, non citra arcanum imperii (de quo *Clapmar.* 3, 22) propagare student.

2, 110, 6 *Vt stabilem illum & firmatum tantorum bellorum experientia an.*) *Vet. ex. formatum.* cuius vocis & elegans & satis nota est in hos vsus significatio; nescio tamen quomodo textum accuratius inspicienti magis arridet, *firmatum.*

2, 111, 1. *Reuocati vndique omnes veterani*) Retineri potest vetusta lectio: *vndique & omnes.* Quod *Acidalius, euocati*, reponendum contendit, in eo obsequitur mori suo atque ex omni occasione correctionem captat.

Ex censu libertinum coacta dare militem) *Sueton. Aug.* 25. *Dio* 55 *p.* 652.

2, 111, 2 *Omnia hæc frustra præparassemus, nisi qui illa regeret fuisset*) Scilicet plus est in duce, quam in exercitu. quo de argumento pleni sunt commentarii Politicorum.

Itaque vt præsidium militum resp ab Augusto ducem in bellum poposcit Tiberium) Fateor non suauiter hæc in auribus meis sonare: tam absurda autem esse, sicut censuit Acidalius, (cuius nimis animosa hic medicina est) pernego. Mitigabitur nonnihil insolentia phraseos, si consideremus, quam præmisit sententiam. Coactæ erant, inquit, satis multæ magnæq; militum copiæ: sed quid multitudo exercitus, absque artibus & auctoritate idonei ducis? itaque respublica huic multitudini militum, tan-

quam

quam præsidium & præcipuum robur decusque, postulauit Tiberium, parem sc. tanto bello ducem. Subtilius forte quam opus est agunt, qui Tiberium ideo hic *præsidium militum* credunt dici, quod militum sanguini parceret studiose, neque victoriam damno amissi militis pensatam cuperet (teste *Nostro* 2, 115, 5. 2, 20, 2) simplicius enim & conuenientius est vt *præsidium* accipiamus eo sensu, quo eleganter *Augustus* apud *Sueton.* Tiberium *vt vnicum populi R. præsidium* prosequitur. *Tib.* 21. *Lipsius* tentabat: *præsidium vltimum*: *Gruterus*, *vnicum*: vt possit videri *Velleius* in animo habuisse elogium Augusti.

2, 111, 3 *Mediocritas nostra*) Ita iam ergo incipiebant loqui? postea eiusmodi formulæ ad ineptias & fastidium frequentatæ. Mirari possis iam tum, id est, sub Tiberio, ausum *Valerium Maximum* dicere, *mea paruitas*. Quæ vox adeo offendit Eruditorum aures, vt pro comperto habeam, multos, cum in ipso limine huc tanquam in lapidem impingerent, sequius, quam meretur, iudicasse de toto Auctore: qui licet aliquando moliri grauius quam felicius exhibere videatur figuras sententiasque, abunde tamen eloquentiam suam prudentiamque æquis iudicibus approbare potest.

etiam designatus tribunus plebis) Legebatur: *& iam designatis tribunis plebis.* quam *Lipsius* tuetur, ratione à *more* eius æui petita, quo cautum seuere erat, *ne quis Tribunus fieret, nisi senator.* Eruit eam rem è caligine explicatque 2 *Electorum* 13.

2, 111, 4 *Quanto cum temperamento simul vtilitatis res auctoritate imperatoris agi vid.*) sententiose hoc, vt cetera de artibus Tiberii. scilicet *Eruditus* sit dux *vtilia honestis miscere*, exemplo Agricolæ ap. *Tac.* 8, 1.

inopsque copiarum &c.) *Magna* enim *dispositio*

sitio est, hostem fame magis vrgere quam ferro, quod *Vegetius* 3, 26 in regulis belli generalibus tradit.

2, 112, 3 *pars exercitus eorum proposita ipsi duci*) *Lipsius* mallet *opposita*. sed potest defendi vulgata. Mox concinnius legeris, *instantes sustinere*. quod iam alii monuerunt. cetera recte se habent.

2, 112, 4 *& equitatu regio*) *Acidalius* recte: *equitatui*.

2, 112, 5. *Militi plus eo tempore vindicatum gloriæ, quam d. r.*) Videtur omnino toleranda hæc lectio, neque opus esse, vt pro *militi*, substituatur, *militibus* : aut pro *vindicatum*, *vindicandum*.

Qui multum a more sui imperatoris discrepantes) Legebatur: *multum amore imperatoris sui crepantes*. Vnde doctissimus *Isacius Pontanus* eam lectionem fecit, quæ haud dubie ceteris omnibus præferenda fuit.

2, 112, 6 *Quibus etiam primi ordines cecidere*) Ita *Burerius* ex *vet. ex*. Addenda ergo fuerit præpositio. quam subintelligi hic posse facilius dixeris quam probaueris. Alii: *quin etiam primi ordines*. *Lipsius* mallet: *qui etiam primi ordinis*. Vide *In dic. voc. ord.*

2, 112, 7 *Hoc fere tempore Agrippa*) *Suetonius Aug.* 65 *ingenium sordidum & ferox* huic tribuit. *Dio* 55 *p.* 652 ὀκλοπρεπῆ vocat, præcipitisque iræ hominem; ausum etiam, *nouercalem animum* Iuliæ, & Augusto *bonorum paternorum detentionem* exprobrare. *Tacitus* 1 A. 3, 6 *Rudem sane bonarum artium & robore corporis stolide ferocem, nullius tamen flagitii compertum* memorat; exiliumque quo ab Augusto multatus est *Liuiæ* artibus tribuit. sed & de exitu eius, quem Velleius *dignum furore hominis* vocat, longe aliter iudicat *Tacitus* 1, A. 6, 1 &c: Vide locum & *primum Tiberiani principatus facinus*; velo adulationis hic obductum. reuelan-

uelandum amplius à *Dione* 57 *p.* 692 & *Clapmario* 5 *Arcan.* 2.

2, 113, 1. *quatuordecim* (alis) *sed pluribus quam decem vet. mill.*) Placuit Eruditis *Lipsiana* coniectura; *alas* scilicet adiici debere. Idem mox legit: *& pluribus quam d.* potest tamen vsitata lectio ferri.

2, 113, 2 *In omnibus bellis, quæ probanda essent, non quæ vtique probarentur, sequens*) Talis locus mox sequetur *cap.* 115, 5. vtrumque ob verborum exemplique grauitatem laudauit in hoc argumento *Lipsius* 5 *Polit.* 16, 20. Cum primis autem eximia *Oratio Q. Fabii Maximi ad Æmilium* huc pertinet ex *Liu.* 22, 39.

2, 113, 3 *Et partem digredientium suorum metu vniuersi tentare non posset*) Prorsus temere & inconsiderate fecerunt, qui pro optima editionis principis lectione, hanc reposuerunt: quæ vitio libri, quem typothetæ dederamus, in nostram quoq; editionem irrepsit. quod nollem factum. Legendum enim, sicut *Gruterus* aliique iam ediderant: *& partem digredientium suorum quisq; metu finium vniuersi tentare non possent.* sensus patet.

2, 114, 1. *Nemo e nobis, gradumue nostrum a. p. a. s. imbecillus fuit &c.*) Vt cetera, quæ præcedenti capite descripta sunt, ex singulari virtute imperatoria originem trahunt, ita non in postremis ponenda est hæc erga imbecillos comitas Ducis: qua sibi & bello militem efficacissime firmare potest. Quod præsertim in bellis difficilibus, aut post aduersa, locum habet. sicut apud *Tacitum* Germanicus, *vt cladis memoriam etiam comitate leniret, circumire saucios, facta singulorum extollere; vulnera intuens, alium spe, alium gloria, cunctos alloquio & cura, sibique & prælio firmabat.* 1 A. 71, 3. Vide quæ *Lipsius* notauit ad *Panegyr. Plin. c.* 13, vbi Traianus

nus *solatium fessis, ægris opem tulit: neque sua iniuit tentoria, nisi commilitonum ante lustrasset, nec requiem corpori, nisi post omnes dedit.* Hadrianus quoque *ægros milites in hospitiis suis vidit. Spartian.* 10. *Alexandri* item *Seueri* eximiam curam *Lampridius commendat* c. 47: *Ægrotantes ipse visitauit per tentoria milites, etiam vltimos; & carpentis vexit, & omnibus necessariis adiuuit. Et si forte grauius laborassent, per ciuitates & agros patribus familias hominibus & sanctioribus matronis eos distribuebat, reddens impendia quæ fecissent, siue conualuissent illi seu periissent.* An legimus: *patribusf. honestioribus?*

2, 114, 2. *Lecticæ eius publicata, cuius beneficium cum alii t. eg. sensi*) post, *cuius*, lacuna erat, quam *Rhenanus* per *beneficium*; *Lipsius*, per *vsum* explet.

2, 114, 3. *Agnoscat protinus*) *Vet. lib. agnoscet.* quod probum puto.

2, 114, 4 *Captum alterum, alterum deditum*) Legebatur, *captum alterum à se deditum.* vnde rectissime *Rhenanus*: *captum alterum, alterum à se deditum.* Nam Bato se ipse dediderat.

2, 114, 5 *Cuius omnibus copiis à Cæsaribus M. Lepidus præfectus est*) Ita quidem nonnullis placuit, propter vocem, *eorum*, quæ in libris mox sequens ad Cæsares referenda videbatur. sed cum fuerit: *cuius omnibus copiis Cæsarem Lepidus præfectus est*; nihil dubito totum locum ita legendum: *cuius omnibus copiis à Cæsare M. Lepidus præfectus* est, *vir nominis ac fortunæ suorum proximus.* cum præsertim sequatur *tantorum nominum*. quibus Lepidus ortus est, mentio.

2, 115, 1. *Magio Celere Velleiano*) Ita potius legerim, quam cum *Nicolao Loens. epiphyllid.* 7, 6 *Allifano*: Erat in v. ex. *Vlli flauo.*

Et

Et ampliſsimorum honorum, quibus triumphans eum Cæſar donauit) *Lipſio* ex comparatione loci, qui cap. 121, 3 ſequitur, *donorum* potius videtur legendum.

2, 115, 4 *Quippe Daoriſi & Deſitiates Delmatæ*) In vet. *cod. Peruſiæ æde ſitiates Delmatæ.* Puteani coniectura: *Breuci & Deſitiates Delmatæ,* non *Dionis* modo auctoritate ſuffulta eſt, ſed præſertim ex *Sueton. Tib.* 9 firmari poteſt, vbi Tiberius bello Pannonico *Breucos & Dalmatas* ſubegiſſe dicitur. Facit diligentia Scriptoris & inſtitutum, vt nihil dubitem, inde corrigendum Velleium; cum præſertim elementorum ductus minime repugnet.

2, 116, 1. *Celebris etiam opera diligenti Q. Iulius Poſthumus*) *Voſsiana* emendatio non diſplicet: *Celebri etiam opera diligentique Vibius Poſtumus.* quem intelligendum Pighius aſſerit.

2, 116, 3 *Nam & Seianus vir antiquiſsimi moris*) Nullo ſucceſſu tentarunt ita corrigere, cum legeretur: *Nam & etiam v. antiq. Lipſius Iunium* ſubſtituit, de quo Noſter infra *cap.* 125, 5.

2, 116, 5. *Horum virorum mentione) Acidalius: mentioni.*

2, 117, 1. *Tantum quod vltimam impoſuerat manum*) Nil mutandum. Aſſeruerunt pridem eam loquendi formulam Viri Docti ad *Sueton. Aug.* 63: *Iuliam primum Marcello Octauiæ ſororis ſuæ filio tantum quod pueritiam egreſſo nuptum dedit. Neron.* 6. *Natus eſt, XVIII Kal. Ian. tantum quod exoriente ſole. Cic.* 15 *ad Attic. ep.* 13: *Hæc cum ſcriberem, tantum quod exiſtimabam ad te orationem eſſe perlatam.* Ad quem locum non debuit *Manutius* adducere illud in Verrem: *Tantum quod hominem non nominat; cauſſam quidem totam perſcribit.* Hic enim aliam ſignificationem atque σύνταξιν habent illæ particulæ, vt quivis videt.

Velut

Velut in hoc saltem tantummodo indulgente nobis fortuna, ne occupato duce * *& caussa persona moram exigit*) Hoc loco *primum* animaduertit *Gruterus*, *saltem tantummodo* superflue dici, alterumq; irrepsisse præter Auctoris mentem: *Deinde*, lacunam alii aliter explent; *Lipsius* ita: *ne occupato duce sæuiret. sed caussa & persona moram exigit.* Non firmauerim ita scripsisse Velleium (nam quis ipsa verba reponat?) sed ita sensisse nullus dubito. Scilicet id voluit dicere: *In tanta calamitate illud tamen pro beneficio fortunæ agnoscendum, quod hæc clades non acciderit occupato districtoque alibi duce Tiberio: futurum enim fuisse vt hostis vteretur victoria armaque latius proferret, nisi statim obuiam itum foret. Operæ pretium autem esse, vt & Vari ingenium, mores, consilia, & clades ipsa, summatim quidem, sed tamen cum quadam mora, in hoc transcursu, memorentur.*

2, 117, 2 *Varius Quinctilius &c.*) Dicetur de hac descriptione alibi: nunc illud notare lubet, quantus error commissus sit in præficiendo Germaniæ tali viro, qui nec virtute militari bellicosæ genti metuendus; & superbia, crudelitate, auaritia, libertati hominum generosorum intolerandus esset. Crebra & singularis ea magnorum imperiorum infelicitas est, quod in administrationem locorum gentiumque cordatiorum obrepunt *Lollii & Vari*, quorum vecordia rebellioni & rebus nouis caussam præbet. Quam requirenti alicui vere responderi posset, quod *Bato* ille bis Tiberio respondit apud *Dionem* 55 & 56: ὑμεῖς τούτων αἴτιοι ἐστέ. ἐπὶ γὰρ τὰς ἀγέλας ὑμῶν φύλακας, οὐ κύνας, οὐδὲ νομέας, ἀλλὰ λύκους πέμπετε. *Vos Romani caussam rebellandi eo præbuistis, quod ad custodiendos greges vestros non canes, non pastores, sed lupos mittitis.*

Vt corpore & animo immobilior) potest aliquis

quis sensus existere ex his verbis, sed mihi suspectus est locus, nec satisfacit emendatio aliorum, *& corpore & animo*: vel, *Vt corpore ita animo.*

2, 118, 1 *At illi, quod nisi expertus vix credebat*) *Lipsius*: vix credat. Ceterum cladem Varianam eiusq; caussas nemo accuratius descripsit *Velleio* ac *Dione lib.* 56. adde *Flor.* 4, 12, 3, *& seq. Tac.* 1 A. 61. *& de morib. Germ.* 37, 7 in magnificentissimo illo Germanæ virtutis elogio. *Strabon.* 7 *non longe à principio. Suet on. Aug.* 23 *Cluuer. Germ.* antiq. 3, 19 vbi præsertim de loco cladis multa.

Natúmque mendacio genus) Hoc quidem aperte falsum est: sed intolerantes sæuitiæ ac tyrannidis, amantesque libertatis fuisse aduersum prædones gentium, id longe est verissimum.

2, 118, 2 *Arminius Sigimeri princ. g. e. filius*) vide *Charact. Vellei.* c. 319.

Neminem celerius opprimi, quam qui nihil timet, & frequentiss. vitium esse calamitatis, securitatem) Eximia super hoc argumenta loca atque cum grandibus exemplis coniuncta notauit *Lipsius* 5 *Polit.* 16, 23 *& seqq.* vbi etiam hæc Nostri Auctoris sententia.

2, 118, 4 *sed præualebant iam fata consiliis, omnemque animi eius aciem præstinxerant*) Legebatur: *postulabat etiam fata consiliis, omnemque animi eius aciem præstruxerat*. Vnde legerim: *præualebat sed iam fatum consiliis, omnemque animi eius aciem præstruxerat*. quanquam illo positu particula *sed*, etiam à *Lipsio* ita collocata in emend: huius loci, non satis placet.

Vt plerumq; qui fortunam mutaturus est, consilia corrump.) Non debuit omitti *Deus*; quæ vox in *msc.* pro *est* comparebat. Sed & verbũ substantiuum rescribendum videtur. Optimo enim sensu legeris: *Vt plerumq; qui fortunam mutaturus est Deus, consilia corrumpat.*

Vt quod accidit, id etiam merito accidisse videatur, & casus in culpam transeat) Lubrica est & caligat tua Philosophia, *Patercule:* omniumque eorum, qui tua hæc tam auide arripiunt, & pro oraculo exosculantur. Aperiant enim tandem oculos, vel ad huius exempli lucem, qui tam crasse de fatali necessitate sentiunt loquunturque. *Acciditne immerito Varo, quod accidit?* Nonne securitas inexcusabilis virum præcipitem dedit? Congruebat sane iustitiæ fati, vt pateretur vecordiam huius hominis vindicari: sed vindictam non intulit vis maior fati, aut præsentioris potentiæ fatalis vltio: sinebatur interire, sed suamet securitate ignauiaque. Nonne cauere, nonne & antea se aliter gerere, & cum moneretur, expergisci potuit? si hoc non possunt homines, iam non sunt homines. Et cur hæc talia, traduntur ciuilis disciplinæ caussa? Cur Historici passim admonent, securitate peccatum esse ab hoc & isto? cur increpant securitatem? cur exempla cautionis inde peti iubent? si à casu ineuitabili sunt illa omnia, longe aliter philosophandum erat. Vide quæ Velleius rursum de Varo 2, 120, 5. Non omittendum duxi, quin rursum monerem, vitandos in hoc argumento & *errores vulgaris sermonis*, & *colores disertæ scriptionis*, quæ sæpe ita tegit hominum popularium aut amicorum flagitia, sæpe tragicæ grauitati his sententiis locum quærit. adde quæ supra notauimus ad 2, 57, 3. Non dissimulamus interim, *posse horum multa ad saniorem sententiam commoda interpretatione & cautione redigi*: sed quid opus est illorum dicta melius interpretari, quos peius sensisse non ignoramus?

2, 119, 2 *Cum ne pugnandi quidem egregie occasio in quantum voluerant &c.)* Ex *Bureri v. Lect.* constat, ita fuisse in exemplari: *cum ne pugnandi quidem egrediem aut occasionis inquantū voluerant*

rant data esset immunis. Vnde *Vossius* ita emendat: *cum ne pugnandi quidem egrediendiue, occasio iis data esset immunis.* Non displicet. sed quod cum *Grutero* delet illa; *in quantum voluerant*, non approbauerim. Neque enim statim licet recidere, quæ sententiæ nostræ obstare videntur, & scripsisse ita Velleium, ex eo maxime fit verisimile, quod mox sequitur. *Castigatos esse quosdam graui pœna, quia Romanis & armis & animis vsi fuissent.* Q. d. voluisse quidem Romanos milites suam necessitudinem fortiter ferre, acriterque pugnando dare operam ne ignaui aut penitus inulti perirent: sed coërcitam esse generosam voluntatem segnitie & imperio ducis &c.

Ab eo hoste, quem ita semper more per cudum trucidauerat &c.) Quid ais, Vellei? Longe aliter *Tacitus* aliique de Germanis loquuntur.

2, 119, 3 *Paterni auitique exempli successor.*) De patre supra Noster 2, 71, 3.

2, 120, 1. *Vltro Rhenum cum exercitu transgreditur*) Illud *vltro* ex *Freinshemiana* emendatione, cum legeretur, *vltra*, præplacuit.

2, 120, 2 *Arminio territo, quem arcuisse pater & patria contenti*) Fuerat: *arma interfecti, quem arguisse.* Vnde *Lipsius*; *arma infert, quæ arcuisse pater & p. c. e.* *Vossiana* emendatio ista est: *arma infert hosti, quem arc.*

2, 120, 6. *sanguinis cerebrique profluuio*) in *msc.* erat: *influuio.* quod *Gruterus* retinet. alii fac. *effluuio.*

2, 121, 1. *Coërcitione magis quam pœna mollisset*) Prudenter nam id exigebat ratio temporis: quod cum tot pericula minaretur ac obiiceret vndique, non debuit seueritate apud subiectos augeri odium præsentis status.

Et senatus populusq; Rom. &c:) Miror plerosq;

Ani-

Animaduersionum & Notarum scriptores hunc locum plane prætteriisse. Expressimus autem *Rhenani* & *Gruteri* editionem. Nam *Bvrerius* parum hic ad rem. Interim videtur ὕπουλόν τι subesse. Certe illa verba; *quam erat ipsi*; non cohærere satis apte, vidit & deleta cupiit *Aldus*. cuius coniecturam, non possum non probare.

2, 121, 2 *Ex Pannoniis Delmatisque egit triumphum*) Vide *Sigon. comment. in fast. & triumph. R. Sueton. Tib.* 17.

2, 121, 3 *Quippe omnes e. h. duces non occisos fama narrauit, sed vinctos triumphus ostendit*) Nescio quid sibi velint, qui *negantem particulam*, auctoritate *vet. exempl.* fultam, emouere cupiunt. Sensus est *Eminentissimos hostium duces non fama tantum, occisos alibi, populo Romano narrauit, sed præsenti spectaculo in vinculis & triumpho ductos fortuna ostendit.* scilicet maior erat felicitas & solidius gaudium, coram intueri vinctos clarissimos duces in triumpho: quam si auditione tantum accepissent vinctos occisosque. Τὸ *Non* συγκριτικῶς accipiendum est: vt τὸ *sed*, quod maius est, inferat.

2, 122, 1 *Et ex rege ei præposito*) supra c. 94, 4. Pronomen *ei* aberat in *ex. vet.*

2, 123, 1 *Venitur ad tempus, in quo f. pl. metus*) Quæ in hoc capite de itinere Tiberii & colloquio cum Augusto, ipsiusque Augusti morte habentur, amplius vide apud *Dion.* 56 *Suet. Aug.* 98 & *Tib.* 21. *Tac.* 1 A. 5. *Suetonius* addit: reuocatum Tiberium secreti sermonis caussa cum Augusto fuisse per totum diem: haud dubie ea reuelabat successori, quæ prius non nisi periculose reuelari poterant. Omnino enim in magnis imperiis ita comparatum est, vt multa solius Principis cognitioni reseruanda sint, quæ cum pluribus communicata vim suam amittunt: atque hæc talia successorem certum non

prorsus

prorſus quidem celare, ſed nec citius quam tuto fieri poteſt, id eſt, inſtante fatali hora, aperire quidquam decuerit.

2, 123, 2 *Ille ad patrem patriæ expectato reuolauit mat.*) Acidalius vocem *Patriæ* irrepſiſſe exiſtimat. Alias nomen ipſum PATRIS PATRIÆ Auguſto ſenatus conſenſu per Valerium Meſſallam delatum ſatis notum eſt. *Sueton. Aug.* 58. Eſtq; hæc cumprimis magnifica & ſi *Themiſtium* ſequimur, *diuina* in imperante *patris* appellatio. θεία δὲ μόνη ἡ τοῦ πατρὸς ἐπωνυμία.

2, 124, 1 *Cuius orbis ruinam timueramus, eum ne commotum quidem ſenſimus*) Hæc eſt ſcriptura membranarum; ad quam tuendam opportune *Gruterus* adfert *Ciceronis* illud ex *lib. 2 ad Attic. ep. 21*: *Equidem ſperabam ſic orbem reip. eſſe conuerſum, vt vix ſonitum audire, vix impreſſam orbitam videre poſſemus.*

2, 124, 2 *Solique huic contigit pæne diutius recuſare principatum*) Ecce, quam ſpecioſe Acciſmum Tiberii velat Noſter: ſed reuelabit *Tacitus* 1 A. 11 & 12 *Suetonius Tib.* 24 & 25. *Dio* 57 *Hiſt. miſc.* 7, 22. *pr. Clapmar.* 2 *Arcan.* 16.

2, 124, 3. *Primum principalium eius operum fuit ordinatio comitiorum, quam manu ſua ſcriptam D. Auguſtus reliquerat*) Inter eminentiſſima ſummi imperii iura, eſt *ius Comitiorum* & *creatio magiſtratuum.* Itaque Mæcenas, Conſiliator vere Regius, apud *Dionem* 52 Auguſtum monet, vt ex ratione ſtatus monarchici ad ſe trahat tantam poteſtatem. Intellexit facile vim eius conſilii Auguſtus: ſed exemplum moderandi Iulius iam dederat; quod ſecutus, partitus eſt cum populo comitia, ſiue verius videri voluit partitus, excepta conſulum creatione, quam ſibi ſenatuique reſeruauit in ſolidum. Nunc ergo Tiberius, ſiue conſilio Auguſti inſtiga-

tus, siue quod sponte, sicut satis mox patuit, vim principatus omnibus modis intendere destinauerat, totum ius comitiorum populo ademtum sibi vindicauit, nisi quod simulacri caussa cum senatu communicatum voluit. Vide omnino *Tacitum* 1 A. 15 & *Lipsianum in Tacit: commentarium. Clapmar. item lib. 6 Arcan.* 7.

2, 125. 1 *Quippe exercitus, qui in Germania militabat &c.*) Has seditiones egregie descripsit, & ad exemplum perfectæ super hoc argumento commentationis, sicut supra iam monuimus, *Tacitus* 1 A. 16 *& seq. Idem* 1 A. 31 *& seq.* adde *Dion.* 57. *Sueton. Tib.* 25.

2, 125, 4. *Vt pleraque ignaue Germanicus*) Vehementer hic vapulat Velleius & merito, si de vnico eorum temporum ornamento, Cæsare Germanico, qui legiones seditiosas, *incertum constantia an pietate maiore compescuit* (teste *Suet. Calig.* 1 & *Tacito*) ita loquitur, vt ignauiam homini, si quis vnquam, industrio fortique tribuat. Faciebat hactenus verisimilem hanc Velleii malignitatem, odium Tiberii in Germanicum, adulatio Velleii perpetua in Tiberium. Verum postquam rem accuratius expendi, nullo modo credo, imo palam nego, Velleium ita scripsisse. Non erat ex ratione status & arcanorum domus; non erat ex vsu aulici assentatoris, non denique ad cetera, quæ de Germanico tradit, quadrabat. Nonne Tiberius odium istud in Germanicum, omni specie benevolentiæ & honoris velabat & in publicum obtegebat? nonne prodidisset incaute & temere Velleius, si sub principe hoc, publice Germanicum vituperare ausus esset? Quid? An Augusti Nepoti, Tiberii adoptiuo publice conuitium fieri, passura erat maiestas domus? Vide quid infra de Germanico Velleius cap. 129, 2 & 3? Hæc & similia facile mihi persuadent, vt prorsus credam

Velle-

Velleium, *gnaue*, ſcripſiſſe, aut aliquid tale, quo comparatio fieret induſtriæ ab vtroque, Druſo & Germanico, nauatæ.

Priſca antiquaque ſeueritate vſus, ancipitia ſibi tam re quam exemplo pernicioſa) Locus fœde corruptus. In exemplari erat *: ſibi timere quam exemplo. Gruterus* bene *vſus* in *auſus* mutat, ſed quod delere cupit vocem *pernicioſa* cum *copula* ſequente, eam medicinam prudentiſſimus quiſque nimis ſtrenuam dixerit. Quid ſi legamus? *auſus ancipitia ſibi tam re quam exemplo periculoſa, his ipſis militum glad.* Certe periculoſum ipſi Druſo fuiſſe, ipſa res & Velleii quæ ſequuntur verba inſinuant. de exempli periculo cuiuis cogitare promtum eſt. Exiſtimem etiam *pernicioſa exemplo* durius dici & vehementius de Druſo, quam Velleii mos & inſtitutum huius loci patitur, cum & alias erga domum principis vbiq; reuerentia vbique cautione vtatur. *Voßius* ita emendauit: *auſus ancipitia, ſibi tam è re, quam exemplo pernicioſa.*

2, 126, 1. *Non imperio, ſed religione, non appellauit eum ſed fecit Deum*) Tali figura *Plinius* ad Traianum de Nerua *Paneg. c.* 11. *ſed licet illum aris, puluinaribus, flamine colas, non alio magis tamen Deum & facis & probas, quam quod ipſe talis es. In principe enim, qui electo ſucceſſore fato conceßit, vna itemque certißima diuinitatis fides eſt, bonus ſucceſſor.* Idem qui de conſecratione Auguſti à Tiberio facta aliter iudicat: *Dicauit cælo Tiberius Auguſtum, ſed vt maieſtatis crimen induceret.*

2, 126, 2 *Reuocata in forum fides &c.*) Egregia deſcriptio boni Imperii feliciſque ſtatus. quamquam quod de magiſtratuũ auctoritate & Senatus maieſtate dicitur, ad ſimulacra libertatis pertinet, callide à Tiberio obiecta, quod aliunde conſtat.

2, 126, 5. *Nam facere recte ciues ſuos, Prin-*

ceps optimus faciendo docet) Grauiter & copiose tractauit hunc locum *Lipsius* 2 *Polit. c.* 9 *toto*: & fusius etiam, in vtramque partem, *Petrus Faber Semestr.* 3, 20.

2, 127, 1. *Raro eminentes viri non magnis adiutoribus ad gubernandam fortunam suam vsi sunt*) Eximium de adiutoribus Principum & amicis locum, plerique in hoc argumento Politici laudant. Rursum accurate, vt solet, de re tota *Lipsius* 3 *Polit.* 2 & 3. Scilicet *Optimos gubernatores iuuat & remigum manus.* Siue vt *Symmachus* explicat *lib.* 4 *ep.* 7: *Summis imperii moderatoribus pia & decora suadentes, instrumenta sunt boni sæculi. Est quidem Rectori nostro diuini fontis ingenium & omnium virtutum promta natura. Sed vt imagine vti liceat, optimos gubernatores haud mediocriter etiam remigum manus iuuat.* Illud hic obseruandum est, Velleio sermonem esse non de Amicis Principum & consiliariis vniuersim. sed de *eximiis illis Adiutoribus rerum*, qualem plerumque *vnum* tantum, raro *duos* (periculose enim pluribus id fastigium indulgetur) Magni Principes sibi admouent intima amicitia, proximosque suæ magnitudini esse iubent: sicut exemplis *Agrippæ, Seianique* constat. Non patiuntur grauiora negotia conscientiam plurium, neque gubernari feliciter aliqua, nisi vnius opera possunt: ergo deligendus aliquis, cui Princeps, qui non omnia solus sua scientia actuque potest complecti, summa negotia committere possit. Porro, hunc fidum facere sibi tum aliis rebus, tum multa honorificentia necesse est. Hinc fastigium illud à Principis maiestate proximum; in quod non tam voto Principis, quam necessitate, vt innuimus, reponitur, quisquis reponitur. Quare multa passim suggeruntur Principibus arcana aduersus maximarum rerum gubernatores, quos & colere coguntur,

guntur, & plerumque non possunt non timere. Sed quid? plura illi ipsi arcana in promtu habent aduersus Principem. *Vnum autem idque certissimum arcanum ad reip. salutem est Principis ipsius peritia & prudentia.* ne scilicet totus aliunde pendeat, sed omnia ab ipso pendeant. Vide *Comin. lib.* 3.

Et maxime ab eo, Statilio Tauro) *Lipsius* existimat legendum: *Maximo Fabio. Acidalius* traiicit: *Agrippa maxime, & ab eo St. T.*

2, 127, 2 *Neque in paruo paucitas ministeria deficit*) Ingenue fateor, nihil idoneum & Velleio dignum hinc me elicere posse. Forte ab inepta & marginali glossa in textum immigrarunt.

2, 127, 4 *Virum seueritatis lætissimæ, hilaritatis priscæ, actu otiosis simillimum*) Diximus supra de *Pisone* 2, 98, 3. vide *Lips.* 3 *polit.* 11, 7. Ceterum veriora de Seiano, cui Velleius adulatur, *Tacitus* habet 4 A. 1 *tot.*

2, 128, 1. *T. Coruncanium, hominem nouum &c.*) Totum hoc caput destinauit Velleius obseruationi politicæ de HOMINIBVS NOVIS. Quare & nobis licebit hic lineamenta maioris dissertationis, quam alii occasioni destinauimus, ducere. *Nouus* apud Romanos appellabatur, teste *Asconio Pediano*, *qui primus in sua gente honores adeptus erat.* καλοῦσι δ' οὕτω τοὺς ἀφ' ἑαυτῶν ἀλλ' οὐ τῶν προγόνων γνωρίμους, inquit *Appianus* 2 ἐμφυλ. p. 428. *Ita vocant, qui ex se ac sua virtute, non maiorum gloria inclaruere. Nam qui maiorū suorum habuerunt imagines, ii* Nobiles; *qui, suas tantū, ii* Noui; *qui nec maiorū, nec suas,* Ignobiles *appellati sunt.* Ita vt nouitas interecta veluti esset inter Nobilitatē & Ignobilitatem. *Sigon. de antiq. iur. ciu. Rom.* 2, 20. vnde descripsit pleraq; *Rosinus* 1, 19. *Poterit igitur aliquis homo nouus existere omni virtute cumulatus, qui ita versetur in studio dignitatis, vt inter*

omnes excellat: quia tamen in ea gente primus numeratur, non erit in numero Nobilium. Postquam vero in ea familia, multi exemplis illius incitati, in gloriæ cupiditatem incubuerint, tum demum elucere incipiet, illud nobilitatis eximiæ lumen. Primus itaque generosus & magnificus, non tamen nobilis appellari solet: Vt sit ea omnino differentia, quæ est apud Græcos inter εὐγενῆ *&* γενναῖον. *Hoc enim ad animi præstantiam refertur: illud ad familiæ celebritatem. Vt igitur vnum non numerum, sed numeri principium dicimus: sic illum primum, omnibus summis honoribus dignissimum, non nobilem sed auctorem & principem nobilitatis existimamus.* Sunt hæc verba *Hieronymi Osorii Lusitani* ex *lib.* 1 *de Nobilitate ciuili.* Addendus est locus *Plutarchi* ex *Catone Maiore*, cuius principio inquit: εἰωθότων δὲ τῶν Ῥωμαίων τοὺς ἀπὸ γένους μὲν δόξαν οὐκ ἔχοντας, ἀρχομένους δὲ γνωρίζεσθαι δι' αὐτῶν, καινοὺς προσαγορεύειν ἀνθρώπους, ὥσπερ καὶ τὸν Κάτωνα προσηγόρευον, αὐτὸς ἔλεγε καινὸς εἶναι πρὸς ἀρχὴν καὶ δόξαν, ἔργοις δὲ προγόνων καὶ ἀρεταῖς, παμπάλαιος. *Cum Romani solerent eos, qui generis quidem claritudine destituti, per se tamen ipsos incipiebant clarescere,* Nouos *appellare* homines, *sicut & Catonem appellarunt: respondit Cato, esse se quidem nouum ad magistratus & honores, factis autem virtutibusque maiorum, peruetustum.* Non obseruabimus nunc ex hoc & pluribus scriptorum locis, latiorem vocabuli ambitum, quam vt vbique ad Magistratus curules restringi possit: dispiciemus suo loco. Vtri præstantiores sint habendi, Novi homines, qui ex se inclaruere, aut qui vetustæ nobilitatis stimulis & instrumento vsi claritudinem conseruauere, non adeo est diiudicatu facile. vide de illa quæstione (nos enim properamus) *Osorium lib.* 2 *de Nob. Ciu.* Illud in hoc transcursu notamus: *Hominis Noui significatum aliquando*

ex par-

ex parte referri, siue accuratius loquendo, *sæpe coniungi cum peregrinitate*. Ipse *Velleius Noster*, *M. Catonem nouum etiam Tusculo* (siue, & *a Tusculo*, sicut *Lipsius legit*) vocat; quanquam indicetur mox distinctio voce *Inquilini*, neque nos latet Ciceronis cautio, *peregrinum* vocari, qui è municipio est, non ferentis in *orat. pro Sulla c.* 7 & 8: sed nos liberius vtimur ea appellatione. Apud *Auctorem de caussis corruptæ eloquentiæ cap.* 7 Aper; *Equidem*, inquit, *vt de me ipse fatear, non eum diem lætiorem egi, quo mihi latus clauus oblatus est, vel quo homo nouus & in ciuitate minime fauorabili natus, quæsturam aut tribunatum, aut præturam accepi*: &c. In *Tacito* leges; A. 55, 3: *simul noui homines e municipiis & coloniis atque etiam prouinciis, in senatum crebro assumti domesticam parcimoniam intulerunt*. Verũ præcidenda est confusioni occasio, vbi ad grauiores quæstiones fuerit peruentum. Neque plane idem est, quærere de committendis dignitatibus *peregrino*, & *nouo homini*. Ita contra peregrinorũ honores in certis rebus locisque aliqua pronuntiata inuenies, quæ de homine nouo non statim valeant. Exempli gratia, communis Regnorum lex censetur, vt per proceres indigenas vnumquodque gubernetur, & in fide se eorum acquiescere Rex ostendat: si præficiat peregrinos, detrectare fere obsequium ciues solent; ac, si fidem in dubium vocet, ad perfidiam irritantur. *Sereniss. IACOB. Rex Britann. in* δωρ. βασιλ. *lib.* 2 & *Io. Meurs. Hist. Danic. lib.* 1. Hæc ratio de homine nouo sed indigena minus procederet. Neque tamen interim nesciri debet, semper in hoc argumento (de dignitate sc. peregrinis committenda) ad nouitatem rediri, dum quodammodo nouus est ibi quisque, vbi peregrinus est: sed qui nouus, ideo non peregrinus censeri debet. Ceterum in nobilissima illa quæstione, *an summa*

dignitates etiam nouis hominibus mandandæ sint, pro affirmantium sententia rationes vere pragmaticas adfert Noster: à *Romanorum antiquo perpetuoque exemplo*; à *ratione ipsa & nobilitatis natura*, quæ id *esse nobilissimum, quod est optimum* vltro euincit, adeoque *in cuius animo virtus insit, ei plurimum esse tribuendum* ostendit (quæ argumenta in conferendis dignitatibus vt palmaria laudat *Lips. 3 Polit. 10*) subest & *euentus felicitas* ac *vtilitas publica*, quam ingentem *Coruncanio*, *Catoni*, *Mummio*, *Ciceroni* Romani debent; adeo vt vbique hi tales viri nemorentur, veluti diuinitus publicæ salutis custodes & auctores dati. vide *Tac.* 11 A. 24. Idem licebit in ceteris Rebusp. & Imperiis obseruare. Quod cum dicimus, non excludimus *artes Aristocraticas*, quibus in optimatum rep. *nouorum hominum ambitioni in petendis honoribus obuiam iri aliquando oportuit*, quales *Liuius* tangit 7, 15 f. neque *cautionem sceptris & gentibus & temporibus nonnullis necessariam*, quam & tempora *Arcadii ac Honorii Impp.* nobis commendant (quorum κακοξίαν non parum auxere *noui homines*, exclusis Nobilibus, rebus summis admoti) & prudentissimi cuiusque admonitio suppeditat. Hinc est quod è ratione status Gallici, qualis tum fuit, existimat fore *Claudius Sesellius in aureo de Rep. Gall. libello*, *si dignitates nobilibus potius quam aliis tribuantur*: quod inter vltima mandata *Regis Daniæ Ioannis ad fil. Christian.* illud reperitur, vt is legat sibi homines, quos in honore, habeat, indigenas non extraneos, *neque Nouos, sed prosapiæ vetustæ*, apud *Meurs. Hist. Dan. lib.* 2. Dummodo illa conditio adiiciatur, quam non omisit *Sesellius*, *si Nobiles illi digni talibus honoribus & rebus agendis pares.* Hæc & similia non negligenda arbitramur, cum aduersus *inuidiam Nobilium* disputamus, qua plerumque in-

noxiam

noxiam & propter virtutem fauore ac honore dignissimam nouitatem vexant. in quos vere & seuere dixit *Marius* apud *Sallust. bell. Iugurth.* 85. Ceterum, quæ *de Vtilitate Nouitatis huius in Rep. consilijsque totius eius negotii in Imperio*, afferri poterant ac disquiri, in alium locum, quod supra diximus, seruata sunto.

2, 128, 2 *Qui M. Tullio tantum tribuere*) Rectissime hunc reposuit *Lipsius*, cum esset *M. Fuluio*.

2, 129, 1. *Qua ille prudentia Rhascupolim interemtorem fratris sui filii Cotys*) Copiose *Tacitus* 2 A. 64 *& seqq.* Meminit *Suetonius Tib.* 37.

2, 129, 2 *Vt senator & iudex, non vt princeps, & caussas pressius audit*) *Lipsius* emendat; *etiam caussas præsens audit*: adducto firmandæ lectioni loco *Suetonii* ex *Tib.* 33: *magistratibus pro tribunali cognoscentibus plerumq; se offerebat consiliarium, assidebatque iuxtim vel ex aduerso in parte primori &c*: *Tacitus* 1 A. 75, 1: *Nec patrum cognitionibus satiatus, iudiciis adsidebat in cornu tribunalis, ne prætorem curuli depelleret, multaque eo coram, aduersus ambitum & potentium preces constituta.* Verum hæc non sine arcano dominationis à Tiberio facta, subtiliter & profunda ἐπιχείρησις innuit: *sed dum veritati consulitur, libertas corrumpebatur.* Quæ verba, vt breuiter hoc dicam, ita accipio: *Iustitiæ quidem consulebatur hac ratione & innocentiæ, vt ex re & vero, non ex affectu & gratia iudicia dispensarentur*; sed *eadem opera & sub hoc tuendæ iustitiæ schemate Tiberius munia iudicum, vt alia pleraque, in se trahebat, nullaq; iudiciis libertas, & iudicibus auctoritas manebat.*

Libonem ingratum & noua molientem oppressit) Adi *Tacitum* 2 A. 27 *& seqq.* qui remoto velo rem edisseret. *Dio* 57 *p.* 702.

2, 129, 3 *Senatorumque censum cum id senatu auctore facere potuit q. l. expleuit*) Rursum apertius aget *Tacitus* 2 A. 37 *&* 38.

Quanto cum honore Germanicum l. in tr. misit prou.) Imo, quanta cum calliditate *amoliri iuuenem specie honoris statuit*, *Tac.* 2 A. 42.

2, 129, 4 *Maroboduum inhær. occupati regni finib.*) *Tacitus* late 2 A. 62 & *seqq.* *Sueton. Tib.* 37: *Reges quosdam per blanditias atque promissa extractos ad se non remisit : Vt Maroboduum Germanum* &c. *Hist. misc.* 7, 22.

2, 129, 5. *Quantæ molis bell. principe Galliarum ciente Sacrouiro Floroque Iulio*) *Tacit.* 3 A. 40 *& seqq.*

bellum Africum) *Tac.* 2 A. 52 *& seqq.* & 3, 20 *&c.*

2, 130, 1. *Quanta suo suorumque nomine extruxit opera*) *Tacitus* 6 A. 45, 3: *Ne publice quidem nisi duo opera struxit, templum Augusto, & scenam Pompeiani theatri: eaque perfecta contemtu ambitionis, an per senectutem, haud dedicauit.* *Sueton. Tib.* 47: *Princeps neque opera Vlla magnifica fecit. Nam & quæ sola susceperat, Augusti templum, restitutionemque Pompeiani theatri, imperfecta post tot annos reliquit.* & *Calig.* 21: *Opera sub Tiberio semiperfecta, templum Augusti theatrumq; Pompeii absoluit.*

2, 130, 2. *incenso monte cælio*) *Sueton. Tib.* 48.

2, 130, 3 *Apud aures Deorum de his queri*) *Lipsius* mallet, *de Diis queri*. *Panegyricis figuris* hic vtitur Velleius.

2, 130, 4 *Quod ex nuru, ex nepote dolere &c*) *Sueton.* Tib. 53 & 54.

2, 130, 5 *Cuius potentiam nemo sensit, nisi aut leuatione periculi aut accessione dignitatis*) Recte

Recte hoc exemplum proponit aulicis *Gruterus*. quamquam de Liuia adulatorie *Velleius*.

2, 131. *Hunc statum, hanc pacem, eique functo*) *Lipsius* interponit post *hanc pacem, hunc principem*, vt sequentia cohæreant. *Eruditissimus Gerardus Vossius* sollerter coniicit legendum: *hunc statum, hunc Principem*: quæ vox per compendium scripta forte ansam dederit τῷ *pacem*.

Hic *Notarum Nostrarum* finis esto: Nam cetera, quæ huc pertinere videantur, instituti ratione in *Indice* requirenda meminerit Lector Beneuolus.

Sequitur Dissertatio, *cuius supra ad 2, 58, 4 mentio facta est*.

THRASYBULUS PACIFICATOR, *siue* DE AMNESTIA.

Cornel. Nep. in Thrasyb. 3, 2.

Præclarum hoc quoque Thrasybuli, quod reconciliata pace, cum plurimum in ciuitate posset, legem tulit: ne quis ante actarum rerum accusaretur neue multaretur: eamque illi LEGEM OBLIVIONIS *appellarunt*.

CAP.

CAP. I.

De Origine, inuento, auctore Ἀμνηστίας, Expositio Historica.



Thenarum vrbem, veluti sidus & ornamentum Græciæ, tum omnis humani inuenti elegantia, tum præcipue litterarum & armorum studium longe supra ceterarum ciuitatium populos celebrauit.

2. Adfuit enim industriæ fortuna: & quorum priuatim, pro suo statu, opera; inter socios, pro re communi, auxilia; semper eminere consueuerant: eorum opes, ad quendam Græciæ principatum, denique feliciter sunt enisæ.

3. Sed nimis lubrice statur in summo; neque potior ad infelicitatem caussa ducit, quam præcipua felicitas. Præter enim humani moris animique ad ferendas res secundas imbelliam, nunquam paratur magna potentia, quin eadem opera fragilitatis & casus semina ipsis incrementis misceantur: dum necesse est multos offendi, per quorum diminutionem, aut metum, aut certe inuidiam, crescenti surgendum est.

4. Hinc

4. Hinc æmulatio & ſuperandi contentio: malum per ſe inquietum minaxque. & pro dominatione, vt omnes affectus, flagrantius. Hæc exciuit Lacedæmoniorum acres animos: quibus indignum videbatur, anteſtare quemquam fortuna, quos nemo ferocia & ſpiritu præmineret.

5. Ergo inter duas ciuitates alternari primo, mox ex æquo ſuſpendi, Græciæ robur & fata ſunt cœpta: ab his opes & ſtudia reliquarum *gentium* Græcarum pendebant. Neque latuit prudentes, magnum aliquid deliberare Fortunam: ſicut cum duo ferocia animalia, ſtatu ad pugnandum, ex aduerſo. compoſito, mutua ſed minaci quiete expectationem ſpectantium aduertunt, quantas & quam diu collectura iras ſit feritas: quæ vbi ſemel poſtea ſe effuderit, non bellum modo inter depugnantes exardeſcit, ſed vicinis quoque & obuiis certa ſtrages venit.

6. Cernitur etiam ſecretior fati hac in re cura. Semper enim Deus magno populo aut principi, parem excitare ſolet ac velut opponere: ne licentia, quæ virium comes eſt, euagetur inſolentius, ſed mutuo metu contineatur. Sic tum Athenienſium ferociam, tanquam obex Sparta-

næ potentiæ temperabat coërcebatque.

7. Licet autem obseruare, in hoc ipso statu, ingenium humanæ ambitionis: quam ipsa æqualitatis fiducia, in spem inæqualitatis & eminentiæ paulatim exacuit. Remoto igitur externi hostis metu, quem toties Græci in Persiam suam relegauerant, ducibus facti Atheniensibus & Spartanis: ipsi inter se victores committi cœpere, orto à Lacedæmoniis initio, qui, rupto veluti aggere rationis & modestiæ, alienam gloriam, suum dedecus interpretantes, multumque maritimo Atheniensium principatui inuidentes, explere cupiditatem suam ferro & vi, cum jure non possent, destinauerant.

8. *Atque ita duo potentißimi Græciæ populi, institutis Solonis, & Lycurgi legibus, pares, ex æmulatione virium in bellum ruebant.* Justin. 3, 2, 4. implicita & in partes tracta vniuersa Græcia: cuius ciuitatibus nihil iam periculosius quiete, nihil bello tutius videbatur. Quippe in potentium conflictu, frustra inualidi ac in medio positi quiescunt: & qui alterutrius partis pericula detrectant, damnis vtriusque inuoluuntur. Nisi si quos locus & fatum, obterenti cuncta ciuilium bellorum rotæ eripit.

9. Ex-

9. Externas quoque vires, vt fit, commouerat magnitudo conſilii Græciæ fatalis. Perſarum, Italorum, Siculorum auxiliis ſe Spartani ſuccinxerant: Athenienſes Thraciam & maritima Aſiæ exciuerant, propriis viribus haud paulo amplius conſiſi.

10. Dicta quidem & palam agitata ſermonibus multo alia, ſed certatum vtrinque de dominatione eſt, ſicut modo innuimus: nec *Thucydides* tacuit, Athenienſis potentiæ metum, Spartanis has furias immiſiſſe; per quos concitatum eſt bellum illud, quod Peloponneſiacum appellatum, πόλεμον ἀξιολογώτατον τῶν προγεγενημένων, *iis quæ ante geſta ſunt memorabilius bellum*, idem Hiſtoricus (l. 1. pr.) Siculus autem Diodorus μακρότατον τῶν ἱστορημένων ὧν ἴσμεν, *eorum quæ hiſtoriis celebrata nouimus diuturniſsimum* vocat (l. 12.) Viginti enim & ſeptem, vt Diodorus & Thucyd. putant; vt Xenophon, XXVIII. annis deſæuiit. è quibus XXII complexus eſt Thucydides libris VIII, vel vt alii diſpartiuere, IX.

11. Caſtigauerat autem Spartanorum audaciam Fortuna ab initio, eoſque ad fœderis pangendi neceſſitatem adegerat. Sed, vt ſciretur publice, cuncta ipſis ambitione

&

& potentiæ cupidine viliora esse, rupto turpissime tricennali fœdere, latam bello, quod dixi, portam aperuere. Quod varia euentuum ratione ac consiliorum, modó strenue administratum, modo desedit alicubi, aut diuertit: donec, post interpositam tam diuturnam moram, semel ingruit fatalis terminus, alterumque ex oculis Græciæ obscurauit.

12. Dignum est, quod in omnium animis versetur & oculis exemplum. Tantam Athenarum potentiam, & pares tam diuturno bello opes, non prœlium aut virtus hostium, sed casus inopinatus uno, vt sic dicam, momento subuertit. Lysander reportauit famam eius felicitatis. *Quis neget eximiam quoque gloriam sæpius fortunæ quam virtutis esse beneficium?* inquit *Curtius* 8, 10, 18. *Non enim virtute exercitus Lysandri, sed immodestia factum est aduersariorum: qui quod dicto audientes imperatoribus suis non erant, dispalati in agris, relictis nauibus, in hostium venerunt potestatem. quo facto Athenienses se Lacedæmoniis dediderunt.* quod rotunde & breuiter *Nepos* narrat in Lysand. 1, 2.

13. Fractis enim apud Ægospotamos Atheniensium rebus, mox arcem & caput belli Athenas arctissima obsidio vrget.

Hanc

Hanc deditio excipit. nemo quærat, quibus conditionibus aut legibus? Victis & in extremas angustias redactis, nullam nisi sub seruitutis pactione, pacem concedit, quicunque dominationis caussa bellauit.

14. Jubebantur longa Pyræei brachia murosque destruere: naues quas haberent tradere; triginta viris remp. permittere, alio quam solebat, gubernationis statu administrandam. Priora duo, quid spectabant aliud, quam vt abscissis artubus corpus euerteretur ipsum? reip. ademtio, spiritus interclusionem & animæ quodammodo notat.

15. Solenne erat Lacedæmoniis & inter dominationis arcana vsurpatum, dissoluere popularem ciuitatium statum, & alibi Decarchias, alibi Triacontarchias, instituere. *Non vt ciuitatibus hi magistratus legitime cum imperio præessent: sed vt oppida vi retinere possent.* οὐχ ὅπως νομίμως ἄρχωσιν, ἀλλ᾽ ὅπως δύνωνται βίᾳ κατέχειν τὰς πόλεις: quod recte iis obiicit Autocles apud *Xenophontem* (.l. 6. hist. Græc. med.) Nam qui in ceteros dominatum quærunt, illorum instituto tyrannides siue tyrannicæ formæ imperii, quam respublicæ, potius conducunt. Vide, quomodo cetera quoque Spartanorum facino-

ra ibi Vir prudens coarguat, veramque & vnicam hypothesin eorum, siue rationem status detegat: *Ius regnandi caussa violandum, injusteq; omnia cupienda, quibus potentia quæratur & in alios imperium.*

16. *Diodorus* autor est, inter ipsos Athenienses fuisse, qui Oligarchian optarent, eosque Lysandrum permouisse, vt *Triginta viros* iuberet à populo deligi, quibus summa rerum permitteretur. Sed hi haud dubie proditionem magis patriæ quam salutem spectabant: aut certe potestati imminentes ipsi, Spartanorum consiliis supparasitabantur.

17. Periculosa est omnis reip. mutatio; nunquam autem periculosior, quam tempore & rebus turbatis. vbi & aliena dominatio ingruit, & priuatim sibi quisque tendit. Publica enim facies, veluti vulneribus confusa, à plerisque tum non agnoscitur; prudentes, qui ad eam animum & consilia flectunt, præ strepitu armorum non exaudiuntur. Sicut tum Therameni accidit: qui frustra libertatis patriæ instituta reuocabat, frustra Lacedæmoniorum pacta & promissa inuocabat, Lysandro calumnias & minas opponente.

18. Quamuis vero, vt nec iniustissimus quis-

quisque tyrannorum, famam boni regiminis, inter initia affectâre omittit, quædam à triginta viris præclare constituebantur, tamen nimis cito erupit in omne iniuriarum genus male dissimulata sæuitia. Cui ante omnia robur & securitas comparanda erat. Tyrannidi enim, omne in armis presidium. Quamobrem *tria millia sibi satellitum statuunt, quantum ex tot cladibus prope nec ciuium superfuerat: & quasi paruus hic ad continendam ciuitatem exercitus esset, septingentos milites à victoribus accipiunt.* Iustin. 5, 8, 10. [paulo aliter ista memorantem adi *Xenoph.* hist. Græc. l. 2.]

19. Hoc terrore armati, strenue tendunt in destinata. quorum caput erat, *tollere è medio, quicunque tyrannidi inimici, aut populari statui essent amici.* Tales porro existimabantur, qui *gratia, virtute, opibus eminerent.* Διὸ καὶ τὴν παραίρεσιν ποιοῦνται τῶν ὅπλων. κακοῦσι τὸν ὄχλον, καὶ ἐκ τοῦ ἄστεος ἀπελαύνουσι καὶ διοικίζουσι. Quibus enim potius verbis dicam, quam quæ Aristoteles vsurpauit, (5. polit. 10) cum oligarchiæ mala recensuit & cum vnius tyrannide comparauit. *Adimi ciuibus arma curant: vexant multitudinem, vrbe pellunt ac relegant.* Hæc quotidie tum fiebant: imbuebaturq; subinde ad maiorem licen-

tiam tyrannorum animus. quæ mox secuta est.

20. Nam obstabat ab initio furentibus, Theramenes, eximius patriæ libertatis iurisque fautor, & per has virtutes ceterorum odia meritus. Aduersus hunc conspirant XXIX collegæ, cogunt senatum, accusant Theramenem, quasi solicitaret statum præsentem, ac res nouas moliretur; denique vt damnaretur, postulant. Plane, sicut in fabulis lupus concordiam cum ouibus, si canes remoueant, paciscitur. Postquam ergo non impetrant SCum, ad vim & arma conuersi, clarissimi viri exitio securitati suæ consulunt, imo licentiæ execrabili, qua ciuitatem deinceps, omni pudore & metu remoto, funestauere.

21. Opulenti ante omnes, confictis varie criminibus, veluti strage oppressi: inter quos Nicerati claritudo virtusque totius ciuitatis lacrymas expressit. Verborum quoque, pro patria & publico, libertas *Autolyco* exitium maturauit. Vt nulla iam spes diuiti, egregio, ingenuo cuiquam, nisi in exilio superesset. quod ultro amplexi plerique, Athenis plus dimidia ciuium parte depletis, Argos Thebasque agminatim impleuerant.

22. Nam his duabus ciuitatibus, eo tempore ſolis aduerſus ingruentem Spartanorum dominatum ſatis conſtantiæ ſupererat ac conſilii. Ceteras exterruerat, miſerorumque auxilio alienauerat immitiſſimum à Lacedæmone decretum, quo comprehendi libere exules Attici reducique ad tyrannos jubebantur. Tanta erat tamque ominoſe crudelis Spartana ambitio: vt ruinis cognatæ vrbis vltro lætarentur.

23. Inter exules, Thebis agebat Thraſybulus: hunc fortuna afflictæ vrbis, in vltionem affligentium inuſitato animi robore excitauit. Igitur & paucis & ſtatim, triginta tyrannorum opes labefactauit: occupata primum Phyle, mox Munychia, apud quam cum tyrannorum principes cecidiſſent, victos ad communem libertatem concordiamque vocans Thraſybulus effecit, vt in vrbem reuerſi, tyrannos, magiſtratu abrogato, Eleuſinen demigrare iuberent, decemuirosque rebus pacandis *reſtituendæque paci* conſtituerent.

24. Hi eandem dominationis viam & flagitia ingreſſi, non patiebantur tam præſenti remedio, res intricatas explicari. Igitur Thraſybuli copiæ, quas non parum in-

terim æquitas caussæ & successus auxerat, in Piræeo; ceteri in vrbe, Spartanorum auxiliis, quæ Lysander recentia adduxerat, freti, velut è binis castris dissidebant bellabantque.

25. Donec Pausanias, Lysandro occultæ factionis stimulis discors, & tum, ex occasione, eius ferociam mitioris prudentiæ exemplo suggillandam ratus, pacis faciendæ auctor extitit: decem tyrannis eiectis redditaque Atheniensibus republica. Quos & Thrasybulus oratione monitisque ad capessendum meliorem statum animauit.

26. Suberant tamen adhuc irarum semina; multique tyrannos in exilium secuti, non defuere denuo bellum inceptantibus. Quod vt citra ciuicum sanguinem staret, aduersus omnis diuini humanique iuris temeratores, insidiæ placuerunt. Euocati enim ad colloquium tyranni, *vt pacis victimæ*, quod Justinus recte iudicat, trucidantur: ceteris per amicos & necessarios ad reditum & pacem inuitatis.

27. Ceterum concussa tot tumultibus ciuitas, atque irritata vtrinque tot adactis alte vulneribus pectora, turbatæque studiis partium & temporis consternatione voluntates, non videbantur facile in vnum corpus

corpus & robur coaleſcere poſſe. Neque vinculum vulgare ſuffecturum erat. quippe, quæ male obligantur vulnera, ſubita reſciſſione geminant periculum. Ergo excogitatum eſt, nobile, firmum, generoſum, ciuile, ſolenne remedium: *abolitione omnium ante actorum legis auctoritate ſancita, iuramentique religione confirmata.*

28. Jnuenti tam præclari gloriam alii *Athenienſibus*, nullius auctoris expreſſo nomine deferunt: alii *Thraſybuli* meritiſſimum caput hac laurea decorant. Faciunt hoc, *Valer. Max.* 4, 1. ext. 41. *Pauſanias in Atticis. Corn. Nep. Thraſyb,* 3, 2. quem locum in limine huius diſſertationis præſcripſimus. De cetero, *Athenienſium vetus exemplum* à Cicerone Phil. 1, 1. (adde Dion. 44. in orat. Cic. & Plut. Cic,) à Velleio, *decreti Athenienſium celeberrimi exemplum*, 2, 58. à Vopiſco in Aurelian, 39, *Amneſtia de exemplo Athenienſium decreta* memoratur. Habemus ergo rei ſalubertimæ & ſæpe poſtea vſurpatæ apud populos, originem & inuentorem: Athenas, *ciuitatem optimam & antiquiſſimam*, ſicut à *Cicerone* ap. Dion. vocatur; & Thraſybulum, *virum inter eos, quos & ante & poſtea habuerunt Athenæ, per omnia optimum.* quo elogio eum *Pauſanias* mactat.

29. Atque hæc ſunt, quæ præmittenda cenſuimus noſtræ tractationi: partim, quia non intelligitur accurate natura & indoles remedii, niſi morbi cognitio prægreſſa, quam vel tempeſtiuam vel neceſſarium id fuerit, oſtendat; partim quia nec nominis nec rei explicatio (ad quam nunc accedimus) ſatis expedita & clara ſine hiſtoriæ huius luce, futura erat.

CAP. II.

Nomen, Deſcriptio, Vtilitas ἈΜΝΗΣΤΊΑΣ.

Ἀμνηστίαν vocat hoc plebiſcitum *Val. Max.* 4, 1: *Thraſybulus plebiſcitum, interpoſuit, ne qua præteritarum rerum mentio fieret: hæc obliuio quam Athenienſes* ἀμνηστίαν vocant, &c. Eandem vocem adhibet *Plutarch. in* Cic. vt & in *præcept. de ger. rep.* p. 814, *Appian. l.* 2. *bell. ciu.* retinetque *Vopiſc. Aurelian.* 39. *Tullius* quoque *Phil.* 1. c. 1. *Græcum etiam verbum vſurpaui*, inquit, *quo tum in ſedandis diſcordiis erat vſa ciuitas illa.* Hoc *Græcum verbum* interpretes de ἀμνηστίᾳ (quæ tamen vox minime fuit interim in Ciceronis textum inſercienda) acceperunt, quorum ſententia firmari videtur locis modo adductis, cum præſertim Vopiſcus *amneſtiæ* vocabulo vſus,

lo vſus,

lo vſus, Ciceronis Philippicas mox laudet: & Appianus, Ciceronem ἐγκώμιον τῆς ἀμνηστίας diſſeruiſſe dicat. At *Muretus var. lect.* l. 2. c. 15. & ex eo *Lambin.* ad *Phil. Cic.* non ἀμνηστίας vocabulum, ſed τὸ, μὴ μνησικακεῖν indicaſſe ea nota Ciceronem contendit: Adductis pro ſe *Xenoph. l. 2. Græç. rer. f. Æſchin. orat. de cor. Ariſtoph.* & præſertim *Andocidis orat. de myſter.* vbi iuramenti formula effertur: μὴ μνησικακήσω. His coniungas licet Dion. l. 44. vbi τὸ, μὴ ἐγκαλέσειν μήτε μνησικακήσειν vſurpatur.

2. *Manutius in comment. Philipp.* diſtinguendum exiſtimat, nomen *rei*, & *decreti ſuper re facti vocabulum*. Τὸ, μὴ μνησικακεῖν de conſilio Thraſybuli & expreſſione ipſius obliuionis iniuriarum, capiendum eſſe: ἀμνηστίαν autem legis inſuper de illa obliuione latæ notionem complecti. Ad cuius mentem apprimere faciunt, *Plutarchi* Ψήφισμα ἀμνηστίας, & Nepotis *lex obliuionis*. Vſurum autem fuiſſe Ciceronem *hoc* potius, quam *illo* nomine, quippe qui ſuaderet, *decretum* diſcordiis abolendis eſſe faciendum, collatione locorum quorum antea mentio facta; vt &, reſpectu commoditatis in efferendo (quod enim, Latine circumlocutionem requirebat, felicitate

vnius Greci vocabuli potius quam plurium redditurus existimari potest) non absurde credidit vir doctus. Adde *Beroald. Syllog.* 2. *annot. in Cic. tom.* 1. *thes. Crit.* p. 228. *Cal. in Philip. cic.* 1, *Erasm.* chil. 2, 17 94. *Ætod. decret. l.* 6. *tit.* 7. *&c.*

3. Nos in medium relinquentes, qua voce potissimum vsus sit Cicero (sunt enim ex vtraque parte rationes opinandi paribus ferme momentis subnixæ) rem ipsam, non alio commodius, quam Αμνηςίας nomine, quod & vulgo iam obtinuit, signandam, intuemur, cuius hanc descriptionem damus: AMNESTIA EST DECRETVM siue LEX, QVA AD EXPEDIENDA TOLLENDAQVE, INTER PARTES DISCORDANTES, FIRMÆ PACIS IMPEDIMENTA, ANTEACTORVM ABOLITIO PVBLICA, SOLENNIS, JVRATA, COMMVNI VTRINQVE CONSENSU SANCITUR. Siue: *Amnestia ex lex, qua nati ex discordiis dolores iræque, sublato, solenni partium conuentione, vindictæ nocendique studio, abolentur.*

4. Dicitur apud Græcos à *non-recordando* siue *obliuiscendo.* Est enim ἄμνης© *obliuioni traditus: cuius nulla superest memoria.*

Hinc

Hinc ἀμνηστία, διὰ τὸ μηδεμίαν εἶναι τῶν πεπραγμένων μνήμην, *eo quod nulla rerum superiorum memoria superesse debeat*; sicut ex *Herodian. l. 8. c. 8.* diceremus: siue vt ex *Cicerone phil.* 1, 1. quod *omnis memoria discordiarum obliuione sempiterna delenda sit.* Vnde *Iustinus*, *discordiarum obliuionem*; *Velleius*, *præteritorum obliuionem*; *Val. Maximus*, *præteritarum rerum obliuionem*; *Nepos*, *legem obliuionis*, dixere. Quos certatim imitati ceteri. Ἀμνησικακία quoque interdum hanc vim habet: nisi quod plerunque solennius & specialius, vsque in hunc diem, consueuit ἀμνηστία vsurpari, sicut descripsimus. Nam *alias significationes*, quibus ad *priuatam reconciliationem*, *delictorum condonationem*, *impunitatem*, &c. trahitur, nunc nihil moramur. Porro quid hic sit *obliuisci* & *obliuio*, infra patebit.

5. Diximus, DECRETUM siue LEGEM. Nam & *Plutarchus* diserte, Ψήφισμα; & *Nepos*, *legem*; & *Valerius*, *plebiscitum* nominant. Idem facit *Andocides*, in *orat. de mysteriis*, vbi tanquam ex vigore legis argumentum petit. Simul, vt à *qualicunque conuentione* & *mutua compromissione*, quæ huic fini scilicet minime sufficeret, distinguere mus. *Legis* enim *auctoritas* quidpiam in se

diui-

diuini habet, tum ad obligandam, tum ad conſeruandam ciuitatem.

6. Concernit autem hæc lex *Partes diſcordantes*: ita, vt inter eas ſtatuatur, *abolitio anteactorum*. PARTES DISCORDANTES, vel per tumultum & conſternationem, vel per ſeditionem, vel per bellum inteſtinum ſeu ciuile. Aduerſus interna quippe diſſidia, *proprie*, inuentum hoc adhiberi poteſt & ſolet. id quod res ipſa & hiſtoria docet. Quanquam enim in externorum quoque bellorum compoſitione, pacificationibus, induciis, inter ſolennes leges & formulas adhibeatur, *nemini ius fasque eſſe debere, præteriti temporis damna vel offenſiones vlciſci, exprobrare, perſequi*: tamen iſta abolitio inter *cognata* potius *huius Amneſtiæ, ſtricte ſumtæ*, de qua nobis ſermo, numeranda eſt: quatenus ſcilicet, *abolendum vindictæ nocendique ſtudium, generatim* in omni reconciliatione, pace, tranquillitate ineunda ſpectatur.

7. In ciuilium autem diſcordiarum abolitione, longe *arctior* eſt & *intimior Amneſtiæ reſpectus*. ne ſcilicet ii, qui vno foro, vna ſocietatis communione, quotidianiſque commerciis vtuntur, adeoque ex ipſa coniunctione hac, reuoluendi, quiritandi, vindi-

vindicandi anteacta, occasionem perpetuam haberent, in nouos motus erumpant: ne ex domesticis legibus, moribusque mutuas contentiones resuscitent; quæque his similia, ad interna potius reip. pericula, quam ad externos insultus, pertinent.

8. Taceo, quod in bello externo, quicquid hostis hosti nocuit, propterea minus graue videtur, quia cum gladio ipsum nocendi ius sumitur, & ab hoste non nisi hostilia expectantur. At in ciuilibus armis omnia iniquiora & videntur & sunt, dum alii violant ius, alii defendunt: alii tyrannidem ceptant aut propugnant, alii libertatem. Cuius tamen ipsius tali tempore, cupido non est acrior, quam vindictæ in tyrannos studium. Quali rerum perturbatione, sæpe ex opinione res geritur; neque minus tamen violente aut acerbe. Nam vera de omnibus actibus, quibus ira dolorque partium vel mouetur, vel alitur, iudicia, nec quæruntur satis, nec quæsita in promtu sunt.

9. Interim vt extraneorum quisque propius nobis cohæret, loco, commercio, necessitudine, superiorum temporum amicitiis, vinculisque aliis: ita bella cum eo gesta gerendaue, propius ad ciuilia arma; & pa-

& pacificationis ratio, propius ad Amnestiam accedit.

10. Sunt autem *partes* illæ *diſcordantes* ſæpe plures duabus. Vt cum interemto Cæſare alia erant populi, alia ſenatus, alia paucorum ſtudia. Imo inter ipſa bella ciuilia, nouarum partium ſemina ſparguntur, eruptura in turbas, quamprimum occaſio ſe præbuerit. Eo magis ἀμνηστίας remedium occupandis vel præcidendis his malis proprium eſt. Non omittenda eſt hoc loco applicatio exempli Athenienſis: in quo inuenimus 1. *partes Thraſybuli & ſociorum*. 2. *eorum, qui è ciuitate, liberatores ciuitatis, errore potius & conſternatione, quam odio, impugnauerant*. 3. *eorum, qui cum tyrannis exulantibus agentes, ceterisque iam reconciliatis, adhuc ſegreges in ciuitatem reuocati erant*. Suberant interim longe plura diſſenſionum, nouarumque partium ſemina: quæ oppreſſit mox Abolitio illa, è qua potiſſimum vis Amneſtiæ ac natura cognoſcitur.

11. Ad ABOLITIONEM ANTEACTORUM deſcribendam, accurate loquendo non ſufficit, *impunitatem admiſſorum*, nominare (*v. Alex. gen. di. 6, 9.*) aut *iniuriarum obliuionem* (*v. Beroald. loc. antea d.*) *Illud* enim leuat iniuriæ auctores pericu-

ticulo; *hoc* iniuriam passos mitigat. Interim etiam apud eum, qui alterum læsit, ipsa iniuriæ, quam intulit, memoria ferociam & odium haud raro conciliat, iuxta illud *Taciti in Agric.* 42, 6. *Proprium humani ingenii est, odisse quem læseris*: frustraque adeo dememinerint suam fortunam, qui grauia passi sunt, retinentibus memoriam factorum, qui grauia fecere.

12. Igitur longe plenius *res abolendas*, siue *anteacta* illa, complecti possumus, si mutuemur ex alio argumento, verba *Cornelii Taciti* 4. H 44, 1, in memorabili loco, quo relatum in senatu ait: *de abolendo dolore iraque, & priorum temporum necessitatibus.* Vbi ex ratione nostri instituti *dolorem* ad eos commode retuleris, qui aspera & iniqua passi sunt, aut se passos arbitrantur: *iram*, ad molientes grauia inferentesque, spectare dixeris: *Superiorum* autem *temporum necessitates*, opportuna & prudenti adiectione, denotarent confusa consternatione ciuili iura, animos, studia, *malas illas artes, sine quibus non haberi posse arma ciuilia*, idem scriptor alibi significat. Dum alii, iustas sibi infestandi alios caussas, partim credunt, partim credi volunt: nonnulli cum ingressi sunt semel istud mare, in duriora &

ini-

iniquiora quam destinauerant consilia, ipsa vi fluctuum abrepti, necessitatem denique solam pro se & aduersum alios allegant. Est, vbi de perpessione aduersorum questi, suo sibi iumento perpetienda accicuere. Nimirum tantus turbo inimicitiarum bella ciuilia confundit, vt nec damnorum, nec oppressionum; nec succumbentium, nec incumbentium facies, possit apparere, dubiisque ad singula iudiciis suspensæ mentes, æquitatis denique & miserationis voce, *priorum necessitates temporum* appellare malint, & quam in hominibus non diiudicant, rebus culpam imponere. Quæ prudentia apprime vtilis est, ad commitigandos partium animos: quibus tali tempore, etiam nomina eorum quæ accidere, inuisa sunt.

13. *Anteactorum* vocem adhibet *Iustinus*; eamque mox *discordiarum* mentione permutat: *Sueton. in Claud.* 11 *facta dictaque*; *Nepos, res ante actas*, ceteri, *præterita*, *res præteritas vocant*: generali scilicet voce, id quod volumus complexi. Τὰ γεγενημένα, τὰ συμβεβηκότα &c. Græcis in hoc negotio dicuntur. Et vt nihil excludatur, *mutui partium affectus* obstringuntur, ἀλλήλοις μὴ μνησικακεῖν.

14. Ha-

14. Harum ergo rerum quomodo *abolitio* fiat, & quid ſit; amplius diſpiciendum eſt. Vtuntur ſcriptores duabus potiſſimum vocibus, *obliuione* & *abolitioue*. *Obliuio* ad Græcam originem accommodata eſt, vbi ἀμνηςία, μὴ μνησικακεῖν &c. *memoriam* præteritorum *deleri* iubent, vt loquitur Tullius. Cum autem *obliuio* non ſit in poteſtate hominis, reſpectu voluntariæ ex memoria deletionis, diſtinguendum ante omnia eſt, inter τὸ μνημονεύειν & τὸ μνησικακεῖν: exemplo *Vlpiani Rhetoris, qui in enarrat. orat. Demoſth. contra Ariſtocratem ſcribit*: ὁ ἐξετάζων τὰ τινὸς ἀδικήματα ὥςε τι βλάπτειν καὶ ἀμύνεσθαι αὐτὸν, μνησικακεῖ. ὁ δὲ μνημονεύων, οὐκ ἐπὶ τῷ φυλάξασθαι τὴν ὁμοίαν πεῖραν, σωφρονεῖ. *Qui inquirit in admiſſa alterius & iniurias, nocendi at vindictæ ſtudio, ille* μνησικακεῖ, *ſiue memoriam iniuriarum retinet: qui autem meminit, minime nocendi animo, ſed vt ſimiles in poſterum caſus caueat, ille prudenter agit.*

15. Vnde intelligitur eſſe *aliquam malorum memoriam, quæ hinc excludatur plane*; ſcilicet, vbi retinemus præterita, diſceptandi vindicandique ſtudio: & *aliquam quæ hic locum poßit inuenire*, de qua & Cicero apud Dion. 44. ait, *futurorum ordinandorum & vitandorum ergo, non* aliam *ob cauſſam, ad præterita*

rita respiciendum esse. Quocirca *Valerius*, per *mentionem* interpretatur: *ne qua mentio fieret præt.* id est, ne quis persequendi iuris caussa in medium adferat, queraturue præterita.

16. Interim *obliuionis* vocem, licet non tam memoriam hoc loco, quam vindictæ studium ac voluntatem tollat, *non sine* ἐμφάσει, *cum fauorabili extensione & incremento* acceptam volumus, in hunc modum: *vt tam firma adsit stabilisque relinquendæ omnis disceptationis, omnis vindictæ voluntas, quasi ne sciremus quidem acta superiorum temporum, neque graue nobis aut molestum quicquam euenisset: quasi quæ facta sunt vltro citroque, nunquam fecisset quisquam, aut passus esset.*

17. Nam propterea *abolitio* etiam dicta est, *Capitolino in Gordian.* 10. *Floro* 4, 7, 3. *Suetonio* Tib. 4 non quod facta infecta reddi possent, sed quod nunquã facta videantur, quorum nulla superest disquisitio, vindicatio, lis &c. Nepos ita exprimit: *ne quis anteactarum rerum accusaretur, neue multaretur.* Thrasyb. 3, 2. Dio 44. per τὸ μὴ ἐγκαλέσειν explicat; *neminem quidquam iure persecuturum.* item, μὴ πολυπραγμονῆσαι γεγενημένα οὔτε ἐξελέγξαι, οὔτε τιμωρήσασθαι. *non inquirere in ante acta, nil arguere, aut vindicare.* Andocidi est, ἐᾷν τὰ γεγενημένα, *missa facere,* quæ

quæ euenerunt. orat. de myſt. pag. 212.

18. Vt hæc amplius cognoſcantur, adſcribemus ipſam *talis abolitionis formulam*, ſicut eam ex actis conſtitutæ à Carolo IX Galliæ Rege, an. 1568 amneſtiæ, deſcripſit & latine reddidit *Lambinus*. *Edicimus* &c. *omnes iniurias atque offenſiones ſuperiores, quas temporis iniquitas, & occaſiones ex ea natæ inter ciues noſtros pepererunt: omnia mala præterita, quæ ex ſuperioribus motibus ac tumultibus manarunt, funditus exſtingui, eorumque memoriam ſempiterna obliuione deleri, atque obrui, vt proinde ſint, quaſi omnino nunquam eueniſſent: vetamusque diſertiſsime, planiſsime atque apertiſsime, & capite ſancimus, ne qui ex noſtris ciuibus, cuiuscunque ſint ordinis, loci, gradus, aut fortunæ, audeant inter ſe laceſſere. prouocare, irritare, præterita obiiciendo aut exprobrando, neue vlla de re anteacta inter ſe altercari, rixari, iurgare & contendere, neue conuitiari & maledicere, neue facto aut verbo contumelioſo inter ſe offendere ac lædere. ſed potius ſibi moderentur ac temperent, concordiamque & pacem in omni vita degenda colant, tanquam fratres, & amici, & boni concordeſque ciues,* &c.

19. Agnoſcas curiæ ſtilum, quem vocant: eadem, quæ veteres breuiter extulere, particulatim exponentem & ſolicite

interpretantem. qui mos, ſecus quam par eſt, à nonnullis faſtiditur. Nam & multitudo emergentium quotidie caſuum, & circumſtantium rerum perplexitas, &, quæ prouidere hæc omnia, & ſingula explanare debet, ciuilis prudentiæ accurata ſubtilitas, facile ſuaſere Politicis inter ipſa diſcrimina verſantibus, hanc prolixitatem. quam ob id, *paraphraſin politicæ doctrinæ*, appellare ſoleo.

20. Priuſquam ad cetera pergamus, notandum, *abolitionem* hanc abſolui, *obliuionis perpetuitate* (vnde *ſempiterna obliuio* Tullio dicitur; & ap. Dion. cauetur, μὴ ποτὲ, *ne vnquam* &c. adde §. 18.) & *amicitiæ conſtantia, ac reconciliatæ beneuolentiæ firmitudine*, de qua poſtea. Rotunde, vt ſolet, complexus eſt pleraque ex dictis dicendisque, limati oris ſcriptor *Herodianus* l. 8. c. 8, *in oratione Maximi*: ἔϛω πάθων ἀμνηϛία, καὶ σπονδαὶ φιλίας βέβαιοι, εὐνοίας τε καὶ εὐκοσμίας πίϛις αἰώνιος. *Politianus* vertit: *Sit omnium obliuio* (Amneſtia) *ſit fœdus conſtantis amicitiæ, fidesque beneuolentiæ ac moderationis ſempiterna.*

21. Ceterum vt firmitas amneſtiæ perpetuitasque, vindictæ item abolitio conſeruetur, *multa ex anteactis, conſtitutisque in rep. aut latis legibus, licet non probentur, temporis*

poris caussa & maioris commodi confirmanda sunt. Ita acta *Cæsaris pacis caussa confirmata sunt à Senatu* sc. ipso illo SCto, quo ἀμνηστία continebatur. *Cic. Philipp.* 2, 39 & *Philipp.* 1, 9: *Acta Cæsaris ego, qui illa nunquam probaui, ita conseruanda concordiæ caussa arbitratus sum, vt non modo, quas viuus Cæsar leges tulisset, infirmandas hoc tempore non putarem: sed ne illas quidem, quas post mortem Cæsaris prolatas & fixas videtis.* Igitur male *Antonius* & elusorie, cum multa contra leges Cæsaris ageret, respondit: *Introducta amnestia constitutum quidem esse, ne quid de præteritis mutaretur, sed id mitigandi populi & temporis caussa factum esse. præcipue interim obliuionem iniuriarum spectari, iustiusque esse mentem SCti quam verba valere. Appian.* 3 ἐμφυλ. *pag.* 540. Quod si admittatur, nulla nec amnestia, nec pax fida erit aut firma. pertinet huc, quod *cap. seq.* §. 6 habetur. Neque omittenda est cautio, *de anteactis ita nos loqui, vt ea intelligamus quæ saluo statu i. e. citra certum periculum nouæ perturbationis confirmari possunt.* Sicut in exéplo Cæs. videmus. Aliud enim est *confirmatio anteactorũ*, quæ ad futurum tempus respicit; cui imponitur obligatio rei confirmatæ seruãdæ: aliud *abolitio anteactorũ*, quæ *præsentis temporis mala sanat.*

22. Poteſt, ni fallor, ex dictis intelligi, abolitio anteactorum: niſi quod *requiſita* eius reſtant ſigillatim penſitanda. Addidimus igitur primo, PUBLICAM eſſe debere. Qua appellatione indicatur, tum, *auctoritas publica*, quatenus priuatis pactis conuentisque opponi ſolet; tum, *collectio partium*, quarum nulla abeſſe, præteriri, ſeponi, in hoc negotio debet. Fit enim quodammodo priuatum, quod, cum ad omnes pertineat, inter paucos, & velut in præiudicium publicæ ſortis, tractatur. Quæ res non parum ſcilicet firmitati pactionis detrahit: effugiis autem inconſtantium & cauillationibus occaſionem præbet.

23. SOLENNIS quoque dicta nobis abolitio. Qua voce notantur vulgo ea, *quæ certa conſuetudine, & veluti recepto in actiones hominum more fiunt, cuius obſervatio quiddam in ſe habet religionis, venerationis, auctoritatis, roboris: ſicut omiſſio neglectusque, opinionem infirmitatis, & aliquando ſuſpicionem fraudis generat.*

24. Cum itaque pleræque non pactiones modo & conſtitutiones; ſed in vniuerſum, quæ alicuius momenti ſunt, actiones, præſertim publicæ, vſurpent ſolennia quædam: vtique Αμνηστίαν, non decuerit abſque iis con-

iis considerare. In qua occurrit *primo, Solennitas verborum.* quæ adeo non habenda insuper, vt stilus curiæ, quem vocant, pleraque sui parte in concinnandis obseruandisque solennium locutionum formulis occupatus sit: præcipue in concipiendis edictis, constitutionibus, sententiis, pactis, legibus (v. *Cic. pro Rosc. Com.* 9.) Sunt autem istæ formulæ non vniusmodi, sed variant, tum ratione temporis (aliter enim antiqua, aliter noua curia loquitur: nisi quod hæc sæpe ex illius solennibus aliquid mutuatur) tum ratione nationum gentiumque: quæ & ipsæ tamen, multa à se inuicem desumta, postea veluti consensu quodam vsurpant. Sic Romani ius feciale rerum repetendarum ab Æquicolis descripsere. *Liu.* 1, 32.

25. Accedit, *secundo, solennitas rituum, apparatusque cuiusdam externi.* vt cum e. g. loco publico & solenni pactio promulgatur. cum publicæ exhortationes adhibentur, cum preces suscipiuntur; verba, præconis aut magistratus voce præeuntur; dexteræ iunguntur; JURAMENTI religio cum grauitate & pondere inculcatur exigiturque.

26. Quare ad Solennitatis partem pertinet,

net, cum JURATAM abolitionem nominauimus. Vbi *iuramentum ipſum*, immediate ad firmitatem rei & fidei certitudinem referendum eſt; *Solennitas iuramenti*, mediate. Adſcribenda hoc loco Athenienſis iuramenti formula eſt. quam *Andocides in orat. de myſteriis*, conſignauit. Iurabatur ergo primum ab *omnibus* vniuerſim reconciliatis in hanc ſententiam: *οὐ μνησικακήσω τῶν πολιτῶν οὐδενὶ, πλὴν τῶν τριάκοντα καὶ τῶν ἕνδεκα, οὐδὲ τούτων, ὃς ἂν ἐθέλοι εὐθύνας διδόναι τῆς ἀρχῆς ἧς ἦρξεν. Neminis ciuis errata reminiſcar, exceptis triginta & vndecim virorum. ſed & horum obliuiſcar, ſi voluerint adminiſtratæ tyrannidis iudicium ſubire & rationes reddere.* Hinc iurabat *Senatus*; *οὐ δέξομαι ἔνδειξιν, οὐδὲ ἀπαγωγὴν, ἕνεκα τῶν πρότερον γεγενημένων, πλὴν τῶν φευγόντων, Non admittam delationem aut accuſationem, niſi de exulibus.* (intellige tyrannos) Tertium iuramentum erat *iudicum*: *οὐ μνησικακήσω, οὐδὲ ἄλλῳ πείσομαι: ψηφιοῦμαι δὲ κατὰ τοὺς κειμένους νόμους. Non retinebo memoriam iniuriarum, neque aliter perſuaderi ſinam mihi, quo minus iudicem ſecundum leges latas:* (de quibus ll. *v.* Andocid. in præcedentibus.)

27. Etiam *interrogationis ſolennitas* nonnunquam adhibetur, præſertim vbi COMMUNI

MUNI PARTIUM CONSENSUI exigendo declarandoque inseruit. Licet enim in eo *genere* ἀμνηστίας, *quo partium odia superioris alicuius edictum mandatumque coërcet* (e. g. cum Rex quispiam dissidentibus in regno suo, amnestian imperat, v. supra §. 18.) aut *vbi arbitri compromissarii*, siue διαλλακταὶ αὐτοκράτορες, vt vocat Plutarch. in Arato, *tale quid statuunt* (quanquam tali casu omnino generalis partium consensus præcessit, ex quo specialia recte inferuntur) non inveniat locum, ille communis & spontaneus & liberrimus partium consensus, quatenus inter requisita ponitur: tamen & in Atheniensium exemplo, quod semper hic attendimus; & in ciuilibus dissidiis, vbi partes æquo iure sunt aut pari potentia; denique vbi firmitudini conuentionis quam maxime consultum cupimus, vsurpari animaduertitur.

28. Atque per hæc iuris, humanitatis, solennitatis vincula, tandem ad verum Ἀμνηστίας *finem*, id est, FIRMAM PACEM, siue *Pacis firmitudinem*, peruenitur. Nimirum: *vt offensæ, dissidia, inimicitiæ, earumque nomina pariter ac opera auferantur*; *tum, vt beneuolentia, amicitia, concordia, concilietur*. Nam his duabus partibus absoluitur nego-

tium. ſumtis ſcilicet *cum interpretamento bonæ fidei & ſtabilitatis, tam moralis, quam ciuilis*. Interim *hæc*, *illius* defectum haud raro ſupplet.

29. Hic locus nobis oſtendere quodammodo poteſt vtilitatem *huius inventi* plane diuinam. Nam tum omne pacis conciliandæ negotium plurimis eſt vel difficultatibus obſeptum, vel intricatum perplexitatibus; tum vel maxime ciuilia ſiue inteſtina diſſidia bellaque, arduam magis ancipitemque habent compoſitionem. *Eſt in bellis ciuilibus*, quod facunde Cicero ap. Dion. 44. exſequitur, *quædam malorum concatenatio ac veluti circulus*, cuius reuolutio perpetua, triſtia triſtibus cumulat, nec modum ac finem eſſe miſeriarum patitur, ſed proxima quæque concertatio, cauſam & inſtrumentum ſequenti præbet. Magna enim eſt vindictæ libido apud oppreſſos victosque, magna vindictæ licentia apud victores. Et ſicut *illis*, ſocios, metus paris calamitatis; ita *his*, cupido paris licentiæ aggregat. Jam quis tumultuantes vario diſſenſu animorum motus, quis præſentium faſtidia, futurorum aucupia, ſatis deſcribat? Quibus rebus, ad interitum denique proficitur.

30. Ec-

30. Ecce in exemplo Athenienſium;illi qui è Piræeo in vrbem venerant potuiſſent vltionem iniuriarum ab vrbanis expetere: atqui, vrbani fortean rurſum præualuiſſent, inſperataque clade preſſiſſent, quos inſperata victoria beauerat. Aliis poterat ſtudium aut miniſterium peculiare tyrannis præſtitum obiici: alios, priuata; quosdam publica incommoda exaſperare inuicem poterant. Atque, etiamſi pax aliqua coiuiſſet, bellorum facinora, pace diſceptanda veniebant. Qui libertatem defenderant, à ſeruitutis ſatellitibus, vt exprobrantes: hi ab aliis, vt degeneres, aſpici poterant. Denique ſicut male obrutum incendium, quouis flatu irritante, facile & cito & violente reſurgit: ita male ſarta gratia, quacunque occaſione, reſciſſa in turbas iuiſſet & noua diſſidia.

31. Hæc tanta & tam multiplex Difficultas, ac IMPEDIMENTA per tot labyrinthos circumducta ac contortuplicata, nec *filo quodam Ariadnæo expediri*; nec *gladio Alexandreo* rumpi poſſunt. nam & illud ſi obtinere inſtituas, *cum recta ratione inſanire* dicaris; & hoc *cladi* quam *medicinæ* eſſet ſimilius. Igitur EXPEDIENDI ratio vna & optima ſupereſt, ſi TOLLATUR potius,

litis

litis & diſſenſus materia & ſemina, obliuiſcendo, conſopiendo, transmittendo, omittendo: quam ſi expediendo per diſceptationem aut moroſa iudicia, multa nequicquam conemur, id eſt, curatione ipſa vulneris periculum augeamus, *vid.* Dion. 44.

32. Reclamet forte nonnemo: *etiam hoc inter violentiora eſſe, ſi iure ſuo cedere multi cogantur, omnisque perſequendi iuris præcidatur occaſio.* Verum, præterquam quod coactio dici non poteſt in eo, quod à volentibus & communi voto approbantibus conſentitur, quale eſt noſtrum exemplum: etiam hactenus à violentia abeſt hoc inſtitutum, quatenus & alias viri boni officio conuenit, *multis multa de ſuo iure concedere.* id enim tum liberale, tum fructuoſum (*v.* Cic. 2. offic. 18.) & præſertim omni bono ciui, non magis nomẽ ciuis quam hic animus tribuitur, vt *odia priuata publicis vtilitatibus remittere*, quoties opus eſt, cupiat. Tac. 1. A. 10, 4. Eſtque hoc omnino illud tempus, quo neceſſe eſt παρειδεῖν τι, conniuere ad multa, neq; curioſe τὸ ἀκριβὲς δίκαιον ζητεῖν, *accurata diſquiſitione ius dicere*, ne fiat quod eſt in prouerbio, *vt hic ſummum ius, ſumma ſit iniuria.* cum præſertim in omni

tracta-

tractatione politica ad finem negotii sit respiciendum vnice, ad quem nisi cetera quadrent, aliena est aut periculosa omnis ea sapientia. Agitur autem tunc, de STATU labante turbatoque componendo, atque in firmitudinem quandam colligendo; non de exercendis iudiciis, disceptandis litibus &c. quod recte monetur ap. *Dionem*. ne de aliis rationibus dicam, quas infra ponemus.

33. Felix est ἐπιείκεια, cuius fructus in salutem publicam desinit. quæ præsertim hac ratione Atheniensibus est restaurata. Laudat hunc Amnestiæ FRUCTUM disertis verbis apud *Dionem* (44) Cicero: *postquam ad hunc modum resipuissent Athenienses: non modo tyrannide sunt & discordiis liberati, sed etiam de cetero rebus vsi prosperis: recuperataque vrbe, Græciæ principatum assecuti sunt: Spartanorumque & Thebanorum salutem pariter ac perniciem sæpe in sua manu positam habuerunt. Valerius Max.* 4, 1. *ext.* 4. *Hæc obliuio, quam Athenienses* ἀμνηστίαν *vocant. concussum & labentem ciuitatis statum, in pristinum habitum reuocauit. Iustinus* idem voluit in istis verbis: *atque ita per multa membra ciuitas dißipata, in unum tandem corpus redigitur*. 5, 10, 10.

34. Intelligitur iam, *solam & vnam finiendorum*

dorum bellorum discordiarumque ciuilium, fidam firmamque rationem esse, Amnestiam. in qua propterea *Cicero* Phil. 1, 1 FUNDAMENTUM PACIS, rectissime constituit. quæ nisi magnos motus consequatur, exitio subinde propior fit Resp. Sicut atroces quidam morbi, haud dubie alioquin peremturi hominem, *sola Quiete* persanantur. Verum illa nec *sera nimium, nec interrupta aut aliqualis* esse debet.

35. Qui locus nos monet, vt de TEMPORE ἀμνηστίας aliquid adiiciamus. Nam & *in constituenda adhibendaque*, ipse articulus, vt sic dicam, temporis obseruandus est: & *duratio*, si arctetur, non exigua habet incommoda. Itaque quod ad primum attinet, εὐκαιρία siue *tempestiuitas amnestiæ*, non vno modo considerari potest. *Optimum* fortasse *tempus* fuerit, quod maturrimum: antequam scilicet discordiæ in bella, bella in clades profecerint. priusquam partes periculum fecere virium, priusquam gladius ciuili non cruore magis, quam furore imbutus est. namque vbi hæc accidere,

fertur equis auriga, neq; audit curr⁹ habenas.

Ita dum Cæsar inimicitias cum Pompeio exercet, trahiturque in partes Resp. & prudentibus multa formidolosa in oculis sunt, opti-

optimum prorsus fuit eorum consilium, qui deponendas aut componendas contentiones, condonandas offensas, obliuiscendas injurias, omittendas disceptationes, id est, quid aliud quam ἀμνηστίαν, & pacem ἀμνηστίας fundamento superstruendam suadebant. Inter quos & Cicero: *quem vnice cauisse concordiæ Publicæ*, Velleius auctor est, 2, 48, *In quo si mihi*, inquit ipse (1. offic. 11.) *esset obtemperatum; etsi non optimam, at aliquam remp. quæ nunc nulla est, haberemus.* Ex quibus verbis *ipsum euentum transmissæ neglectæque tempestiuitatis*, calamitosum scilicet & infaustum animaduertimus. Ergo commodissima quidem ratio ineundæ vt pacis, ita ἀμνηστίας, fuerit, ante eductum vagina gladium &c.

36. Alterum exemplum Ciceronis hic occurrit, de ἀμνηστίᾳ proprie, & tempestiue soliciti: cum occiso nimirum Cæsare Julio, res ad ferrum & sanguinem spectaret. Adhortatur ibi ad capessendum salubre remedium, ἕως ἔτι τὸ δεινὸν ἄρχεται, καὶ οὔτε πολλοί πω συνεστήκασιν, &c. *dum malum adhuc in herba est & inter initia inualidum, dum nondum multi coiuere: dum neque illi spem victoriæ, neque hi indignationem & studium vincendi ex damnis toleratis plane imbiberunt.*

37. Ve-

37. Verum cum de amneſtia hactenus, vt de ciuilis belli, quod iam exarſit ſæuitque, remedio egerimus, *illud* quoque *tempus* diſpiciendum venit. Sicut enim in priore conſilio, ad προφυλακτικὴν φιλοσοφίαν, ſiue ad eam prudentiæ partem pertinet Amneſtia, quæ malis imminentibus aut minantibus occurrit, ac obicem ponit: ita poſterior eius vſurpatio ad δεύτερον πλοῦν, iuxta Græcorum vocem, referri debet, cum mala iam admiſſa inuectaque expelli oportet ac ſanari.

38. Conſideratur huius medelæ tempus rurſum *duobus modis*: 1. *vel enim*, dum vtraque pars adhuc ſibi confidit, damniſq; mutuo illatis, nondum tamen ad extrema ventum eſt. quod tempus ſicut paci faciendæ commodiſſimum Cæſar dixit, ita nos, ſi quidem hactenus ventum eſt, amneſtiæ opportunum vel maxime arbitramur. 2. *vel* vbi iam exhauſtæ vires bello ſunt, & furore potius ad interitum, quam opibus & ſpe, ad victoriam geritur bellum. Hoc tempus expectaſſe, ingentis plena periculi res eſt. Nam nec ſemper poteſt reuocari lapſus ſemel reip. ſtatus (ſicut morbi quidam vbi toto corpore eorum vis eſt recepta, omnem medelam ſuperant) nec, vbi altera pars

præua-

prævaluit, facile amnestiam consentit. Quare, vt singularis rem exempli laudant Scriptores, Atheniensium hac in re fortunam, & Thrasybuli consilium. cuius euentus minus vtique felix fuisset, nisi *tyrannis amotis, externa quoque æmulatio* (Spartanorum scil.) *in misericordiam versa*, quiescendi & coalescendi spatium dedisset.

39. Vtraque res grande momentum habuit. *Exclusio* quippe *tyrannorum* ipsum fundamentum amnestiæ continebat. Vt mala mutua possent dememinisse, malorum caussæ excisæ erant. Ita indignatio eorum qui dura passi erant; & metus eorum qui grauia fecerant, simul expiabatur. Illi enim, vt vindicati; hi aliena potius quam sua culpa abrepti, in mutuam veniam, communi rerum aduersarum, aduersariorumque detestatione ferebantur. Iam si Lacedæmonii obstinata rabie effossum potius quam hebetatum hunc Græciæ oculum cupiuissent (& agebant id plerique, nisi quod bona Atheniensium fortuna Pausaniam in meliora inclinauit, neque vt fauorem ciuitatis huius serio indueret, sed vt æmulis suis obluctando, ex obliquo, vt ita dicam, prodesset) tum profecto præterierat illud tempus, quo intestina vulnera sacro amne-

ſtiæ malagmate poſſent commitigari obducique.

40. Neque eſt, quod quis ſuſpicetur, *Vniuerſalitatem*, vt loquuntur, *amneſtiæ*, impeditam remotione tyrannorum. Multo minus huius exempli obtentu & ſpecie vtendum eſt, ad quoſdam à ſalutari hoc communique remedio, cum eius vſus & neceſſitas venit, ſecludendos. Nã quod ad primum attinet, excluſio tyrannorum, non facta eſt in conſtituenda amneſtia, ſed inter finem belli, qui ab initiis & firmamentis pacis probe diſtinguendus eſt. Adeoque, tyranni in hac conſultatione *non* conſiderantur *vt abrumpenda membra*, ſed *vt iam abrupta*. Poſtea Ius belli & victoria inquietos, denuoque turbantes ſpiritus ſuffocauit. Taceo quod diuini humanique iuris violatores, rerumque capitalium conuicti & iam damnati, ne capaces quidem manſerant ſocietatis, quam funditus ſubuerſum iuerant. Fuerant ſcilicet tyranni tales, quales demoueri & potuiſſe & debuiſſe, etiam illi fatebuntur, qui ſcuto ſuo tantum innixi gladii mentionem tali in re exhorreſcunt. Atque hæc omnia, tam liquido certa erant, vt diſceptari amplius non poſſent. Nam in ambiguis criminibus, & vbi defen-

ſio

ſio nondum defecit, potius in mitiora omnia eundũ eſt. Verum quid verbis opus? Neque hos ipſos tyrannos, quos tamen ſua ſcelera omni ciuium conſortio excluſerant, æquitas Thraſybuli & lex ab omni amneſtiæ fructu prorſus excluſit; ſed, quod ſupra ex *Andocide* didicimus, expreſſa conditione, inuitabantur: ſcilicet, ſi rationes imperii à ſe geſti vellent reddere. Cetera facile intelliget, qui iuratam omnium Athenienſium, pro conſeruanda Democratici ſtatus forma, fidem; clancularíam & iniquam oligarchiæ inſtitutionem, ſæuiſſimamque ſcelerum dominationis continuationem, partium omnium, ipſorum etiam arbitrorum ſiue conciliatorum, in eiiciendis tyrannis, ſeu obice pacis remouendo, conſenſum, cogitabit.

41. Alias omnino requiritur, vt ſanandis reip. vulneribus, colligendis reliquiis, *omnes* omnino *complectatur Amneſtia*. Secus, non amneſtia, ſed imago gratiæ, ſpecies pacis, ſimulacrum reconciliationis, & quiduis potius erit. Eſt enim hoc nomen ipſa ſua indole generale, & ad præterita ſiue anteacta, ordinaria, vt ita loquar, notatione extenditur: ſed & cauſſas diſcriminum & diuerſitatis vna litura delet. Quod

ex fine eius & vſu amplius patet. Dum enim inextricabiles rerum perplexitates ſimul & ſemel tollendo, planam ad fidam pacem viam ſternit, nihil relinquit, quod moram huic inſtituto facere, aut afferre vim, aut ſtruere inſidias poſſit. qualia nunquam deerunt, ſi prætereantur aliqui.

42. Interim eiuſdem cautionis eſt, *temporis perpetuitas*, & πίστις αἰώνιος: quam ſupra §. 20 tetigimus: & *Xenophon* amneſtiæ ac Reip. duratione͂, vt cauſam & effectum coniungit, fin. lib. 2. Græc. hiſt. ἔτι καὶ νῦν ὁμοῦ γε πολιτεύονται καὶ τοῖς ὅρκοις ἐμμένει ὁ δῆμος. Notanda enim hoc loco differentia *temporariæ & improprie ita dictæ* ἀμνηστίας; quam à *vera* & noſtra, tantum arbitramur diſtare, quantum à *Pace ſolida induciæ qualeſcunque* abſunt.

43. Eſt tamen & huius generis non leuis aliquando vſus. vt cum repentinus & mox in atrocia erupturus tumultus, diſcordia, conſternatio, non componi aut mitigari ſtatim idoneis remediis, & ſine periculo poteſt; aliquot dierum, menſium, &c. iubetur eſſe amneſtia, id eſt, ſuſpenſio diſceptationis, offenſarum, concertationum. *Iubetur*, dixi, nimirum vbi inter ipſa imperii membra, aut homines in imperio degentes,

gentes, salua imperantis aut imperantium auctoritate, exarsit aliquid irarum; quod edicto supremæ & intactæ maiestatis, velut interiungi inhiberique hactenus potest, dum curatio accuratior sequatur. Nam cum omnia in partes & dissidia iuere, imperio vnius partis nunquam; consensui partium circa amnestiam temporariam raro locus superest.

44. *Adversantur Amnestiæ* (nam & hæc consideratio illustrat quæ diximus) *è diametro*, 1. *Proscriptio*, 2. μνησικακία πολιτική. Loquimur de vtraque cum respectu ad bella ciuilia eorumque fines. Hic enim prorsus pugnant, AMNESTIA *sopire discordias ac firmare pacem*; &, *componere statum multa reorum, inimicorum, suspectorum, strage, proscriptione, interitu*, quæ pax alicubi, *cruenta*; alibi *sæva* solet appellari. Illaudata ratio & parandæ inuidiæ opportuna. Itaque Scriptores non satis detestari possunt auctorem primum Rom. proscriptionis, Syllam. Certe ex eo tempore, quo Sylla oppressione inimicorum & proscriptione pacare instituit remp. nunquam defuere, renata velut ex cineribus Syllani incendii, dissidia (vnde Florus, 3, 22 Sertorianum bellum *Syllanæ proscriptionis hæreditatem* vocat: & *cap.* 23.

alterius *motus facem*, eiusdem caussæ respe-ctu, *ab ipso Syllæ rogo exarsisse* scribit) donec exemplis tam infaustis irritata improbitas, furorem non prius, quam libertatem posuit, ac oppressam conuersamque vnius dominatui rempub. obtulit. *Augusti pax* quantum laborauerit inuidia proscriptionis, notius est, quam vt dici opus sit. Certe illi ipsi μοναρχικοὶ κόλακες, siue statistæ, vt hodie loquuntur, Augusti, cum omnia sui principis laudata cuperent, proscriptiones non ausi sunt excusare, nisi translatione criminis callida in collegas Triumuiratus: *multa*, inquiunt, *Antonio, multa Lepido concessisse*. ap. Tac. 1. A. 9, 4. item *pauca admodum vi tractasse*. Ceteros veritas cogit, vt, licet inuiti Augustum infament, satis tamen vel oblique prodant, quid in vniuersum sentiant. Hinc illud *Flori* 4, 6, 6. *Hæc quoque, nisi* MULTA *fuisset, etiam iusta cædes haberetur*. confer *Vellei*: 2, 6, 6. sed remoto velo *Seneca* de ea re passim. 1. de clem. 9. *Collegam proscriptionis* vocat. c. 11. *lassam crudelitatem*, nequaquam vero *clementiam* in eo agnoscit &c. Atque talis *pax cum bello de crudelitate certauit & vicit. Istud enim prostrauit armatos, ista nudatos. Bellum erat: qui feriebatur, si posset, feriret: pax autem, vt qui euaserat,*

rat, viveret, sed vt mori non repugnaret. August. de C. D. 3, 27.

45. Μνησικακία πολιτικὴ siue *anteactorum in rep. memoria, recordatioque cum vindictæ studio coniuncta*, quatenus *aperte* exercetur, potius proscriptioni, licentiæ ac asperitati victoris, vltioni, suppliciis, de quibus iam innuimus, tribuitur. *occultæ* autem, quam hic proprie spectamus, diuersi sunt & complures modi. *Aliquando*, qui contra tulere arma, recipiuntur quidem specietenus in amicitiam, amnestiæque spe illiciuntur: sed postea semper suspecti & ob id inuisi Principibus ætatem agunt: structisque aut auide arreptis denuo criminibus, aut insidiis, ad extremum euertuntur. *Aliquando* in ipsos liberos posterosque transit odium & memoria eorum quæ parentes ac maiores egere. Hinc clandestina inuidia, depressio, auersatio, aduersus innocentes. *Aliquando*, specie bellorum ac imperii gerendi, reuera, quoniam suspecti sunt ob anteacta, ex reconciliatis quidam, periculis magnisque discriminibus obiiciuntur. *Aliquando* custodes clandestini apponuntur, vt nesciant se custodiri, qui custodiuntur. per hos inquiritur in omnia: non domus, non sua cuique mensa, aut thorus securus. *Aliquando*

immittuntur æmuli & factiosi : qui vexent interim suspectos aut debilitent. *Aliquando* cum possent & deberent eripi periculo, deseruntur, dilatione & frustratione auxilii. Quæque plura ad hanc formam passim pro arcanis dominationis instillantur ab aliis, qui flagitia non magis erubescunt docere, quam alii facere.

46. Pugnant autem hæc omnia, 1. *cum natura amnestiæ* in vniuersum (v. § 14, 16, &c) 2. *cum natura fidei,* siue πίστεως αἰωνίου, quæ suspiciones, insidias, machinationes excludit. 3. *cum religione iuramenti*, cuius sinceritas calliditate prorsus nulla corrumpenda est. 4. *cum firmitudine pacis.* Cum enim, *habita fides,* vt rectissime dicitur apud Liuium, *obliget fidem*, tanto securior stabiliorque pax erit, quo est minus diffidentiæ. 5. *cum auctoritate sceptrorum*, quæ generositate potius paciscendi, quam artibus eludendi æstimanda tuendaque.

47. Quanto generosius Thrasybulus noster? nam hoc exemplum proprie & cum emphasi opponendum est. Ille, soli publico bono intentus, priuatis autem instinctionibus omnibus aut liber aut maior, *non tantum legem obliuionis ferendam curauit, sed etiam vt valeret, effecit. nam cum quidam ex iis,*

tis, qui simul cum eo in exilio fuerant, cædem facere eorum vellent, cum quibus in gratiam reditum erat, publice prohibuit, & id quod pollicitus erat præstuit. Cornel. Nep. Thrasyb. 3, 3. Sane, quod Cicero de priuatis amicitiis dixit, nullas maiori studio & fide tuendas esse, quam quæ ex inimicitiis reuocatæ sunt in gratiam, id ad amnestiam cum pondere & incremento applicari potest.

CAP. III.

De exemplis quibusdam, quæ vulgo feruntur, Amnestiæ.

THrasybulo & Atheniensibus tribui Amnestiæ inuentum, capite primo est ostensum: vbi de origine & auctoribus tam salubris consilii disquisitio facta. quod incidit in annum mundi 3549. ante C. N. 399. ab V. C. 353. Olymp. 94. an. ultim. secundum accuratissimam *Caluisii* computationem. nam ceteri variant.

2. *Bodinus* tria exempla Amnestiæ celeberrima coniungit. 2. de rep. 5. n. 214. 1. *Thrasybuli Atheniensis*. 2. *Arati Sicyonii*. 3. *Ciceronis Romani*. Qui locus incautum lectorem facile potest in fraudem inducere. Nam de ARATI exemplo longe aliter sentiendum est, quam de ceteris, quod vt

recte intelligatur, breuiter repetenda est nobilis facti historia.

3. Aratus Sicyonius, cum oppresso tyranno Nicocle, patriam quinquaginta annorum seruitute conflictatam liberasset, *magnam animaduertit in bonis & possessionibus difficultatem; quod & eos, quos ipse restituerat, quorum bona alii possederant, egere iniquissimum arbitrabatur, & quinquaginta annorum possessiones mouere, non nimis aequum putabat, propterea quod tam longo spatio, multa hereditatibus, multa emtionibus, multa dotibus tenebantur sine iniuria: iudicauit itaque neque illis adimi, neque his non satisfieri, quorum illa fuerunt, oportere.* Impetratam ergo ab hospite suo Ptolemaeo Aegypti R. grandem pecuniam, *cum Sicyonem attulisset, adhibuit sibi in consilium quindecim principes, cum quibus caussas cognouit, & eorum qui aliena tenebant, & eorum qui sua amiserant: perfecitque aestimandis possessionibus, vt persuaderet aliis, vt pecuniam accipere mallent, possessionibus cederent: aliis vt commodius putarent numerari sibi quod tanti esset, quam sua recuperare: Ita perfectum est, vt omnes concordia constituta sine querela discederent.* Dixi pleraque omnia verbis M. Tullii, ex 2. offic. 23. quibus addenda est vberior *Plutarchi* narratio *in vita Arati.* Pausa-

nias

nias in Corinthiacis breuius more ſuo complexus eſt. Accidit autem hoc an. mundi 3703. ante C. N. 245. V. C. 506. Olymp. 134. an. primo.

4. Sane communia ſunt Arato cum Thraſybulo hæc omnia: *quod patriæ ceruicibus tyrannidem depulit: quod noui ſtatus fundamenta iecit: quod pacem & concordiam ciuibus inteſtina diſsidia agitantibus reddidit* (κατειργάσατο καὶ συνήρμοσε φιλίαν καὶ εἰρήνην τοῖς πολίταις: Item: τῷ δήμῳ παντὶ σωτηρίαν καὶ ἀσφάλειαν κατεσκεύασεν, inquit Plutarchus) verum *modus reconciliationis*, cuius meminere Scriptores, *adeoque ipſa reconciliationis ſpecies*, quæ ab obiecto ſuo, quod Philoſophi dicerent, rectiſſime determinatur, non coincidit cum AMNESTIA, de qua nobis ſermo.

5. Amneſtia *vniuerſim* anteacta reſpicit: hic ſeorſim poſſeſſiones in conſiderationem veniunt. Vnde *Ærod.* hac rubrica ſignat Arateam hiſtoriam *decret. l.* 1. *tit.* 11. *d.* 2. *Longo interuallo reſtitutione facta, poſſeſſoribus tutis præſcriptione*, quid de bonis quondam *eorum, qui reſtituti ſunt, obſeruari debeat. Ibi abolitione* præteritorum lites incidebantur: *hic*, redimuntur *ſatisfactione & contractu.* Qui modus, veluti pugnat, cum ratione Amneſtiæ proprie dictæ Denique, *ibi* compoſitio

poſitio & pax; *hic*, nouum & ſingulare firmandæ compoſitionis inuentum Auctoribus memoratur. Quæ vero amplius vel ex his rationibus dependent, vel ex allatis antea de Amneſtia, repeti colligique à quouis poſſunt, illa conſulto præteruehimur.

6. Itaque Arati factum non magis Amneſtiæ deputari debet, quam Thraſybuli iſtud conſilium, quod Amneſtiam Athenienſem ſecutum, *velut conſequens quoddam eius* aut *effectus*, potius habetur. Cum enim diuiſa adhuc in partes ciuitate, illi qui in vrbe remanſerant, pecunias eſſent à Lacedæmoniis mutuati, poſt amneſtiam conſtitutam quæſitum eſt de reddenda pecunia, decretumq; vt, non ii qui mutuo ſumſerunt, ſed ciuitas tota ſolueret. Adi *Ærodium decret. l. 2. tit. 6, d. 1.*

7. *Exemplum Amneſtiæ, poſt necem Iulii Cæſaris ſuaſu Ciceronis decretæ*, anno V. C. 710. (v. *Dion.* 44. *Plutarch. in Cæſ. f.* Item: *in Cic. Flor.* 4, 7, 3. *Vellei.* 2, 58 *&c.*) pro re nata, ſtatuque rerum ac temporis, vtilis ſane conſilii fuit, ſed euentu fragile ac improſperum. Cuius rei cauſſas, præter eas quæ ex hiſtoria cuiuis obuiæ ſunt, ſubfuiſſe altiores, nullus dubito. *Primum* enim, iniquiſſime Cæſar erat interfectus, Siquidem iuſtitiam

tiam fati omnes agnoſcimus, in eo, quod ille, *qui terrarum orbem ciuili ſanguine impleuerat, tandem ipſe ſuo ſanguine curiam impleuit* (Flor. 4, 2, 95.) quod *in Pompeii curia iuxta Pompeii ſtatuam* occiſus eſt, qui ipſum Pompeium afflixerat (*Dion* 44. *f.*) etiam in eo, quod iniuſte occiſus eſt, qui multos iniuſte trucidauerat: At vero percuſſorum inſtitutum facinusque, in ſe æſtimatum, nullo horum defendi poteſt. *Deinde* Antonius, veriſſimo Flori elogio, *fax & turbo illius ſæculi*, dum teſtamento Cæſaris, varia corruptione, adulteratione, peruerſione, ad ſeditioſiſſima cœpta, contra ius & fas omne abutitur, quid aliud quam ſemina, ſecuturæ mox perturbationis publicæ, ſparſit, i.e. cauſſa extitit violatæ ἀμνηςίας. quæ culpa ei diſerte tribuitur ap. *Appian.* 2. ἐμφυλ. pr. Hinc *denique*, irritata eadem fati iuſtitia, quæ Cæſarem perimi ſiuerat, interfectorum vitioſam & factioſam ὑπόθεσιν, præpotentium ceterorum ambitionem & cupiditates, populi totius furores, prioribus malis nondum manſuefactos, vltura, Octauio vires & ſucceſſum vlciſcendi donauit.

8. *Proxima* poſt hoc tempus *Amneſtia*, Claudiani imperii initiis componendis adhibita eſt. Interfecto enim C. Caligula,

Conſu-

Consules, occupata præsidiis Vrbe, in Capitolium coëgere Senatum. ibi deliberatum de mutando reipub. statu reducendoque populari imperio. Sed cum non possent congruere sententiis (τοῖς μὲν γὰρ δημοκρατεῖσθαι, τοῖς δὲ μοναρχεῖσθαι ἐδόκει, inquit Xiphilinus) interea Claudius fortuito militum fauore ad imperium raptus est: cumque consules ac ceteri, non possent auderentue diutius resistere militibus, ipsi quoque pro Claudio consenserunt. Hinc occasio metus, sinistrique affectus, inter novum principem & ceteros ordines oboriri poterat. nam iniuria aut contemtus videbatur, recusasse Principem; & vlturus dedignantes existimabatur, qui inuitis omnibus obtinuisset imperium pariter ac vlciscendi potentiam. Itaque Claudius (vtut in aliis multis imprudens) prudentissime sibi & omnibus, amnestia promulgata consuluit. Quæ omnia *Suetonius*, breuiter, vt solet, & accurate complectitur, *in Claud.* 11. *imperio stabilito nihil antiquius duxit, quam id biduum, quo de mutando reipub. statu hæsitatum erat, memoriæ eximere. Omnium itaque factorum dictorumque in eo, veniam & obliuionem in perpetuum sanxit, ac præstitit.*

9. Hæc duo exempla, veram & proprie

ita dictam concernunt Amneſtiam. Nam quod *Vopiſcus* ſub Aureliano AMNESTIAN *publicorum delictorum decretam eſſe ait*, cap. 39, ſpectat potius ad repreſſionem calumniarum, *factam conſumtis igni tabulis, atque ad Græciæ morem decreta abolitione*, ſicut interpretatur *Victor de Cæſar*: 35, 6. Licet enim vterque ſcriptor mentionem faciat *Athenienſis* exempli, tamen qualiscunque comparationis ergo potius, quam veræ ſimilitudinis, iſtud fieri intelligendum eſt. Ita apud *Tacit*. 4, H. 44, 1 (cuius loci verba tantummodo, non circumſtantias aut ὑπόθεσιν, ſupra *cap*. 2 §. 12, ad veram Amneſtian accommodauimus) nihil aliud, quam de accuſatorum vindicta, quæ late ſpectabat, ſi diſceptationi indultum foret, cohibenda innuitur. Idem ſentiendum de *Leonis* edicto ἑνωτικῷ; & *Anaſtaſii* ἀμνηστίᾳ, quam *Bodinus* allegat, 3. pol. 7. *Hæc*, inquam, & *ſimilia exempla non niſi improprie*, & ἐν μέρει τινὶ συγχρίσεως, *ad amneſtian*, de qua nobis agere viſum, referuntur.

CAP. IV.

Quibus argumentis ſuaderi, ſi res ferat, ἈΜΝΗΣΤΊΑ *poſſit.*

I. Veræ AMNESTIÆ non pauca, quo-

ties-

tiescunque eius vſus venit, obſtare ſolent, & cum intertrimento mitiorum conſiliorum opponi. præſertim, vbi ratio abſolutioris imperii, & arcana maieſtatis, & magiſtri dominationis, & ſpes omnia ſubigendi, &, ante cetera, intentatum maieſtatis crimen, duriora ſemel perſuaſerunt.

2. At profecto, quam ſunt fallacia iſthæc talia, & tibi tanto magis repudianda, quisquis es, Magne Princeps, quanto ſublimior tua dignitas, & conſpectior non in præſens modo ſed in poſteros fama!

3. Ante omnia certum eſt, longe alio animo ciuilia bella tractanda & penſitanda eſſe, quam externa. Sanctum ciuis, aut vt hodie loquuntur, ſubditorum ordinumue nomen: ſanctum naturæ inſtinctu: ſanctum conſenſu gentium, quæ ſancti in terris quidquam nouerunt, diſcreuerunt: ſanctum, religionis Chriſtianæ cærimonia, ſanctione, legibus. quas nemo impune ignorat aut violat. Et certe hodie nemo ignorat: interim quotuſquiſque non violat?

4. Non indiget res tam nota, explicatione. Vnum conſideretur eius viri exemplum, cuius cum ambitio ſumma eſſet, pietas nulla, ſola impietatis conſcientia, id eſt, iuris

iuris diuini humanique temerati horribilis sensus, in ipso felicis iniuriæ impetu cursuque expressit vocem, laudabilem vtique, nisi fera fuisset, MILES PARCE CIVIBUS. Horruit scilicet in ipso scelere suum scelus auctor, & qui antea, vi ac armis pro iure vtebatur, nunc iniquitatis confessione, cum ipsa, defungi, si posset, cuperet. Videt enim, etiam in tanto rerum temporumque tumultu: *nullam posse satis iustam effundendi per bella intestina, ciuici sanguinis caussam afferri.*

5. Malus est nomenclator, *Affectus.* hic vocabulis nos aliquando decipit, vt *hostes, perduelles, extirpandos*, credamus, qui nec fuere tales, nec sunt, nec tales esse possunt. Consulto breves sumus: nec ad singula hic devenimus. Rursum in ceterorum vicem *Iulius* eat: generatim nos, de peculiaribus haud paucis, moniturus. Pompeium, inexpiabili bello petitum euersumq; deplorat. quis? non tam hostis, qui in huius capitis exitium, orbem fere totum armis exciuerat (quo nomine ridet tanquam Crocodili lacrymas Historicus) quam qui hostē pœnitentia dedidicerat, magnaque vi conscientiæ adactus, ciuem, amicum, generum, seria recordatione, vel inuitus respectabat.

6. Quidni, inquis, pro hoste habeam, quidni vlciscar vi principis, qui in Principatum meum & maiestatem iniurii & noxii fuere? Exuit ciuem, qui spernit principem. neque veniam sperat aut sperare debet, qui ferro grassatur. Gloriosissime Princeps (*quid enim est gloriosius Principe impune læso?* inquit *Senec.* 1. de clem. 10.) si ex præscripto politicorum, omnia ad famam tibi dirigenda sunt, quanta & quam perennis & solida & incomparabilis erit gloria, OB CIVES AMNESTIÆ BENEFICIO SERVATOS?

7. Cum præsertim illa ipsa maiestas, quæ in vltionis irritamentum suggeritur, talis sit, vt conseruando, tuendo, sanando, restaurando statu publico, vnice intendi, amplificari, exaggerari; priuatis autem incrementis & fastigiis non nisi minui aut obscurari soleat. Iudicet omnis ævi, omnium gentium prudentia, an insignius ad laudem & decus regnorum sit: *Vim principis ciuium suppliciis & labefactatione status intendisse*; aut, *principatus robur parcendo ignoscendoque constabiliuisse*? *Egregios bellorum fines, quoties ignoscendo transiguntur*, barbarus rex minime barbare dixit ap. Tacit. 12 A. 19, 3. Triumphi de populis regnisque exteris adquirun-

quiruntur: in ciuium discordia, omnium tropæorum honorem superat, Amnestia, quæ sola immortale elogium & sublime tibi dabit, Princeps, quod Arato Romanorum disertissimus tribuit, 2. offic. 23. *O virum magnum dignumque qui in nostra rep. natus esset! Sic par est agere cum ciuibus: non (vt bis iam vidimus) hastam in foro ponere, & bona ciuium voci subijcere præconis. At ille Græcus (id quod fuit sapientis & præstantis viri)* OMNIBUS CONSULENDUM *putauit: eaque est* SUMMA RATIO ET SAPIENTIA BONI CIUIS, COMMODA CIUIUM NON DIUELLERE, ATQUE OMNES ÆQUITATE EADEM CONTINERE.

8. Stimulat adhuc dolor iniuriarum & vindictæ libido? Imitare Augusti consilium: turpe enim fuerit homines Christianos à gentilium sapientia vinci. Illum quoque acriori morsu non semel tentauit doloris impatientia: quæ in magnis animis cito innascitur. præcipue cum Cinnam sibi insidias struxisse comperisset. *Gemens subinde voces emittebat varias, & inter se contrarias: Quid ergo? ego percussorem meum securum ambulare patiar, me solicito? Ergo non dabit pœnas qui tot ciuilibus bellis frustra petitum caput, tot*

naualibus tot pedestribus prœliis incolume, postquam terra marique pax parta est, non occidere constituit sed immolare? Rursus silentio interposito maiore multo voce sibi quam Cinnæ, irascebatur: quid viuis, si perire te tam multorū interest? quis finis erit suppliciorum? quis sanguinis! &c. *Senec.* 1. de clem. 9. In tanto conflictu præualuit denique iracundię clementia, publicæque tranquillitati condonauit, & supplicium Cinnæ & quicquid irarum conceperat. Ponenda hoc loco est, obseruationis grandioris & melioris nota. Ecce, Augustus, in vno homine puniendo, tantum trepidat. Ecce in reo maiestatis, in manifeste reo, lentus pariter & misericors est. Quidni hoc deceat facere, vbi per Amnestian, ne resp. collabefiat, succurrendum est?

9. Quod vt amplius noscatur, auscultabimus quæso paulisper cum Augusto Liuiæ, minime muliebria aut parum consulta consulenti; apud *Dion.* 55. Prudenter illa Augustum suum monet, *delinquentium facta humaniter iudicanda & discernenda esse.* Multa in se continet, illud, τὸ ἀνθρωπίνως ἐκλογίζεσθ. vt enim prona lapsibus hominum indoles est, ita occasiones peccandi variæ & illecebrosæ, pręsertim aduersus Principem: quem reuerentur, quicunque recte & iuste impe-

imperium cepiſſe aut gerere credunt. quod ſi opinio iniuſti principatus aut tyrannidis animis inſedit, iam nec boni & cordati (loquor quæ fieri ſolent) indignationem ſatis continent. quidam generoſitate ſua indigna ſe pati; quidam, non reſpici ex merito, quidam, violari vltro ſuam auctoritatem exiſtimant, aut ſuſpicantur. aliqui, reip. vicem dolent; tanto fortius, quanto maiore argumento affectum induerunt. accedit potentia, quam debere ſe publico credunt, qui publici neglectum principi imponunt. neque parum hic poteſt, vox animoſi aut ferocis conſultoris ac inſtinctoris.

10. Hæc & ſimilia, rectiſſime ſeparat Liuia, à peruicacibus & malitioſis cœptis. *naturæ impetum, opinionem virtutis & honeſti* (ἀγαθὰ δοκοῦντα εἶναι) potius vocat, quam *rebellium* & *perduellionem*. Et reuera, attendite Magni Principes, an crebrius aliud magnorum virorum crimen legitis, quam crimen Maieſtatis, cum crimine vacarent, aut certe longe intra hoc nomen peccaſſent? Dicam quod res eſt: hic titulus, quo amplificari olim ſueuerat imperii dignitas, infamauit ſceptra non pauca. Quidni ita fieret? adſunt delatores, adſunt adulatores, ad-

ſunt amicorum veſtrorum inimici: hi ex ſuis affectibus & cupiditatibus, apud aures veſtras, quibus nimium ſane abutuntur, aliena facta, vel fingunt vel pingunt, vel interpretando ad lubitum deformant. Et quid dicam? adeo ſæpe caret hominibus vera loquentibus aula, vt ne hoc ipſum quidem licuerit Auguſto, niſi ex Liuia audire.

11. Magnum crimen Maieſtatis; magniſque exemplis vindicandum. neque enim tam proiecta cuiquam Principum ſalus, quin ita ſentiat, ita cupiat. Equidem certatim hic Vobis, ò rerum Domini, multa concedunt leges, multa fauor iudiciorum ſuggerit: ſed profecto, ni fallor, maxima, parce & humaniter vtentis tam diſtricto iure, gloria erit. Multa debet animus Veſter requirere ad probandum; & eo plura, quo pauciora ceteri diſquirunt aut deſiderant. Nam cito & multa complecti hoc titulo, licet non dicam cuius ſit, dixit pro me hiſtoria, neque vnquam non iudicabit poſteritas.

12. Hanc quoque ſeueritatem gratularemur ſceptris, & amneſtiæ lenitati præferremus vtique, ſi ſecuritati hac ratione foret conſultum. At vero ille ſanguis, Cad-

mæam ſementem ſpirat. neque omnes, qui obſtant regnantis voto, tolli ſemper poſſunt. quoſdam vltro ſubducit fatum, & alteri ſæculo reſeruat. Dicerem ferme: ex oſſibus nonnullorum vltorem oriri poſſe. certe experientia docuit, ſolam ſæpe ſupplicii memoriam, poſteritatis inuidiam & iras proritaſſe. Interim *nec fieri poteſt, nec ſi poteſt, iuſtum eſt*, quod rurſum Liuia expendit, *vt nobilitas in ignobilitatem, fortitudo in ignauiam, prudentia in ſtuporem, commutetur: accìſisque fortunis omnibus, etiam viuidi ſpiritus contundantur deprimanturque.*

13. Et quandoquidem regium eſt, ſapere ſublimia: aſcendere vidimus laudatiſſimos Principum altius, atque ita ratiocinari: *mouit aduerſus me gladium ille & iſte. huius conſternationis cauſſæ prius, quam participes, exſcindendæ erunt. cumprimis autem diuina mihi prouidentia precanda, vt quod vel pœnæ vel monitionis loco immiſit, non in occaſionem ſæuiendi, ſed in pietatis, clementiæ, iuſtitiæ occaſiones traham. Non comprimuntur fortius aut fidelius refractarii, quam ciuili iuſtoque imperio. non redditur libentius obſequium à male parentibus, quam ſi bene parentibus relinquantur aut reddantur ſua iura. Denique cum non omnia poſſim arbitrari & diſceptare, committenda plera-*

que sunt Deo, quo nemo potentius, nemo amantius tuetur Principum thronos & coronas. Ille malitiosis, quibus ego peperci, non parcet: ceteros mihi, me illis seruabit fidos amicosque. Longe satius est tulisse quasdam iniurias & reliquisse, quam vlciscendo modum excessisse. Principem enim non iniustitia modo, sed iniustitiæ opinione ac suspicione decet vacare.

14. His & similibus meditationibus præparari poterat animus Dei metuens ac reuerens, ne ab Amnestia in ciuilibus bellis vnquam abhorreret. Frustra *successum & spem præmiorum* ostentant ex diuerso magistri dominationis. Quis enim tam est in rerum vsu ac fatis peregrinus, quin instabilem fortunam, incertas felicitatis & breues vices, immissos velut ex alio orbe nouos inopinabilesque casus, in oculis habeat? Vulgariter loquor de re in vulgus nota. Alias celsius pariter & firmius me loqui docuit pia diuinæ gubernationis obseruatio. *Semper displicent Deo bella ciuilia & eorum artes: ergo reuocat plerumque bellantes admonendo, inuitando, occasionem pacis suggerendo: Hoc tempus si neglectu aut contumacia transmittitur, sequitur indignatio neglecti pacificatoris, vt sic dicam; & conuersio fortunæ negligentium.* Gentiles, *irritatæ fortunæ, irreueren-*

uerenter habitæ, fatigatæ iras, memorant in re, cuius euentum potius quam caussas & seriem capiebant.

15. Minus erat mirabile, si inter initia, ante fusum sanguinem, ante illata aut accepta tristia, tumorem animi retinerent. sed postquam omnia cladibus, cruore, strage, miseriis, incendiis, rapinis, fœdata, vastata, exhausta, consumta sunt, posuerit necesse est inter inhumana omnia, ipsam humanitatem, qui eius excidium amplius cupiat aut optet. *An non videmus* (vtar verbis Tullii ex Dion. 44.) *quamdiu nos & nostra ciuile bellum attriuerit: nihil tam indignum quod non perpeßi simus aut fecerimus? Quis numerare potest vim pecuniarum, ademtam ciuibus, extortam sociis, acceptam fœnore, impensam aduersum nosmet inuicem ipsos? Quis numerare potest, viros claros duntaxat & præsidio patriæ aduersus vim exteram quantamcunque futuros, quos ferrum & bellum absumsere? Sed hi quidem militari morte defuncti: ceteram turbam quis satis defleat? quis senes, pueros, infantes, mulieres in triuiis, in foro, in curia, in templis; ludibrio habitos, enectos, vitiatos, discerptos, trucidatos, digne queratur? Tantum dedecoris & iacturæ nemo hostis vnquam nobis intulit, nec fortasse optauit inferre. vt prorsus existimem non*

hominum nos hactenus vitam sed ferarum vixisse. Hæc de suo tempore Tullius vere & libere, cum Amnestian suaderet: ratus neminem futurum, quin vel conspectu tantorum malorum ad mitiora verteret.

16. Vtinam hodieque vel Tullius vel Thrasybulus aliquis Germanicus esset, qui reliquias Germanorum, ostensis Germaniæ suæ ruderibus, in miserationem tandem & pudorem ex furore demutaret! Nostri Hectores, nostra Troia, nostri equites, noster senatus; nostri exercitus; nostra consilia, nostra robora, iacent, sepulta sunt omnia.

Heu quantum terræ potuit pelagique parari,
Hoc, quē ciuiles hauserunt, sanguine, dextræ!

17. Monuerunt ante hoc sæculum veluti præsagi quidam & vates Germaniæ, viri pietate, doctrina, generositate, amore in Patriam non minus quam nomine suo noti. suadebant, *in Turcorum capita effundendum, quicquid Germanorum terris irarum conciperetur vel immineret. inuictam foris gentem fore, quam diu concordia domi maneret. qua violata, quidquid vspiam esset ambitiosarum gentium, in prædam aduolaturum esse.* Illi si nunc viuerent, qua erant animi nobilitate & prudentia, *non esse hoc tempus*, dicerent, *quo in ipso patriæ communis funere & busto, post-*

quam

quam tot ac tanta intra Iliacos muros pariter & extra commissa sunt, tam solicite & curiose in mutua errata inquirere, pœnas meditari aut minitari, ambigere super formulis disceptationum, deceat. Arma ciuilia neque parari neque haberi per bonas artes posse, satis notum est. *Igitur mutua malefacta mutua venia abolenda esse. nunquam male emi pacem, malefactorum & damnorum & sumtuum cōdonatione, id est, amnestia: præsertim autem in vltimo rerum omnium articulo ne cunctationi quidem locum superesse. in extremo morbi periculo, non disceptare ægrum de vasculo medicamenti aut suauitate, sed arripere salubritatem. vehementer itaque in publicum iniurios consultores, & intempestiuæ artis magistros, qui de honoris & fastigii principalis, inani pompa, moras & rixam ferant. Generosis facile conuenire: inter quos, qui inferiores sunt, superiorum maiestatem comiter & libenter obseruant: ipsi autem, quos in summo fortuna collocauit, facile intelligunt, non posse se amplius ascendere, quam si se ipsi submittant, & in bona pacis publicæ, in amorem ciuium, in comitatem Amnestiæ, qua hæc omnia continentur, vltro descendant*. Abeat in Hetruriã suam, Machiauelli alicuius oblatratio: abeat vltra Gades, indigna nostro orbe vafrities: quæ cum omnes speciosæ fallaciæ conatus impendit

ad

ad Regum amplificanda regalia, vt præferunt aliqui; intelligas denique, tantum ab excelsa & Christiana sapiendi sinceritate abesse degenerem & humilem versutiam, quantum ab ipso principali fastigio, omnis vitiosa turpitudo & ignobilitas abesse intelligitur debere. Plura pete ex *Cl. Viri Matthiæ Berneggeri p.m. Præceptoris nostri nunquam sine veneratione memorandi, Orat. IV. de Amnestia.*

18. Finiendum est voto, quo precamur: *vt redeat terris expulsa pietas, & moderati animi æquitas, & ex vtraque Amnestia, & ex Amnestia pax, & ex pace,* DEI *gloria: quam bellorum furor, heu quam diu, quam immaniter temerauit!*

ΤΕ'ΛΟΙΤΟ.



INDEX

INDEX.

Cuius primus Numerus librum; alter caput; Tertius capitis sectiunculam notat.

A.

absurd.

accire

Atta-

ita

B.

C.

cater.

colli-

Dal-

diffi-

 Diphi-

exce-

exse-

falle-

 te

gens

ille,

insi-

L.

M.

 infer-

 2, 13, 2

quæ

[illegible] p. 506. 2

R.

Regu-

robur,

Semno-

omnia

FINIS INDICIS VELLEIANI.



ERRA-

ERRATA

Potiora, quæ inter relegendum obſeruaui, ita emendabit Beneuolus Lector:

In Textu Velleii.

1, 4, 1 *Pro* Erethriam *lege* Eretriam.

1, 15, 4 abhinc annos ferme DLVII *leg.* CLVII.

2, 30, 2 trumpho *leg.* triumpho.

2, 47, 1. pugnatum ſæpe eruptionibus. *omiſſa ſunt duo membra. lege ergo*: pugnatum ſæpe directa acie, ſæpe in agminibus, ſæpe eruptionibus.

2, 47, 2 *pro* magni *leg.* Magni.

2, 79, 1. ſuſpicere *leg.* ſuſcipere.

2, 88, 1 veo *leg.* vero.

2, 92, 2 comitis *leg.* comitiis.

In Notis.

Pag. 63 protentoſa *leg.* portentoſa.

69 oncesſuri *leg.* concesſuri.

96 illa lacrymæ *leg.* illæ lacr.

ibid. in paratu *leg.* in promtu.

107 ἀγονιζομένην *leg.* ἀγῶνιζ.

111 idoque *leg.* ideoque.

120 cum extraneus *leg.* cum extraneis.

207 tarum *leg* tamen.

249 Muncm *leg.* Murcum.

251 ſcipſere *leg.* ſcripſere


256 potitus eſt *leg.* pot. ſit.

287 ſuper hoc argumenta *leg.* ſup. hoc argumento.

Locus *Aurelii Victoris*, de quo *pag.* 260 obiter dubitataui, recte ſe habet.

Quæ in Indice (vt & in ceteris) omiſſa aut commiſſa ſunt, ſecundis curis emendabuntur, ſi DEO viſum fuerit.

FINIS.



391

JOANNIS HENRICI
BOECLERI

CHARACTERES POLITICI
Velleiani.



ARGENTORATI
Typis JOAN. PHILIPPI MÜLBII,
ACADEMIÆ TYPOGRAPHI.
An. Christiano

M DC XLII.



Viro Nobilissimo Amplissimoque

IOANNI GEORGIO STYRZELIO
Consuli Rotemburgico,

JOANNES HENRICUS BOECLERUS

S. P. D.



Uoties à Te litteras accipio, Vir Amplissime, quibus me subinde perhumaniter comiterque inuisis, toties cupiditate accendor, referendæ, si qua possim, gratiæ. Nam & eximiis rarioris litteraturæ monumentis auctiorem fecisti meam Bibliothecam, omnique officio, amicitia, honore non destitisti hactenus me complecti. Accedit præclara eruditio, & maior omni eruditionis æstimatione Germanus animi Tui candor: in quo quasdam veluti reliquias prisci & melioris æui agnoscere, & ad solanda degeneris sæculi tædia sæpe soleo venerari. Nam de ceteris dotibus, quibus reip. & Musis, prope ex æquo prodes, non est huius loci sermonem ordiri. Venit ad Te ista pagina, nil nisi professionem obstrictæ voluntatis nuntiatura: cuius

fidem,

fidem, ex veteri formula, vel hæc dextera fecerit, qua scribo & iungo fidem. nisi fors amica interpretatione, pignoris vicem obire credis posse CHARACTERES VELLEIANOS. *Quibus honori erit, præscriptum nomen Tuum Lectoribus ostentare: fauoris scilicet occasionem in Virtute Tua inuenturis, quam in scriptione nostra non inuenient. Commentatiuncula est scholastica, inter ceteros labores exercitationi Studiosæ Iuuentutis dicata: cuius dum tempora & profectus in oculis habeo, facile ornatum & pompam sepono. Alias enim fatendum est, multam magnamque in hoc argumentum subtilitatem cadere. cuius tamen, ni fallor, rudimenta, ante ipsam, discentibus commendanda sunt. Id quod Tibi amplius iudicandum relinquo: cui tam iucunda esse scio Academicorum conatuum qualiacunq; monumenta, quam prospera semper apud litterarum amatores, nominis Tui memoria erit. Vale, Vir Amplissime, & præclare remp. gere. Scrib. Argentorati XV Augusti, ann.* CIↃ IↃC XLII.

CHARA-

CHARACTERES POLITICI VELLEIANI.

CAPVT I.

Cap. I.



Ingularis est plane, quod iam alibi monuimus, *Velleii Paterculi* in describendis & veluti nota publica signandis hominum naturis diligentia. Hinc videre est descriptiones personarum & elogia ingeniorum, quæ subinde decenter vtiliterque historiæ suæ inseruit, philosophiæ politicæ plurimum, nec minus facundiæ continere, deniq; prorsus eo dirigi, vt per quosdam quasi *Characteres Politicos*, ab auctorib⁹ rerum atq; agentibus ad recondita & præcipua omnis actus in rep. principia proficiamus.

Velleianæ descriptiones laudatæ.

2. Hoc enim demum in prudentiæ ciuilis studio ad interiora negotiorum perspicienda apprime proderit, si non gesta modo & euentus, sed rationes indagemus caussasque. è quibus, post supremam vim & gubernatricem, vel præcipua est, indoles hominum varia, ingeniorumque studia & propensiones.

cũ præsertim plurimum sit momenti ad ciuil. prud. in notitia animorum.

3. Cuius obseruationis amplissimæ ac subtilissimæ, non alios ferme habemus

quàm præcipue Historicè tradunt.

bemus magiſtros, quam Hiſtoricos. Pleriſque aliis, partim negligitur, partim per tranſennam inſpicitur, aut perfunctorie traditur nobiliſſima cognitio: Hi ſoli intellexiſſe primi & accurate videntur monuiſſe, quantum ſit arcanum ſapientiæ in NOTITIA ANIMORVM.

& inter eos in deſcriptionibus ſuis Velleius.

4. Exempli vicem poterunt præſtare, quæ *Velleius* noſtræ commentationi ſuppeditabit. cuius deſcriptiones, modo memoratæ, plane nobis erunt quod diximus: *notationes* nimirum *ciuiles*, quibus non tam perſonarum deſignemus diſcrimina, quam fati publici momenta ſuis quæque locis diſponamus.

Quem nos ſecuti ita hoc argum. tractabimus,

5. Poteſt equidem *Notitia animorum* etiam *priuato reſpectu* tractari, quatenus naturæ dotes, &, quo illæ excoluntur, vſus vitæ in ſe attenduntur; quali commentationis genere Eximiorum Hominum induſtriam pridem vidimus inclaruiſſe: Verum nobis omnia hic *ad remp.* dirigere animus eſt, in cuius commoda aut damna redit, quicquid in homine indolis artiſque reperitur.

vt ad remp. omnia referamus.

6. Scilicet alia iuuant alios in eodem argumento. Nam & parentes propinquique, ſuorum ingenia in occaſionem

nem domesticæ ſpei aut educationis nouiſſe, aliquando ſatis habent; & philoſophantium curioſitas, plerumque vltra naturæ, quam rimantur, adyta vix egreditur: At vero viri ciuiliter periti & prudentis obſeruatio diſciplinam ſuæ ciuitatis non tam in fori actionibus, in orationibus curiæ, in opere caſtrorum, quam in domo, imo in animo cuiuſque perſcrutatur.

7. Atque hic, cum diuerſitas maxima inquirenti ſtatim occurrat, prima curæ pars & in cetera ſubſidium erit, ſi paucæ & certæ claſſes quædam conſtituantur, in quarum ambitum cetera multitudo contribui vniuerſa, & ſua rurſum ſerie ac partibus diſtribui poſſit. *Et quanquam non inutiliter vulgo ingenia diuidantur,*

8. Animaduertimus enim ſane, plurimorum quidem ingenia & eſſe & appellari debere *Vulgaria*, quæ & numero plerunque & naturæ quadam humilitate æſtimantur. his ſuperuexit alios maioris indolis nobilitas, quos propterea *Eximios* ciues dixeris. Tertia *ſingularium & ſummorum hominum* ſors eſt, quæ in excelſiſſima quæque & tendit & ſufficit. iis *Heroicus Character* inde ab antiquo viſus eſt competere. *In Vulgaria, Eximia, & Singularia ſiue Heroica,*

item in Bona, Mala, Mixta: 9. Solet & illud in conſideratio-nem hic venire, quod ex omni ciuium genere, quidam, prout ingenio vtuntur, *Boni*; quidam *Mali*; quidam *Ambigui & mixti*, merentur exiſtimari, idque pro ipſa indolis diuerſitate, ratione non vna, nec æquali deprehenditur euenire.

potiſsimũ tamen ſpecies harum partiũ ſingulas ſcrutari oportet: 10. Ad hos, vt ſic dicam, ingeniorum ordines referri poteſt ingens illa & multis ſeorſim nominibus diſtinguenda noſcendaque varietas. ad quam interim potiſſimum & adeo reſpiciendum eſt, vt à tot generibus hominum, vſque ad ἰδιωλάτην φύσιν, qualem Tiberio Imperatori *Dio Caſsius* tribuit, penetremus.

ea, quæ hic proponitur, methodo: 11. Quæ cognitio vt recte nobis ac ordine ſuccedat, id eſt, vt ad remp. & ciuilem prudentiam ex arte componatur, condiſcendum erit, *Quid vnumquodvis ingenium Publico minetur aut promittat: quibus artibus ac viis in deſtinata tendere ſoleat: quibus vel ſubſidiis promoueri, vel remediis impediri queat.*

Cuius adminicula commemorantur. 12 Tenebimus hoc inſtitutum in præſenti opuſculo, & obtinebimus, ſpero. præſertim cum nec inſtrumenta nobis & ſubſidia longe petenda ſint. Ipſa nos Hiſtoriæ philoſophia docet, *naturæ*

inſpectio-

inspectionem, euentuum observationem, negotiorum diiudicationem, imminentium diuinationem. Hæc si erudite non arroganter, cordate non curiose exerceantur, rem præstabunt in ciuili vita pulcerrimam, ne toties dicendum sit, *quis putavit? quis prouidere rebus, quis obstare fato potuit?* *Totius argumenti vtilitas illustratur*

13. Ita enim ignorantiam suam ac ignauiam velare homines solent, vt quidquid culpa & securitate sibi consciuere, fato inuidiose tribuant. Sane vero, multa nobis propterea fato immittuntur, quia fatum non præuidimus, non præuenimus. Quid ergo? an diuinam constitutionem humana interuertet sollertia? Minime gentium. Sed nos improbitatem hominum à fato non distinguimus, & fortunam euentuum non caussis, sed caussa æstimamus. *exemplis errantium,*

14. Nunquam maius passa est deliquium Romana prudentia, neque crebriores solœcismos, vt ita dicam, politicos admisere sapientes, quam à Gracchanorum tempore tumultuum, vsque ad constitutum ab Augusto Principatum. Centum circiter annis tum de cetero varie, tum in eo est præcipue erratum, quod verba potius attendebantur facundo- *& solœcismis politicorum:*

rum, quam ambitioſorum obſeruabantur ingenia. Occidebantur Gracchi, ſed tot ſuperſtitibus poſt Gracchos in vrbe Gracchanis ingeniis nemo obuiam ibat. Marium publica execratio deteſtabatur; ſed, cuius opera Marium perſequebantur, Syllæ non videbant Marianam indolem ineſſe. cui rurſum veriſſime prædicenti, *Cæſari multos ineſſe Marios*, & creditum & regeſtum oportuit, quod de alio ominabatur.

15. Ludi ſimile eſt, ne dicam monſtri, quod Antonium poſtea tam craſſe pleraque molientem, tam male animum ſuum diſſimulantem, nemo ferme intellexit, præter Ciceronem: qui ipſa viri impii præcordia in ſenatu primus detexit, & publice inſpiciendum ciuitatis hoſtem præbuit. Idem, qui de Octauio, pæne puero, ea prouide auguratus eſt omnia, quæ is aduerſus remp. & auſus deinceps & executus eſt.

quos nec perſpicaciſſimus ille Cicero euitauit.

16. Verum ille ipſe tam ſollers ingeniorum Scrutator, parum nobis approbauit artem ſuam, cum, quod eſt apud Noſtrum (2,62,6) *Cæſarem Octauium laudandum & tollendum*, diceret. Videris enim, Marce Tulli, optime quidem ſemper

ſemper de ingenio potentium & dominationem affectantium iudicaſſe: verum nec de Populi nec de Senatus Tui, tot iam annorum conſuetudine firmata indole, vllam eo tempore cogitationem ſuſcipiebas, cum primo Dictator Cæſar occiſus, poſtea, Octauius Cæſar occidendus, pulcerrimum Tibi facinus videretur. Nonne enim publici moris genius is iam erat, vt alternatione nouandarum rerum perpetua, modo euectum aliquem ad potentiæ faſtigium cuperent homines, mox vellent deturbatum, & huius quoque voti compotes, rurſum euecturi erant alium, licet imparem, eo fine, vt deiicerent. donec incidiſſet hæc vanitas in fatalem ſcopulum, quem iam debilitare nequiret. id quod in Auguſti principatu merito accidiſſe, exiſtimandum eſt. Ergo non tam Octauii, quam ciuitatis ſuæ (quæ in hanc inquietudinem auſpicio tribunitiæ ſeditioſitatis, inter aſſidua bella ciuilia degenerauerat) ingenium ſuſpectare debebant eorum temporum ſapientes. Obſeruauit hoc præſertim & notanter monuit *Dio Caßius*: (*lib.* 45) qui & alias vbique incomparabili dexteritate, ingeniorum

arcana euoluit & remp. tractantibus aut tractaturis insinuat.

Inscriptionis ratio redditur,

17. Nobis ad rem ipsam accedendum est, cui, quod præfiximus, nomen suo iure videbatur competere. Nam ea designandi discernendiq; euidentia curaque vtitur Velleius, vt notis & Charactere quodam monstrare videatur, quem describit : et cum nihil hic spectet, præter παίδευσιν illam πολιτικήν, quam erudita Historia spectare solet, habemus sine omni curiositate inscribendi, *Characteres Politicos.* id quod è superioribus hoc loco disertis verbis, repetere visum est. Poteramus fortasse etiam nostrum consilium in declarationis parte adferre: qui ita hic versari constituimus, ne disconuenire indici scripturæ genus videatur.

& quam late pateat, monetur.

18. In quo hoc amplius notamus: Referri nostros Characteres non ad solas *ingenii dotes*, sed coniungi semper *artes animi* & *disciplinam vitæ*. Quippe quæ in ciuili actu, mutuis operis in vnam vim coalescunt: neque adeo hic, instituti ratione, diuelli possunt.

CAP. II.

1. INcipiemus autem ab iis, quos & *Velleius* Noster & sua facta primos faciunt, ac eminentissimos. Quales potissimum tres reperimus: SCIPIONEM AFRICANVM, IVLIVM CÆSAREM, AVGVSTVM. An *Pompeius Magnus*, an alii, in aut infra hunc censum collocandi sint, suo postea loco disquiretur.

Initio ab Heroicis ingeniis facto.

2. Interim istos prorsus in Heroibus numeramus. Heroas nimirum hic vocare conuenit, citra omnem ethnicæ superstitionis respectum, viros inusitata & prorsus singulari atque admirabili magnitudine ingenii diuinitus donatos, artiumque præcipuarum promtitudine adornatos, & ad summarum publicarumq; rerum effectionem destinatos.

ostēditur quid per Heroëm hic intelligatur.

3. Superuecta vulgi intelligentiæ sublimitas ea, & vix sapientibus suis penetranda, certe nemini gentilium satis penetrata est. Stupent & admirantur & pene adorant splendorem Heroicum, sed vsum & vim heroicarum artium ac finem, iuxta cum ignarissimis sciunt.

quod gentiles non satis assecuti sunt.

4. Nobis, si in transcursu talia fas est perstringere, ita videtur se res ea ha-

veriorem sentētiam exemplis declaramus.

bere. Cum Deus, vt ſub exemplo loquar, conſtituiſſet inſolentem Perſarum potentiam deprimere, Græcos vero, quibus & antea ſingularis præcellentiæ beneficia præſtiterat, ad ſummi imperii dignitatem attollere, formauit, vt ſic dicam, & finxit ſibi virum, qui maximis rerum vel profligandis vel componendis condendiſq; par eſſet. Atq; ita in *Arietem diſparicornem Hircus* percuſſor & conculcator, in Darium Alexander immittitur. Sicut poſtea cum Græcorum potentatus aliarumque vitia gentium felicitatis ſuæ modum ſiue impleuiſſent ſiue fatigaſſent, Romæ *Iulius* naſcitur: cuius immenſa vis ingenii & pæne ſupra hominem artes, transferenda in Romanos ſumma rerum eniteſcerent. Prorſus vt ante in Carthaginis excidium Scipio exortus erat.

præterita deſcriptione pleniori, 5. Diximus alibi, quomodo huius loci philoſophia ad cordatam piamque grauitatem inſtauranda ſit. Quare *Comment. Nepot. p. 34 & ſeq.* nec illa hic repetimus, quæ ad explicandam naturæ admirabilis præſtantiam, ad *& artibus Heroicis tam Maioribus* enarrandas animi heroici artes pertinent. quarum aliquæ *Maiores* vocari poſſunt, id eſt, *Solidæ virtutes*, quales e. g. in Alexan-

Alexandro commendat diligentissimi stili Scriptor Q. *Curtius* 5, 7, 1. *Item* 10, 10, 5, 27 *&c.* aliquæ *Minores leuioresq;* censeri solent, quibus tamen non minimum ad maiora robur inest, quæque dexteritati serii actus inuandæ ornandæque destinantur. Talia quædam in *Curtii l.3. c.6* sub finem, comparent. *quam Minoribus:*

6. *Velleius*, vt in arctiore scripturæ instituto, *Minora* isthæc, quæ vocauimus, ferme subintelligenda è maioribus relinquit: Sicut ipsius verbis, quæ nunc adducenda sunt, manifestum euadet. SCIPIONIS tale est elogium *lib.* 1 *cap.* 12 quod fuerit, *Vir auitis P. Africani, paternisque L. Paulli virtutibus simillimus, omnibus belli ac togæ dotibus, ingeniiq; ac studiorum eminentissimus sæculi sui: qui nihil in vita nisi laudandum aut fecit aut dixit, aut sensit.* His addi par est, quæ leguntur 1, 13, 3. *Scipio tam elegans liberalium studiorum omnisque doctrinæ & auctor & admirator fuit, vt Polybium Panætiumque, præcellentes ingenio viros, domi militiæq; secum habuerit. Neq; enim quisquam hoc Scipione elegantius interualla negotiorum otio dispunxit, semperq; aut belli aut pacis seruiit artibus: semper inter arma ac studia versatus, aut corpus periculis aut*

ad descriptiones Velleii properantes. Vbi primus Herou describitur Scipio.

ani-

animum disciplinis exercuit. Vide etiam 2,4. Accedit his laudibus cumulus ex commendatione *L. Paulli*, & *P. Africani* (aliunde illa quidem satis nota, cum in fragmentis Velleianis non supersit) cum quibus hunc Scipionem comparauit. Interim aliorum quoq;, quibus tantum Virum designarunt, iudicia scrutari profuerit: *Ciceronis in Lælio cap.* 3. *Val. Max.* 2,10, 4 *It:* 4,3,13. *Eutrop.* 4. *Liu. epitom.* 49. *Appian. Libyc.* &c.

deinde I. Cæsar.

7. IVLIVS CÆSAR ita describitur 2,41,1 & 2: *Hic nobilißima Iuliorum genitus familia, & quod inter omnes antiquißimos constabat, ab Anchise ac Venere deducens genus, forma omnium ciuium excellentißimus, vigore animi accerrimus, munificentiæ effusißimus, animo super humanam & naturam & fidem euectus, magnitudine cogitationum, celeritate bellandi, patientia periculorum, Magno illi Alexandro, sed sobrio neq; iracundo simillimus* (fuit) *qui deniq; semper & somno & cibo in vitam non in voluptatem vteretur.* Huc pertinet, quod 2,47,1 *tantas res geßisse* dicitur, *quantas audere vix hominis; perficere, pæne nullius nisi dei fuerit.* item, quæ de clementia eius habentur 2,52,4. 2,56,1 & 3; quæq; alia eiusmo-

di paſſim occurrunt; illuſtranda amplius, collatis quæ traduntur *Plinio* 7, 25. *Ciceroni pro M. Marcello*, *Plutarcho & Suetonio in Cæſare*, *Val. Max.* 3, 2, 19. 6, 9, 15. *Dion.* 44, *in laudat. funebr. Cæſ.*

8. AVGVSTVM non quidem commemoratione laudum ſingularum, ſed collecto velut in magnificam breuitatem, rerum ampliſſimarum titulo æſtimandum proponit Hiſtoricus. *Conſulatui Ciceronis* (inquit 2. 36, 1) *non mediocre adiecit decus natus eo anno* D. AVGVSTVS: *omnibus omnium gentium viris magnitudine ſua inducturus caliginem.* Cetera ſparſim & ex occaſione traduntur. 2, 59, 4 *ſingularis indolem iuuenis* laudat: et mox inſequenti cap. *conditorem conſeruatoremq; Romani nominis fato deſtinatum*, qua occaſione *cæleſtem eius animum humanisq; conſiliis ſuperuectum* memorat: alibi ſæpe, *virtutem*, *fortunam*, *lenitatem* aliaque extollit. Sed ea cuncta liberalius ſtilo ſignauere *Sueton: Aug. Dio* 56 *& paſſim. Aurel. vict. epitom.* 1, 19. *Hiſt. miſcell. l.* 7. *& quicunq; ferme in eius mentionem incidunt.*

tertio Auguſtus.

9. Vniforme in tribus iſtis ingenium, vel ob hoc ipſum non potuit nota diſtinctiore inſigniri, & pro ceterarum de-

Quæ deſcriptiones paulo generalius cõceptæ.

descriptionum arte in breuem iudicii ac differentiæ gyrum redigi, quia omnis præstantiæ capax, aut compos, supra reliqua potius collocandum, quam inter reliqua dignoscendum erat.

requisita tamen characteris Heroici satis insinuant.

10. Interim quædam hic obseruamus, quæ intelligi volunt Scriptores, cum de talibus loquuntur. Characteris nimirum Heroici τὸ καθολικὸν, τὸ δραστήειον, τὸ μεγαλοπρεπές. Nec enim vna alteraue dote eminent, vt plerique excellentes Viri, sed plurimis: & quocunque se intendunt, admirabili sui actus efficacia pertendunt: & splendorem suæ magnitudinis, non cum apparatu ostentationis, sed per venerationem operis, humani generis conscientiæ infundunt.

11. Hoc est, quod *omnes belli ac pacis dotes* in vno Velleius memorat: quod *vigorem animi, celeritatem bellandi*, ceteramque rerum moliendarum atque efficiendarum vim extollit: quod splendoris tanti admiratione pleraque alia *caliginem habere* contendit. Quorum non aliqua in vno è tribus, sed omnia in singulis animaduertere licet. Id quod tum Historicus Noster in contextu operis

ris passim, tum res ipsa in gestorum consideratione abunde declarat.

12. Verum age, *quid hæc ingeniorum, vt ita dicam, portenta boni maliue denuntiant Reipublicæ? quæ sperandi metuendique publice prudentia hic se pandit?* Memorabilis vtique & oppido fructuosa, sed difficilis eadem arduique plena conatus. Versatur enim hæc quæstio, in nobilissima sapientiæ ciuilis parte (illam dico, quæ prospiciendo diuinandoque totius reip. penetralia scrutatur) nec ab vllo, quod sciam, certa planaq; ratione hactenus pertractata est. Conciliare id nobis æquos iudices debet, si quid minus quam par erat profunde cogitatum, incommodius & imperfecte enuntiemus.

Prima pars commentationis, ex methodo supra 1, 11 indicata tractat: Quid ingenia heroica publico polliceantur minenturue.

13. Ac principio quidem, cum Heroum ortus, sicut supra monuimus, non sine fati cura consilioque existimandus sit contingere, vniuersim & statim Viro Reip. intento ea se suggeret cogitatio: *DEVM rerum omnium siue publicarum siue priuatarum moderatorem, constituisse magnis euentibus insignire ea tempora, quorum expectationi Heroum natiuitatem suppeditauit.*

vbi ante omnia Dei consilium pie cognoscendum:

14. Ita, cum rem Romanam, fortunan-

qui ipso Hero-

tum ortu quodamodo significat., magna imminere.

tunante cælo, illuſtre incrementum maneret, Scipio noſter is erat, non tam hominum iudicio poſt euentum, quam deſtinatione ſupremi Numinis, ante fortunam, *cuius opera ſuper totum terrarum orbem Roma efferret caput*: ſicut Velleii verba notant 2, 4, 6.

15. Debuit poſtea toleratis magnis concuſſionibus & conuerſionibus, ſuprema eſſe & eminentiſſima; antequam caderet, Romana maieſtas. Huius tanti imperii excelſiſſimum faſtigium, ſiue eius faſtigii periodum præcipuam, qui ſuſtineret, ingenti Viro opus erat. Atque huc Auguſti illa *magnitudo incomparabilis* Velleio laudata 2, 36, 1, ſpectabat. hæc (vt *Mamertini* verbis huic propoſito *accommodatis*, Noſtri Auctoris breuitatem vel penſemus vel explicemus) nata erat, *admittere in animum tantæ reip. curam & totius orbis fata ſuſcipere, & in tam arduo humanarum rerum ſtare faſtigio, ex quo veluti terras omnes & maria deſpicias, viciſſimq; oculis & mente colluſtres; vbi ſit certa ſerenitas, vbi dubia tempeſtas: accipere innumerabiles vndiq; nuncios, totidem mandata dimittere, de tot vrbibus & nationibus & prouinciis cogitare, noctes omnes dieſq;*

paneg. Maxim.

perpeti

cap. 2.

perpeti ſolicitudine, pro omnium ſalute tranſigere.

16 Quo reſpectu nihil prohibet arbitrari, ſomnium Q. Catulo & Ciceroni de Auguſto adhuc puero oblatum (de quo eſt apud *Sueton. Aug.* 94. *Dion.* 45. pr.) prorſus à diuina prouidentia originem habuiſſe, monitura principes Reip. quantum eſſet, quod de publicis fatis ſtatuiſſet. Nimirum

— ſunt maxima cordi
Regna Deo, donatq; aliquid plus ille tyrannis
Conſilii, quam priuata ſit mente repoſtum.

ſicut de præſagiis talibus autumat *Apollonius preſbyter excid. Hieroſolym. lib.* 1. Quanquam ea plerunque eſt hominum aduerſus imminentes magnos & fatales euentus hebetudo, vt nec diuinandi prudentia diligenter, neque Numinis bonitate monituque reuerenter vtantur. Certe hi tales tantique Viri, quod coniectura aſſequi pæne debuerant, ne ſignis quidem & oſtentis credidere.

17. Sicut autem omnia quæ homines agunt in ciuili vita, ita vel maxime memorabiles illi euentus, quibus fatalia publicarum rerum momenta, tanquam in cardine ſuo, voluuntur, vi

Magna, inquã, Pace belloque.

bellorum partim, partim diſpoſitione pacis continentur: quemadmodum ex omnis æui hiſtoria conteſtatiſſime exploratum habemus. Quo fit, *vt propte τὸ καθολικὸν τοῦ ἡρωικοῦ χαρακτῆρος, non minus bella & tropæa ominari debeamus de ſummis iſtis ingeniis, quam pacis & civilis habitus monumenta.* quoniam in vtrumque promti, à neutro penitus videntur ceſſaturi.

præualitaque ferme bellorum *expectatio.*

18. Præſertim cum bellorum ſemina paſſim latitantia vltro ſe exerunt (in qualia ferme tempora Heroes ſeruantur) vel vbi virtuti materia quæritur, & triumphorum amore pax contemnitur, aut non niſi victoriis petita optatur. Quo fit, vt inuoluatur resp. bellis bella parituris, & ex quiete nullam aut tardam laudem ſperent, qui bellicis laudibus iam innutriti ſunt. Secus, quam de ſingulari Traiani moderatione opinatur *Panegyriſtes c. 16.*

vnde fit, vt formidabilis, aliquando Heroica indoles ſit:

19. Quocirca eam virtutis magnitudinem ſæpius ſuſpectam habere prudentes ſolent, metuque pro ſubſidio hic vtuntur. Quale quid (vt è propinquo exemplum petam) in electione ſummi Principis animo agitaſſe Treuirenſis Elector videtur apud *Thuan.* 1 &

Sleid.

Sleid. 1, cum de imminente Germaniæ fato præſaga voce admoneret.

20. Equidem non leues eius formidinis cauſſæ, quoquouerſus animum intendas, ſe emergunt. Nam vt eximia præſtantia eminere cernuntur Heroicæ naturæ, *ita ſuis viribus in vtramq; partem vti poſſunt* (quod de hominibus vniuerſim monet *Ariſtoteles*, 1 *polit.* 2, *f.*) *nec paruo tumultu publica concutiunt, quoties in malum deflexere.*

quippe non minus in mala; quam in bona potens

21. Cupiditas enim hujuſcemodi ingeniis vel præcipue inſidiatur. Modo ambitione ſtimulantur, modo ipſo potentiæ faſtigio & licentia regni mutantur: et ab officio ac virtute in tranſuerſum rapiuntur. *Eſt enim,* inquit *Cicero* 1. offic. 8: *in hoc genere moleſtum, quod in maximis animis ſplendidiſſimiſq; ingeniis plerumq; exſiſtunt honoris, imperii, potentiæ, gloriæ cupiditates.* & tum *maxime adducuntur pleriq;, vt eos juſtitiæ capiat obliuio,* ſicut paulo ante dixerat, omniaque vi & armis perturbent.

magnis occaſionibus in ſequiorem part. inuitatur,

22. Nec adepti, quod cupiuere, capiunt, aut felicitate ſua ſatiantur. Nam *fortuna, quos vni ſibi credere coëgit, magna ex parte auidos gloriæ magis quam capaces faciunt,*

& ſæpe abripitur.

cit, Curt. 4, 7, 29. *adeo vt dediſcant naturam ſuam, Id.* 3, 2, 18 & quod proſperitati potentium ſolenne eſt, *ad ſuperbiam prolabantur ac tyrannidem.* Confer Tac. 11. A. 17, 3 & 11 A. 10, 5. Exempla habemus in *Cæſare* apud *Sueton.* 76 &c. et *Octauio c.* 13 & 15.

Deo interim, Heroicæ indolis auctore, non ſuppeditante malitiam;

23. Verum enimuero, quomodo hæc poſſumus timere, ſi credimus, Heroës à Deo eſſe, ſi diuinis miniſteriis deſtinatos, ſicut prædiximus? Sane tanta naturæ præcellentia originem è cælo trahit: ſed enim non ita cælo alligatur, vt amittat virium ſuarum libertatem, vt declinare in malum nequeat. Itaque cum mala eſſe incipit, non à Deo eſt, quod degenerat; neque ſic tamen non in bonum verti poteſt degenerantis malitia. Nam *in ejus voluntate ſumma poteſtas eſt, qui voluntates bonas adiuuat, malas iudicat, omnes ordinat, & quibusdam tribuit poteſtatem, quibuſdam non tribuit. Sicut enim omnium naturarum creator eſt, ita omnium poteſtatum dator, non voluntatum. Malæ quippe voluntates ab illo non ſunt, quoniam contra naturam ſunt, quæ ab illo eſt. Auguſtin. de C. D.* 5, 9.

ſed in bonum aliquod vertẽte.

Debet porro diuinatio de heroibus ex for-

24. Sed nos reuertimur, ad Prudentiam diuinationis noſtræ, *quæ ſubinde*

de suas rationes ad reip. formam diriget. Nam aliter speramus aut metuimus in vnius imperio, aliter in plurium gubernatione. De Heroicis ingeniis, quibus plurimus in bella vigor est, plerumque magna & læta sperantur, si in spem sceptrorum & regnorum educantur. Censetur enim virtus militaris non parum vel auctoritatis vel firmitudinis Regibus addere. Vnde nec immerito in prouehendis ad eam dignitatem spectatur & requiritur.

cap. 2. ma reip. *institui.*

sic in Monarchia *bellica heroum indoles optabilis,*

25. Nota est memorabilis Moguntini Electoris & multum reconditæ prudentiæ habens oratio, qua apud *Sleidan.* I *comment.* cum de eligendo Romano imperatore ageretur, *Regi Galliarum,* inquit, *animi fortitudinem tribuunt: sed ad monarchiam illa spectat: nobis autem inprimis est aristocratia retinenda.* Metuebat prudentissimus Vir non modo libertati Germanicæ; quoniam ejusmodi ingenia μοναρχικώτερα & absolutæ potestatis studiosiora existimantur; sed etiam ne bellis crebrioribus implicaretur communis patria, verebatur. præsertim cum ea esset tum temporis rerum facies, vt Majestati reip. tuendæ, componendisque subnascentibus turbis;

alibi formidatur.

pace videretur opus esse & quadam virtutis Imperatoriæ tranquillitate.

quæ res tamen suas exceptiones & cautiones habet:

26. Cauendum autem hoc loco vel maxime est, ne suspiciosius eam sapientiam quam prouidentius exerceamus. *Non prædamnanda, sed præcognoscenda sunt* Heroum *ingenia: nec ad injuriam cuiusquam, sed ab iniuria metuendum est. Interim neq; metuendum sine spe, nec sperandum est sine metu. Quoniam non affectu, sed obseruatione constat hæc prudentia. Atq; ne omnia præcipias expectatione, subterfugias timore, obstat diuina prouidentia, quæ ad sua arcána nec spem tuam nec metum admittit: obstat in ipsa* Heroici *ingenii similitudine quædam disparitas, quæ nec patet semper obseruationi ante euentum, nec facile aut satis vbiq; diiudicatur: obstat ratio status publici, cui nec læta semper prosunt, nec tristia semper nocent.* Signate & notanter id monendum fuit, quod in toto hoc negotio attendendum vbique & subintelligendum est, etiam cum non monetur.

atq; vt Principum heroicus vigor reuerenter æstimãdus,

27. Abstinemus exemplis; ne prolixiores simus, quam modus instituti patitur. Id vnum addimus: si velimus Magnorum Principum indolem curiosius æstimare, nonne iis exemplum aduersus

ſuos ciues præibimus, vt & ipſi plus quam debebant, timeant à magna & heroica ſuorum indole, fiatque quod eſt apud Hiſtoricum; vt *Regibus boni quam mali ſuſpectiores ſint?* Quam facile ita aduerſus Parmenionem excitaueris Alexandrum aliquem?

28. Cui enim potius competet hæc circumſpectio, quam ipſi Regi? qui ſuorum indolem ignorare non debet. *Quid ergo ominabitur, de vno alteroue ingenio Heroico, quod in ciuibus ſuis, aut in aula eminere conſpicit?* An cum Tiberio apud *Tac.* 1 *A.* 80, 4. *ex optimis ſibi periculum metuet,* atque ita odio, depreſſione, exitio aduerſus illos graſſabitur? Nequaquam vero. Reclamant diuina humanaque iura; minitatur iudicium poſteritatis, quod inter tyrannidis notas, imo ſpecimina, ſemper aſcripſit eam ſuſpicacis animi iniquitatem. Neque quiſquam dubitare poteſt, quin tyranni tempora deſignentur, in quorum comparatione, acerrimus *Corbulo* aliquis pronuntiat: *Beatos quondam viros illuſtres!* Tac. 11 A. 20, 1.

ita, vbi in Ciuibus eminet, Principi nō eſt ſuſpectandus.

29. *At*, inquiunt magiſtri dominationis, *ab eiuſmodi altis ſpiritibus ſæpe regno, ſæpe regi periculum oblatum eſt.* Et

quin potius exempla æquioris animi ſequenda.

cap. 2.

quam facile à recta obsequii via in cupidinem dominandi & contumaciam efferuntur? Caue vero, quisquis es, ò Princeps, ne prædamnando fidem tuorum, perfidos facias. Id enim potius & ante omnia metuendum est. Dabo tibi Magnos huius cautionis auctores. Ille ipse Alexander M. cum nondum præceps esset ad deteriora credenda, Philippi medici fidem, etiam litteris amici suggillatam, nondum ausus est damnare, *Curt*, 3, 6, 6 &c. Et Darius, apud eundem Historicum, 5, 11, 11, tam sanctum & mitem se præbuit, vt, *difficilius sibi esse damnare, quam decipi*, affirmaret.

30. Infelix quidem fuit, quam innui, Darii bonitas: nec dubito, plerisque eam videri aduersum nos facere. Sed obseruare solent huius studii tyrones, *optimarum sæpe rationum applicationem non optime interdum, imo male institui.* Vtique ex virtutis & magni animi præscripto fecit Darius, quod de fide præcipuorum amicorum suspicionibus aut credulitate nequaquam oportere iudicari contendit: sed quod manifestis & fidissimis indiciis ac denuntiationibus, vbi iam nec suspicioni nec credulitati

locus

locus erat, animum attendere noluit, in eo non æquitatem modo & bonitatem, sed ipsam quodammodo sanam mentem prætergressus est. Neque sic tamen aliter, quam vt eius boni, quod commendamus, opinione peccaret.

31. In aula Augusti, *M. Agrippa, parendi scientissimus sed vni; aliis sane imperandi cupidus* vocatur à *Nostro* 2, 79, 1. Magni huius viri vitium non ignorauit Augustus, nec suspicionis tamen sed patientiæ & bonitatis eam occasionem habuit. etiam cum non sine contumacia pareret ille, vide *Sueton. Aug.* 66.

32. Demereri beneuolentia fiduciaque & attollere dignis præmiis præstat eminentem indolem, quam deprimere suspicionibus & contundere. Id quod inter præcipua, & si tantopere occultationem amant, arcana consilia Principi suggerendum duxerim. Certe enim *neq; fieri potest, neq; si posset, iustum esset, vt viuidi & ingentes spiritus in ignauiam seruilem; consiliorum promtitudo in stuporem demutetur.* καὶ μήτε τὸ γενναῖον δυσγενὲς, μήτε τὸ ἀνδρεῖον δειλὸν, μήτε τὸ ἔμφρον ἄνουν ἐστὶ ποιῆσαι. ἀδύνατον γάρ. μήτε αὖ τὰς περιουσίας τινῶν περικόπτειν,

quæ, ex Liuiæ consilio, longe tutiora sunt.

ἢ τὰς φιλοτιμίας ταπεινοῦν μηδένγε πλημμελούντων χρή: inquit prudentissima & virilis consilii femina ad Augustum, vbi de hoc ipso argumento disserit, maritique animum à timore & suspicionibus domesticis liberat, ac vltro persuadet illam comitatem & æquitatem, qua postea summos viros complexus, non alia firmius ratione in officio eos continuit. Adi *Dionem* 55.

licet interim non damnetur circumspectio principalis animi.

33. Non excluditur interim *ea Principalis animi prouisio, qua vt cetera sui imperii, ita indolem suorum & indolis vitia perspicit, obseruat, scientia & memoria complectitur: ad præcidendas elatioribus degenerandi occasiones, vbi opus fuerit, & dirigendam in obsequiorum promtitudine rectioris animi alacritatem. Sed prohibenda est hæc cura à solicitudine iuxta & suspicionibus.* Quorum illud magni, hoc boni animi est officium.

Iudicium de Principibus heroibus defenditur,

34. Atque hoc pacto, sicut Principis est, non tantum de sublimibus ingeniis, sed de omnibus iudicare: ita de Principe præsertim Heroe, sicut antea monere memini, non nisi reuerenter & caute cogitari debet ac diuinari. *Existimare quidem de Principibus* (ait *Nazarius*

paneg.

paneg. Constantin. A.5.) nemini fas est. nam *& in vestibulo suo inquirentem repellit obiecta veneratio, & si qui mentem propius adegerunt (quod oculis in solem se contendentibus euenit) præstricta acie, videndi facultate ceruerunt.* Verum præterquam quod Heroica indoles semet ipsa subinde mortalibus reuelat & intuendam præbet; in ciuibus quidem hanc prudentiam ipsa faciet modestia innocentem: nam in id ferme comparata est, vt animus ad parendum & ὑπόθεσιν sui sæculi bonis consiliis erudiatur & præmunitatur. apud extraneos autem quid obstat, quo minus noscant magni viri & noscantur? quo minus Prudentium aliquis per orbem e.g. Europæum oculos circumferat, atque quæ ab ortu, à meridie, ab occasu, à septentrione sidera, & quid promittant portendantque, tanquam è quodam Heroicarum mentium cælo, coniecturam faciat?

35. Equidem, vt id fiat, partim ciuilis actus interest, qui non vulgaris consilii artes inde potest haurire; partim pietatis: quæ opera Prouidentiæ eo rectius, quo dil gentius (curiositatem semper exesse iubemus) mirabitur. Nam *& extenditur.*

Nam domi tantum continere hoc ſtudium, ſicut multis decorum, pluribus neceſſarium eſt: ita vel propterea minus liquidam habebit diſciplinam, quod ciuibus ſuos Principes, etiam longe longeque infra Heroicam indolem poſitos, tamen vt Heroas æſtimare, more quodam aut per venerationem Maieſtatis libet. Ex quo principio etiam panegyrica prudentiſſimorum virorum eloquentia ſæpe interpretanda venit. ne quis vanitati ſtatim aut adulationi tribuat, quod à politicis & ingenio aulæ aſſuetis iam tum vniuerſim, & in officii ciuilis parte erat receptum.

In Plurium ſtatu *plerumque ipſa magnitudo ingeni heroici metum inæqualitatis mouet;*

36. Tranſeundum nunc eſt, ad ad alias imperandi formas, *videndumque in libertate, aut optimatium rep. mixtoue ſtatu, quid Heroum ingenia expectationis in publicum habeant.* Atque hic plerique ad *timendum* quam ad ſperandum ſunt proniores. *ne æqualitas ſtatus & honorum non capiant tam eminentia capita, atq; adeo ne ad oligarchian aut tyrannidem tanquam ad ſcopulum reſp. obhæreſcat,* verentur.

adeoq; perturbationis publicæ.

37. *Cicero* breuiter & diſerte expreſſit hunc affectum offic. 19: *Vt quiſq; animi magnitudine maxime excellit, ita maxime*

xim

xime vult princeps omnium, vel potius solus esse. Difficile autem est, cum præstare omnibus concupieris, seruare æquitatem, quæ est iustitiæ maxime propria. Ex quo fit, vt neq; disceptatione vinci se, nec vllo publico ac legitimo iure patiantur, existuntq; in rep. plerumque largitores & factiosi, vt opes quam maximas consequantur, & sint vi potius superiores, quam iustitia pares. Declarauit id satis superque temeritas & ambitio *C. Iulii Cæsaris, qui* (vt rursum *Tullius* ait) *omnia iura diuina atq; humana peruertit, propter eum quem sibi ipse opinionis errore finxerat Principatum.* Nec *Octauius* postea aliam viam ingressus est.

38. Nam *Scipionis* exemplum spei viam aperit potius, ostenditque: *posse etiam salua libertate Heroum ingenia foueri, nec certiori ope ad magna attolli remp. quam Heroum humeris.* Vir magnus & memorabilis: & quem non ita efferauerat bellorum felicitas, quin pacem & calleret & amaret & tueretur. Testis nobilissima vox aduersus Gracchum reip. turbatorem, dominationis molitorem, & iis flagitiis tragicam cædem meritum. *Vellei.* 2, 4, 4. Quod si superuixisset amplius, habebat resp. quem insolentiæ &

nisi quod, taliũ quoq; Rerump. incremẽta per Heroës Deus promouet, & statum conseruat.

& inciuili aliorum elationi, id eſt, infeſtiſſimo hoſti inteſtino, non infelicius, quam olim externis armis, opponeret.

præſertim ſi integra & incorrupta ſit adhuc reip. forma.

39. Deducunt nos iſta exempla vltro ad nouam huius obſeruationis cautelam. Non enim Reip. tantum forma & conſtitutio, *ſed tempora quoq; ac momenta ſanitatis, vt ſic dicam, & infirmitatis expendenda ſunt, vt prudenter ſperes timeasue in hoc negotio.* Audebo iſtud & credere & dicere: *Si Iulius Cæſar & Octauius incidiſſent in valentiora Reip. tempora ſi ante tantam publici ſtatus corruptionem vixiſſent, ſi inter Papirios, Fabios, Paulos, Scipiones deniq; Africanos agitaſſent; plus erat, quod ſperandum ex illis quam timendum publica libertas habebat.* Nunc cum tot ægræ ciuitatis mala, tot rerum nouarum exempla, acerrimarum mentium cupiditatem ad immodica & prærupta elicerent, facile, quales futuri eſſent, etiam cum ſumma ope ſe obtegerent adhuc diſſimularentque, apparere prudentibus potuit.

Nam ſicut tū nullus ab Heroica indole metus:

40. Scilicet nemo repente & vno impetu libertatem, cui adhuc ſuus honos conſtat, vel inuadit vel conuellit. At vbi collabefacta iam libertas vix

ſuum nomen, nedum ſtatum tuetur, cum turbarum perpetua ſemina non ſuggeruntur ſed pæne obtruduntur; cum legum, quibus tanquam vinculis humani continentur animi, nulla ſupereſt auctoritas; tum vero deteriores omnes licentia facit, & partim opinione boni, partim cupidine mali in noua & audacia conſilia ruitur: quæ nec deſerere, cum volunt, auctores deinceps poſſunt.

41. Itaque vt clarius loquar, *ne inter tentamenta ciuilium bellorum & reip. morbos ingenium aliquod Heroicum ſe in magna conſilia & mutationem ſtatus ſpectantia intendat, aut ſi intendit, ne pertendat*, haud imprudenter cogitant, qui verentur. Rationes ex iis, quæ hactenus tradita ſunt, obuia intellectione queunt percipi. Accedit, quod illa ipſa ciuitatum ſeditioſitas, conuerſionem rerum imminere, quodammodo portendit. Accedit, quod ingenia heroica vehementes in bella impetus habent, iiſque proniores plerumque quam pacis ſtudio comperiuntur. Accedit, quod ætatis feruor, antequam deferbuerit, in acriora & nimia facile exæſtuat.

ita in ciuitate ægra & corrupta non pauca timorem incutiunt.

42. Patitur tamen & hic locus exce-

rurſum tamen

loquimur cum exceptione ingenii her. moderatioris,

ceptionem, tam *ingenii*, quam *fortunæ*. Nam & Heroibus aliquando admirabilis moderatio ingenita, velut æquissimo temperamento vim bellicam & spiritus excelsos à præcipitibus ausis continet. licet rarissima sit ea laus: cuius exemplum in Scipione nostro habemus. de cuius indole nulli heroum postponenda, etiamsi in ea, quæ Iulius attigit, tempora seruata esset, mitiora & moderatiora omnia sperassem, quam de Iulio.

& fortunæ fauentioris.

43. Quod de *fortuna* addidi, cum interpretatione pietatis & modestiæ accipiendum est. qua de re iam præmonuimus. Nam non ita timendum est, vt plus prudentiæ humanæ coniectationi, quam prouidentiæ diuinæ gubernationi tribuamus; neque ita spes de hominibus ac temporibus abiicienda, quin in Deo perpetuam retineamus: neque de articulo mutandarum rerum tam solicite aliquid præcipiamus, quin differri posse interim meminerimus: neque animos cuiusquam tam in praua cogitemus præcipites, quin ad meliora possint, fato moderante, inclinari. Quæ cum similibus semper de Deo in oculis

haben-

habenda. qui rerum publicarum prospera aduersa, sæpe quidem ordinaria, & quam homines vult cernere, via moderatur; aliquando tamen ipsis euentibus ostendit, se hic multa, hominibus ignoranda, sibi reseruasse.

44. Superest, vt *expediamus, quando incipiat hæc sperandi timendique diligentia, & quomodo progrediatur.* Breuiter: *sicut ipsa indoles Heroica in puero statim & adolescentulo fulget & exsplendescit, rebusq; primulum admota clarissima sui statim experimenta præbet, successu accenditur & pleno rerum actu exultat, nec senio (si huc peruenit) ad minora deinceps sed moderatiora vertit: ita prudentis nostri animus expectationem suam de Puero auspicabitur; in adolescente, aut res agente, distinguet ac ordinabit; è rerum euentibus consummabit pariter & moderabitur.* Nimirum & cunabula virtutis Heroicæ; & adulta firmitas, & fatalia siue spatia siue momenta; suam singula similiter, sed non similem obseruationem habent. *Incipit autē hæc prouisio diuinantis animi,*

45. Quis enim non cum legatis Persicis, Alexandrum aliquem puerulum, maiora omnia quam pro ætate interrogantem disserentemque audiens, *ab Heroïs pueritia,*

summi & Viri & Regis hæc putet indicia? *Plutarch. Alex. & de fort. Alexand.* 2. De Eumene *Nepos* 1,4. *Fulgebat*, inquit, *iam in adolescentulo virtutis indoles.* De Philippo *Iustinus* 7,6,1. *Vt est ingressus imperium, magna de illo spes omnibus fuit: & propter* ipsius ingenium, *quod magnum spondebat virum; & propter vetera Macedoniæ fata.* Nec minus inusitatæ virtutis expectationem merito mouit *Agesilaus*, cum inter regni initia, animosissimi de bello in Asiam transferendo consilii auctorem se & actorem offerret. *Xenophon. orat. de Agesil.*

& adolescentia:

progreditur, cum actu rerum.

46. Atque, vt ad nostra exempla redeamus, summa, quam Iulius Cæsar de Octauii pueri ingenio conceperat, spes adoptandi consilium homini suppeditauit, teste *Dione* 45. Ipsius Iulii indoles tum aliis multis rebus mature, tum in captiuitate apud piratas & vindicta captiuitatis eius, idonea dederat *documenta tanti mox euasuri viri*, sicut *Noster* loquitur 2, 42, 2. Quamquam, cum de eo ciuilem vitam ingresso omnia magna ominarentur multi, dubii tamen inter spem & metum hærebant, ad sperandum aliquando pro-niores

ex quo, licet non sine difficultate;

niores. Nota Ciceronis vox eſt apud *Plutarchum in vit. Cæſ.* Cum enim ſub comitate & læta indole Cæſaris, non parum latere acris ſpiritus & promtitudinis animaduertiſſet (quæ res non minus ſuſpecta aliquando prudentibus eſt, quam maris, tempeſtatem meditantis, tranquillitas) *è cetero quidem actu,* inquit, *& inſtitutis huius viri prorſus coniicio* διάνοιαν τυραννικὴν, *regniq́ voluntatem ac dominationis conſilia agnoſco: at cum tam compoſite ornatam comam conſidero, cum ipſum vno caput digitulo ſcalpentem, adeoque & geſtu delicatum & habitu contueor, nequeo adduci vt credam, in animum tam mollem dira euertendæ libertatis conſilia cadere.* Non ſatis conſtanter coniecerat ingenium hominis Tullius: nec ſatis prudenter ab ingenii conſideratione, occaſiones dominationis moliendæ abunde emerſuras diſiunxerat. *Scipionis* denique magnitudinem, adoleſcentiori ætate oſtenſam, recta & felici diuinatione fato perituræ Carthaginis deſtinabant Romani, neque vnquam prudentius lex perſonæ ceſſit, quam cum ille ante annos lege requiſitos conſul fieret, vide *Appiani Punica.*

47. Sed non immoramur, eiuſmodi experimentis aut ſignis heroicæ naturæ, vel ante vel in rerum actu editis: quippe qui deſcriptionem Heroum, quo commodiſſime iſta referuntur, iam ſupra aliunde petendam monuerimus. Hic ea tantum tradenda videbantur, quæ poſſunt prudentiam viri ciuilis de Heroum iam cognitâ indole in futurum admonere: variaq; obſeruationis in vtramque partem momenta ſubminiſtrare. Quorum pleraque ἐκ τῶν πολιτευμάτων ex reip. habitu actuſque publici contextu, de quo mox agendum, ſatius eſt petere.

amen præci- nsindic atur.

48. Nam cetera adminicula, vel incertiora ſunt, vel ad aliam pertinent ſcientiam. Vt, *ſi quis de heroica geneſi actuque ex aſtrologorum decretis coniiciendum contendat.* Quam rem, multa ſunt, quæ viro prudenti ſuſpectam debent reddere. præterquam enim, quod aſtrologus nemo adhuc tot philoſophorum pariter ac theologorum, priſco nuperoque æuo, eam vanitatem redarguentium rationes euertit: etiam illud liquidæ cognitionis eſt, *nec fortaſſis fuiſſe, qui eam artem, ſi qua eſt, perdidicerit*

Alii alia adminicula *quæ runt. inter quæ eſt* aſtrologia,

certa-

certaq; ſcientia penetrauerit : ſed (vt *Fauorini* verbis apud Gellium 14, 1 vtar) *coniectari pauca quædam* παχυμερέστερον *nullo ſententiæ fundo concepta, ſed fuſa & vaga & arbitraria ; qualis longinqua oculorum acies eſt per interualla media caligantium.* Repetit Philoſophus in fine grauiſſimæ diſſertationis eam admonitionem : *non enim comprenſa,* inquit, *neque definita, neque percepta dicunt, ſed lubrica & ambagioſa coniectatione nitentes inter falſa atq; vera pedetentim quaſi per tenebras ingredientes eunt,* &c.

49. Non memorabo iam ſatis nota illorum exempla, quibus credulitas iſta, exitio & iactura ſalutis ſtetit. ſcilicet, dum citra & contra deſtinationem Dei, Heroas mathematici (*quibus quæſtui ſunt capti ſuperſtitione animi*) faciunt, cælo iniuriam ſuam vindicante, magnis exemplis arguuntur, qui magna temeritate peccauerant. *At,* inquis, *nonne magnis Principibus illuſtre aliquando ad famam & venerationem heroicæ naturæ fuit, publicata cum aſtrologicis interpretamentis genitura?* Equidem reuerentius fuerit credere, factum hoc ab imperantibus, non quod ipſi ea credulitate te-

per arcanum alicubi admiſſa:

nerentur aut Prudentum quiſquam teneri debeat, ſed quod commentum, in vulgus nec inualidum, nec inutile antiqua & ſæpe vſurpata arte, paterentur extare. De quo ipſo more, vt & de aliis, quæ hic cogitari aut exiſtimari poſſunt, lubens hac vice parco diſſerere.

† vaticinia,

50. Sunt alii, qui cum illuſtre ingenium, tanquam ſidus, alicunde exortum animaduertere, ſtatim diuinationem ſuam præcipitant, & ſuas ipſi ſpes anteire ſtudent, *collectis & certatim accommodatis vaticiniis, tum ſacris, tum incerta origine & fide diſſeminatis.* Hic, inquiunt, Heros mutabit fata felicium & miſerias infelicium: hic ille eſt, qui promiſſas diuinitus clades, hoſtibus Dei inferet: hunc notauit Propheta illo textu; hunc Apoſtolus ſignauit illa voce; de hoc antiqua circumfertur prædictio: quæque ſimilia exundantis affectus oracula faciunt, vt quiſque, quod confinxit, timeat aut ſperet. Neque vulgaris tantum turba, ſed clarorum ſæpe virorum mentes tentat hic diuinandi pruritus.

51. Sane condonandum hic eſt

aliquid vel ſimplicitati morum, vel innocentiæ propoſiti, vel infirmitati humanæ; dum modo conſtet: *prædictionibus extra verbum diuinitus reuelatum iactari ſolitus raro citra periculum fidem adhiberi, cautiuſq; tranſmitti hæc talia & ſine affectu præteriri, quam interpretando applicandoq; in occaſionem ſuperſtitionu trahi.* Quod ad diuina pertinet oracula, cauebit prudentiſſimus quiſque, ne ante euentum & conſenſum maximorum interpretum, ad certas perſonas & cauſſas referat: gnarus interim, caput reuerentiæ Scholis Propheticis debitæ eſſe, *diſciplinam quidem prouidæ pietatis ex futuris fideliter imbibere, ſed articulos temporum & omnes impletionis circumſtantias non curioſe rimari aut præcipere.* Quam cautionem etiam exempla eorum nobis commendant, quos ſuſtinuiſſe calculum alicubi, ſatius fuerat. Certe ſi hoc deuotionis & circumſpectionis μυςήϱιον violetur, lata aperietur fanaticis vatibus porta, per quam in ipſa SS. litterarum adyta irrumpant, fædaque paſſim temeritate graſſentur. *circa quæ cautè verſandum:*

52. Prodigiis & ſignis, quibus interdum monſtrantur Heroës, non *& prodigia aut ſigna,*

plane nullam æstimationem conuenire, iam supra innuebamus: ne præpropere tamen, & solis, & superstitiose attendatur, amplius hic monemus. Notus est mos fingendi, exaggerandi, corrumpendi denique talia varie: quæ omnia vigilantiam obseruationis debent intendere. Seorsim hic quæri potest: *an ignis lambens, quem vocant, ac visa circum caput flamma Heroëm indicet?* constat vtique exemplorum comparatione, *claritudinis id indicium ferme semper fuisse; verum heroicam statim claritudinem non præceperim: nisi accesserint alia quædam argumenta, quibus id, de quo forte cœpimus tali indicio cogitare, manifestius se nostræ coniecturæ suggerat.* cum præsertim iste ignis longe aliis de caussis possit & soleat aliquando emicare.

præsertim ignis lambens:

53. Interdum etiam *magni & mirabiles casus, è quibus seruantur, produnt Heroas:* cum vix dubitari possit, destinari summis rebus perficiendis, aut absoluendis, qui hoc modo proteguntur. Exempla in Nostris habemus. Iulius Cæsar, cum à Sullanis inquisitoribus ad necem conquireretur, & iam in manus ipsorum peruenisset, pecunia se redemit.

& magni casus;

demit.

demit. *Vellei* 2, 41, 2 & *Sueton. Iul.* 1. adde periculoſam ſed felicem eius nauigationem, apud *Vellei*.2,43. & aliam apud *Flor.* 2,4,37 & ingens illud periculum in Ægypto, vbi (verbis *Lucani* 10 *phars*.dicam)

— Via nulla ſalutis,
Non fuga, non virtus, vix ſpes quoq; mortis honeſtæ.

Sueton. Iul. 64. Octauii quoque iter huc pertinet, cuius meminit *Vellei*. 2,59, 3 & vberius *Sueton.* 8, aliique (non enim hic multos nominare placet) item, quod captiuitatem imminentem ſomnio medici monitus euaſit, Vellei. 2,70, 1. ne de multiplicibus inſidiis & coniurationibus nunc dicam, quæ omnes miranda fati cura ſunt diſcuſſæ. Vide de talibus *Camerar. hor. ſubciſ. cent.* 1. *cap.* 30. *Richteri axiomat. Polit.* 117.

54. Eſt, vbi *factis quibuſdam ſingularibus nec indolis tantum æſtimatione, ſed altioris fati interpretatione penſandis*, mature futura magnitudo Heroum ſperari animaduertique poteſt. Huc pertinet, quod Scipio Æmilianus in Hiſpania ex prouocatione victor, ipſe modicus virium, immanis magnitudinis hoſtem interemit *Vellei* 1,12,4: quod *Conſtantinus* *& ſingulariũ factorum vt ſic dicam, præludia:*

M. adhuc adoleſcens, barbarorum ducem viuum cepit, & leonem ferociſſimum vicit, adeoq; periculum, cui vtrobiq; Gallerii inuidia eum obiecerat, fatali virtute euaſit. *Zonar. tom. 2. p. 246.* Cuius rei in Sacris illuſtriora & certiora documenta habemus. Nota eſt *Dauidis aduerſus Goliathum victoria*, non glorioſior quam ominoſior. Etiam Moyſis factum, quo inſtinctus ſingulari & diuino impetu Ægyptium occiderat, cum ſignificamento ſecuturæ cladis Ægyptiæ & vindicationis Iſraëliticæ, per Moyſen patrandæ, accipi debuiſſe, oſtendunt verba Stephani *Actor. 7, 25.* adde *Ambroſ. 1. offic. 36. Philon. 1 de vit: Moyſ.*

& exorta ſpōte opinio:

55. In hunc cenſum, venit aliquando *publica & veluti diuinitus immiſſa opinio, indeq; dimanans fama.* De Scipione *Appianus* in Punicis p. 66. ſcribit: θεόληπτος γὰρ τὶς αὐτοῖς (intellige ϛρατιώταις) ἤδε ἡ δόξα ἐνέπιπτε, Σκιπίωνα μόνον αἱρήσειν Καρχηδόνα: καὶ πολλοὶ ταῦτα τοῖς οἰκείοις ἐς Ῥώμην ἐπέϛελλον. *Exercitus animos diuinitus occupauit hæc opinio, ſolum Scipionem eum eſſe per quem expugnanda foret Carthago. idq; multi ad familiares Romam*

mam perſcribebant. Sed cum nihil rumore & opinione vulgari incertius ſit, quippe quæ ſæpe ex vanitate ſycophantarum, aliiſque ſimilibus occaſionibus cooriatur, prudentiæ pars erit, *diffidere.*

56. Verum quis modus fuerit tot obſeruationum, aut vſus? Quamquam omnino, ſi vſquam, cauendum eſt in hoc negotio, τὸ πρὸς ὀλίγα ἀποβλέψαι *ne ad pauca reſpiciamus*, quod ſæpe *Ariſtoles* in cognitione actuque ciuili notat. Atque adeo prorſum hic opus eſt homine *omnia audiente* (& obſeruante) *magna metuente, multa ſuſpicante, aliqua credente.* quali deſcriptione *Tullius, in orat. pro Milon 23,* Pompeium, alio quidem reſpectu, ſignat. Itaque paſſim commendamus diuinandi ſollertiam, ſed prohibemus ſuſpicandi vafritiem; laudamus vbique obſeruationis induſtriam, ſed coniungimus eligendi prudentiam; intendimus ſpem, ſed moderamur fiduciæ; metum admittimus, anxietatem damnamus; minora non ſpernimus, magna ſectamur; omina non captamus curioſe, ſed caute admittimus: conſtantia ſemper vtimur, pietate vbique ducimur.

qualia ſcire *ſemper, non ſemper conuenit* vſurpare aut attendere.

57. Ce-

Sequitur secunda huius commentationis pars: Quæ nam sint viæ siue modi actus heroici singulares.

57. Ceterum quæ hactenus de prouidentia siue diuinatione circa Heroës dicta sunt, multum explanabuntur & instruentur iis, quæ dicenda sunt in posterum. Nam vt peritius timeamus speremusue de Heroibus, obseruandum nobis diligenter erit: *Quibus viis artibusq; in magna illa vel consilia vel opera tendant pertendantque.* Qui locus vt recte tractetur, suis quibusdam carceribus includendus, & à confusionis occasione liberandus ante omnia videtur.

cuius considerationis institutum distinctius declaratur.

58. Non enim sane fert animus ire hoc loco per omnes *siue prudentiæ artes ac inuenta, siue calliditatis efficaciæq; vias atq; commenta, quibus aut reip. magnitudinem & hostibus perniciem aut sibi dominatum gloriamq; quæsiuerunt firmaruntq; aliquando Heroes:* neque etiam repetere constituimus, *quæ ratione pertinentiæ in superioribus attingenda fuerunt de actu heroico:* verum, *omissa enumeratione ac expositione singulorum adminiculorum, principia quædam actus heroici & instrumenta, in ipsa connexione sua & applicatione, adeoq; non tam ipsa, quam eorum* ἐπιβολὰς & ἐπιχειρήσεις, *mutuasq; operas & seriem,* iudi-

cii de Heroibus informandi, iuuandæque prouidentiæ caussa, breuiter delineabimus.

59. Non frustra *cæleste aliquid* in Heroum ingenio, etiam ii agnouere, qui altiora aut interiora iudicare nequeunt. Sicut enim Sol ille, cum multum præstantiæ sapientibus tantum noscendæ habeat, pulcritudinem tamen suam, & vigorem, vt sic loquar, pernicitatemque omnibus ostentat: ita Heroum actus in plurimis rebus profundiore æstimio pensari debet, *vigoris* autem sui lumine omnium oculos mentesque vltro penetrat, cognatosque cælo motus publice declarat. *Gaudent diuina perpetuo motu, & iugi agitatione se veget æternitas, & quicquid homines vocamus laborem,* (Heroum) *natura est.* nam ad hos rectissime trahemus, arbitror, quæ *Latinus Pacatus paneg. c.* 10. de Imperatoribus vsurpauit elogia.

Inter primas ergo notas, occurrit vigor ille Heroicus;

60. Intuenda erunt passim ipsa exempla viuidissimorum actuum, vt intelligamus *illam excitati & alacritate lætissima emicantis animi vim, qua negotia & consilia non dicam aggreditur sed complectitur; illam promtissimæ efficaciæ strenuitatem;*

qui & animum attollit, & omnem actum iuuat ac honestat:

tem;

tem, qua opus ipsum non dicam molitur, sed pertractat; illud in difficultate robur, quo ne sentitur quidem difficultas; illud in omni habitu, gestu, labore decus, quo ita corpus animaduertitur agere, vt anima in illo actu videatur spirare, eminere, fulgere. Itaque cum *Liuius* 21, 4 *vigorem in vultu* (Hannibalis) *vimque in oculis*, nominat, plura notare quam enuntiare credendus est. Quis enim ex illo vultu, ex illis oculis non cernit, vigorem acerrimæ mentis spiritusque indomiti vim emicuisse? Etiam *Curtius* 3,6, 19 cum *vigorem militarem Alexandri*, in opere armorum, oculis militaris vulgi exponit, vigentem in omnia animum, siue *vigorem istum animi*, quem Iulio *Velleius* tribuit, & qui in oculos non nisi exterioris actus indicio incurrit, subinnuisse videri debet. Ipsum scilicet rei præclarissimæ nomen fecundius est, quam quod descriptione subtili facile possit exhauriri.

multãq; præsus vtilitatem habet.

61. Nec minus late patent, quæ ad vtilitates effectumque huius vigoris pertinent. Si amorem hac ratione animis hominum, tanquam philtro quodam dixeris insinuari, vere sed parum dixeris. Ne otium & ioci & remissio-

nes, aliquid ex contemtu, imo ne aliquid ex otio, ex remisso trahant, vigore, qui remissa ad grauitatem intendit, præstabitur: ne seria ad molestiam, seuera ad tristitiam, aspera ad inuidiam, vt ferme alias fieri solet, declinent, efficaci quadam dignitate semper venerabilem faciet Heroem. Ipsi aliquando affectus decebunt eum, huius subsidii beneficio. Agnosco aliquid tale in exemplo *Augusti*, *qui vultu & aspectu legiones Actiacas exterruit*: *Tac.* 1, A. 42, 4: atque ita exterruit, non vt odissent acerbe infensum, sed revererentur tam generose indignantem. sicut ante eum *I. Cæsar*

— stetit aggere fultus
Cespitis, intrepidus vultu, meruitque timeri
Non metuens. Lucan. 5. v. 316.

62. Sed quid ad exempla delabor? à quibus breuitatis ergo prorsus temperandum est. Illud non omiserim hoc loco monere; *etiam alio trahi hæc exempla*, constantiæque *partim*, *partim* Auctoritati *tribui*: at nobis ostendendum erat, *non inter postrema vtriusque instrumenta vigorem existimari debere*. E. g. deme verbis, vultui, gestui vigorem. inuisum potius aut terribilem facies, qui *& alias virtutes animat.*

qui grauiter obiurgat multitudinem, quam verendum & venerabilem,

Cum vigore mutuis operis cohæret Heroica Celeritas.

63. Fallor an ex illo *vigore* expedita cogitandi agendique *Celeritas* oritur, certe sine illo non proficit. Certissimus Character Heroicus: idque exemplis testatum nouimus. Quocirca *Velleius* in descriptione *Iulii, celeritatem bellandi* non omittit, cuius admiratione *Florus* 4,2,6; *fulmini* comparauit virum: *quod vno eodemque momento venit, percussit, abscessit.* & euoluit imitatione erudita vim comparationis *Panegyristes Magni Herois*: quem perfecisse ait tot ac tanta *instar fulminis, quod vix conspectum venit, vrit, desinit, vt prius obuia accendat, premat, dissipet.* Atque hoc sensu *Hirci* illius Prophetici *pedes non tangebant terram.* cuius vaticinii sortem cum stupore orbis, *Alexander* impleuit.

Multum illa quidem diuersa ab aliorum festinatione,

64. Quidni cum stupore aliorum? siue enim *discriminis* ratio quæritur; quod alii satagere, festinare, supra vires suas propemodum niti, præcipitare denique videntur, illud Heroës, celerius quidem, sed absque celeritatis labore & tormento, suo quodam more potius & indole, statim ingrediuntur,

statim

ſtatim conficiunt: ſiue *miraculi magnitudo* ſpectatur, non opinionem modo hominum ante euentum, ſed & poſt euentum fidem anteuenit, ac ideo vix inuenit, hæc celeritas. Ea ſufficit ad occupandos rerum tranſitus, qui maximis ſemper, ſed aliquando breuibus (præſertim ſi ſtrenue peragantur) difficultatibus obſidentur dicam, an inſidentur: ea pacis controuerſias, belli perplexitates aut dirimit aut ſoluit: ea admirationem ſemper vel ſimplicioribus inculcat, vel ſapientioribus relinquit, cum raro prudentiſſimorum coniecturas admittat. *& prorſus mirabilis.*

65. Niſi quod eo ipſo admittit, dum non admittit. ſemper *in anteceſſum temporis*, vt ſic loquar, hic timendum ac ſperandum eſt. Multa in Iulio, multa in Octauio præuiderant Romani ſapientes: ſed exiſtimabant, longius abeſſe quæ præuiderent; neque celeritatem tantorum Virorum ad Heroicæ indolis promtitudinem, ſed ad ſui ingenii captum exigebant. Ergo præuenti ſunt, partim quidem fato (eſt enim in Heroica celeritate aliquid, quod, cum altiore qua- *eoque coniectationis diligentiam requirit.*

dam vi successuque interdum rapiatur, nemo hominum prouidendo assequitur) partim suo merito, quod angustius, quam pro natura rei, de qua loquimur, & tardius, quam exempla monebant, iudicauere.

sicut & Impetus Heroicus:

66. Sicut autem *celeritas* ista *vigore*; ita *Impetus*, quem Heroës aliquando pro vehiculo vsurpant, vtroque opus habet. Quem vt explicemus quodammodo, perspicuitate potius vocabulorum, quam sententiarum elegantia nobis vtendum intelligimus. Aliquando enim *audaciæ & temeritatis*, plerumque autem *ἀνομαλίας cuiusdam & discessus à regula* speciem habet: neque tamen interim *efficacia* potentissimus esse desinit. Quæ omnia non parum difficultatis habent.

qui aliquando audacia videtur, nec est.

67. Sane si quis negare velit, aliquid audacter & temere ab Heroibus, aut, si in exemplis manemus, à Iulio, Octauio, Scipione factum, is supra humanam eos sortem collocabit, id est, plus quam Heroas faciet, ac historiæ gestorumque fidem destruet. Rursum, si quis omnia, quæ videntur audaciam aut temeritatem præferre, hoc calculo

damna,

damnabit, is non recte impetus heroici vim ac indolem videbitur æstimasse.

68. Credidere nonnulli, *Heroas ad audenda, quæ sine temeritatis nota non videntur attrectari posse, interno & diuino quodam motu impetuq; stimulari, nec carere præsagio euentus, ingentem illam fiduciam.* Quod sicut de illis verum est, quos Deus propiori consortio amauit, suique cultu & amore imbuit: sic in gentilibus rarius & ita locum habere existimandum est, vt vix *tuto, firmaque ratione* aliquid iudicari possit. Videtur hic potius de ingente *fiducia sui*, & *maioribus*, quam quos animus minor capit, *motibus*; quos *vigor* ille acriores, *fortuna*, de qua mox dicetur, efficaciores tutioresque facit, cogitandum esse. Accedit, *quod sæpe in partem prudentiæ venit, necessaria, vt sic dicam, temeritas*; sicut Alexandri, præcipiti in speciem consilio, seditiosos compescentis, exemplo patet apud *Curt.* 10, 2, 30 & *Iulii Cesaris* facto, pari fiducia imperium exercentis, cuius antea mentio illata. Multa interim sunt, quæ his rationibus non queunt excusari, sicut prædiximus.

pendet enim ab altioribus caussis:

69. Quemadmodum enim Verissi-

qua intuenda per generosi-

tatem iudicii, non fingendæ per superstitionem.

rissimum est, Heroicos motus impetusque non posse nec debere, ad communem ingenii actusque humani modum exigi: ita neque illud ignorandum est, Diabolum tantis ingeniis, in mala scilicet, si ea prætulerint, plus valituris, studiosius insidiari; cumque etiam hic locum habeat verbum poëtæ, quo *faciles motus mens generosa* dicitur *capere*, dubitari non potest, *facilitati motuum affectuumque, facilitatem delinquendi valde vicinam esse.* Quapropter opus est ex vna parte, *æquitate iudicii & modestia*, ex altera *generositate & prudentia.* Quam multa enim & magna sunt, vt in plerisque humanis rebus, ita vel maxime in maximis, quæ nescimus? cum præsertim, quos Diuina sapientia peculiari consilio tantis dotibus instruxit, eos secretiori etiam gubernatione videatur complecti. Ex diuerso, superstitionis fuerit, si nihil humani in Heroëm cadere, quem Deus & inter homines & hominem esse voluit, quisquam in animum induceret. Quod vtrumq; ethnici non vitarunt. Possunt inspici, huius rei gratia, quæ *Richterus axiom. pol.* 139. collegit.

70. Nisi

cap. 2.

70. Nisi valde nobis properandum esset, illustre exemplum ἀνομαλίας, sub acumen stili hic vocari posset. *Velleio* disquisitionem & iudicium suppeditante. *Adoptauerat C. Octauium Iulius Cæsar, heredemque rerum suarum testamento reliquerat. Interfecto Iulio, res erat periculi plenissima adire hereditatem. sed adiit tamen, suis nequicquam dissuadentibus, Octauius.* idque *Dio Cassius, temeritati* tribuit, eosque qui felicis euentus respectu laudarent hæc consilia, redarguit *lib.* 45. *pag.* 308: *Velleius Noster* (licet fortasse affectu & veneratione erga Augustam domum dictante) *fatale aliquid* in hoc Octauii proposito agnoscit 2,60,1 *&* 2: *sed asserebant*, inquit, *salutaria reip. terrarumque orbis fata conditorem conseruatoremque Romani nominis. spreuit itaque cælestis animus humana consilia*, &c. *Dio* regulam communem secutus in re ac ingenio minime communi, vix potuit non errare aliquatenus: *Velleius* ad profundioris prudentiæ sententiam, non consilio sed affectu delatus, auctoritatem sibi, si non rei, quodammodo detraxisse videtur. Nos, ponderatis omnibus, quæ nunc adduci nequeunt, in hoc

Interim certũ manet, Non esse omnia Heroum facta ad communem regulam exigenda.

cap. 2. Octauii consilio prorsus *singulare aliquid & Heroicum & respectu temporum caussarumque fatale* agnoscimus, eaque mente verba Velleii, non affectum, nobis vindicamus. non quod ex euentu modo iudicandum existimemus (quem morem recte reprehendit *Dio*) nec, quod omni labe caruisse animum Octauii propositumque credamus (quid enim in humanis consiliis vitio imbecillitatis intactum?) sed quod bonas rationes videmus, quæ potuerunt adolescentem mouere, impetumque hunc curæ Diuino numini fuisse non obscuris argumentis colligimus: quanquam postea, ingressus rem ipsam, multa ambitione ac vafritie, se & suas actiones consiliaque fœdauit. Quæ interim nequaquam confundenda sunt.

Impetum Heroic: comitatur Fortuna singularis: 71. Ceterum vt *impetus* ille, de quo modo dictum, *sit efficax & vbique penetret, singularis illa Heroum Fortuna præstat ac Felicitas.* Ac de *Sanctis* quidem *illis Heroibus* res intellectu facilis est. Iuuantur ope diuina, illaque tanquam munimento induuntur, & tanquam alis prouehuntur, ac telis, vt ita dicam, armantur in destinati à Deo operis con-

non tantum in sanctis illis Heroibus,

fectio-

fectionem. atque in ea ſpei ſuæ arce veluti diſponunt, ingentis promtitudinis, inuictiq; impetus præſidia. Quod non modo *vetuſtißimis illis temporibus quæ* κατ' ἐξοχὴν *Heroica erant*, & vbi non raro fortunæ huius certitudo & myſterium, Deo reuelante, patuit, conuenire putandum eſt, ſed etiam in *aliis Piis Heroibus*, quos cauſſæ grauitas, & conſcientiæ religioſe confirmatæ fiducia maximis rebus gerendis exercet, locum habet. At *in gentilibus* minus expeditam philoſophiam habet hic locus. *Sentiunt tamen & illi Heroës ſuam fortunam.* vnde nota *Cæſaris Noſtri* vox ad trepidum tempeſtatis periculo gubernatorem, qua metum eius caſtigauit: Καίσαρα φέρεις, καὶ τὴν Καίσαρος τύχην συμπλέουσαν. *Plutarch. Cæſ.* Verum, ſi modus ſcripturæ pateretur, poſſemus argumentis oſtendere *hanc cognitionem ſiue hunc Numinis fortunantis ſenſum* non vacaſſe ſuperſtitione, aliquando naturæ & aſtris, aliquando virtutis magnitudini & merito aſcriptum. nonnunquam in cæca euentuum fiducia, indagatione principis cauſſæ omiſſa, ſubſtitere: &, ſi recte

ſed etiam in gentilibus.

inimus rationem, videmus maximos gentilium ipsis successibus fortunæ, ad eius ignorantiam profecisse.

quod non tantum ipsi, sed & reliqui intelligunt.

72. Etiam *alii agnouere hanc fortunam Heroum.* hinc est quod Historici, & *Velleius* Noster, *Cæsarem & Octauium SVA fortuna* vsos, sæpe ostendunt; & interdum *cum fundamento sententiæ*, coniungunt *virtuti* (v. 2, 74, 4) quasi dicerent, Heroicæ fortitudinis magnitudinem & efficaciam, perpetua felicitate & inusitata, veluti nota differentiæ, æstimandam: interdum *celeritati fortunam* associant (v. 2, 51, 2) præter id quod dixi, mutuam vim & conspirationem quandam significaturi. De *Scipione Appianus*, *certam*, ait, *opinionem fuisse* δαιμόνιον αὐτῷ συλλαμβάνειν, *communicato quasi cum Numine consilio omnia eum agere, eiusq; auspicio vti tanta felicitate Libyc.* p. 62. prorsus sicut *Alexander* apud *Curt.* 3, 6, 18, *nil nisi diuina ope aggredi videbatur.* Adeoque ad *supremam* quidem *caussam* referebant fortunam Heroum gentiles,

licet non sine erroribus.

sed mixtis rursum variis superstitionibus & erroribus. id quod in *Scipionis* exemplo l. adducto licet intelligere.

73. No-

73. Nobis, vt verbo dicam, tenendum: *Etiam gentilium Heroas, ab eadem Prouidentiæ cura quæ eos excitauit, vt ceteris donis, ita felicitate singulari instructos: quam, si recte vtantur, in salutem populorum, ipsis concessam seruatamque, si degenerent in praua, ad pœnam populorum, non ademtam statim, fas sit existimare.* Quodque de barbarorum felicitate alicubi Doctor Stridonensis ait, *Nostris vitiis barbari fortes sunt*: idem de Heroum suis ingeniis in rerump. damna abutentium successu potest pronuntiari. *Sunt interim, non modo in dirigenda ad salutares vsus illa fortuna, sed etiam in ipso rerum actusque cursu moderando, non pauca, quæ prudentius ignorare cupiamus, quam curiose rimari satagamus.* Atque huius reuerentiæ erga supremi Numinis sapientiam instigamenta, piorum quisque in sua vita fortunaque quotidie, nedum in admirando actus heroici pelago, inueniet.

igitur verior & plenior sententia hic indaganda.

74. Nam prorsus hic plura admirantur quam capiunt homines. Estque adeo ipsa admiratio, siue *Auctoritas* non minimum ad res Heroico spiritu profligandas aut ordinandas instrumentum. Genuina soboles felicitatis: quam

Auctoritas *in super Heroicæ impetrabilis usquequaque & felicis efficacia est.*

quam quia non capit ingenii nostri modus, admiramur. Quanquam hic omnia cohærent: nam & *vigor* ille, & *celeritas* illa, & *impetus* captu nostro superiora, atque ideo admirationis argumentum sunt. Multa quoque alia quæ eminent in Heroë & splendent, implere animos hominum animaduertimus *non admiratione modo magnitudinis, sed reuerentia cultuque maiestatis cuiusdam*. Atque hæc est illa *Auctoritas*, sane etiam aliis, sed minor, (sicut & de felicitate ceterisque iudicari volumus) concessa: *qua aliquando nomen* Herois *præstat, quod aliorum arma non obtineant; qua absentibus adesse, præsentibus oriri aut ingruere, foris, domi; pace, bello; visu, auditu magnus, illustris, efficax* videtur. *hæc in prosperis ornamentum, in aduersis leuamentum; in subitis pro consilio, in difficilibus pro telo est: denique quod vix multa multis elaborando præstant,* Heroi*, sæpe in antecessum, semper cum pondere & instrumento sequentium, conficit Auctoritas.* nec immerito: quippe venerationem cælo auctore conceptam, actuque Heroico confirmatam, transire in affectum, publicoque iudicio foueri ac intendi consentaneum est. At-

que

que hoc *in bello* pulcerrimum vincendi genus est, vbi ipso nomine famaque animi capiuntur, non vulnerantur ferro corpora: *in pace* ea gloriosissima imperandi ratio, cum non terrore validius & suppliciis, quam imperantis maiestate improbitas coërcetur. Ita *Scipio* Carthaginensium prius animos, quam muros debilitauit: ita *Cæsar* Romanæ Monarchiæ summiq; imperii reuerentiam ante quam vim gentibus ac nationibus conciliauit: ita *Augustus* fatalis potentiæ terminos per terrarum orbem, ad obsequia populorum non extendit modo sed illustrauit. Vnum enim aliquod è maioribus adferre libuit, vt hoc quasi compendio ceterorum enumerationem lucrifaceremus.

75. Hos agendi neruos (seu quocunque nomine grandius signari debent, quæ nihil in humanis simile habent) quantum robur comitetur, quoniam exemplis ostendere hic non licet, etiam inde fas est iudicare, quod neque ceterorum deficiuntur vllo Heroës, quæ rebus gerendis sunt idonea. Si ingenii nitendum est dotibus, hi sunt ingeniosissimi: si artibus animi & virtutum instructu,

Concurrũt deniq; aliæ plurimæ dotes artesque:

structu, hi sunt instructissimi. Prudentia ad agendum, virtute ad viuendum, non vt alii, sed cum excellentia fati Heroici, præualent. Sicut ex diuerso longè grauius, quam exemplo vulgaris exitii, terris incubuere, quoties in peiora degeneratum est. Etiam *Eruditio & promtitudo liberalis disciplinæ* plerosque Heroas iu augusti operis sui artes adornauit. De *Scipione Velleius* magnifice 1,13,3. De *Iulio & Augusto Suetonius*, & alii passim. dignumq; cognitu est, quomodo Cæsar Octauium suum, in quo iam indolem Heroicam obseruauerat, voluerit institui, apud *Dion.* 45.

præsertim etiã prudentiæ & eloquẽtiæ studia.

76. Nobis enim non conuenit egredi hic ad studia *prudentiæ* præsertim & *eloquentiæ*: quam & ipsam Heroibus plerisq; familiarem, & in vsus Heroicos necessariam (cum aliquando non minora oratione quam consilio manuue conficienda Heroi videantur *v. Flor.* 4,2,10.) animaduertimus. Quæ res facit, *vt prorsus in donis heroicis Doctrina sit numeranda*. Non, quod plane nullus ab hac regula excipiendi locus relinquatur, sed quod plerumque ita comparatum sit. Memorabilis est obseruatio *Plutarchi in Mario*

uio, sub initium: *si studiorum aliquem vsum ille vir habuisset, nunquam in praua & abominanda consilia, quibus laudes suas contaminauit, prolapsurum fuisse.* Nec desunt in recentioribus Historiis huius obseruationis exempla. Scilicet indomitos alioquin spiritus, & exuberantem, præsertim Heroum, impetum, doctrina non emollit quidem aut eneruat, sed temperat & sæpe regit. Nos cum abunde caussarum habeamus, cur *Heroibus* Marium non annumeremus, *in proximo tamen Heroibus gradu, inter Heroicos viros conspici potuisse, si litteras, prudentiæ virtutisque magistras, non spreuisset*, ad exercendam studiosæ iuuentutis cogitationem, hic pronuntiamus.

77. Est præcipue *Pietatis* in actu Heroico efficacia singularis tam in dirigendis omnibus quam in patrandis: est etiam quædam, vt sic dicam *Heroica Simplicitas*, qua aliquando actuum sublimium profunditas vt velo obtendebatur: verum nobis nec de omnibus istis dotibus pertractare constitutum est, quod sæpe iam testati sumus, & sunt illa partim *Sanctis Heroibus*, partim *primæuis temporibus* propria: prorsusque digna,

nam de Pietate, *&* simplicitate Heroum *alibi cõmodius agitur.*

gna, quæ cura peculiari, forſitan alibi, diſquirantur. Nunc antequam hinc abeamus, quoddam *progreſſionis in actu* ſpecimen, *per vinculorum, quibus cauſſa cauſſam, actus actum trahit, ſeriem* aliquatenus deſignabimus.

Quomodo ipſa progreſſio actus *Heroici, quibuſdã connexionibus & vinculis continuetur.*

78. Igitur procliuis in magna indoles, cum vel accepit, fortuna quaſi occaſiones ſuppeditante, magnam exercendæ virtutis materiem, vel quæſiuit & ſibi ipſa ſtruxit (id quod ſæpe boni & iuſti opinione, aliquando non opinione, ſed reuera iuſto bonoque titulo accidere poteſt) ipſo ſucceſſu non ſatiatur, ſed ad maiores plerumque cogitationes attollitur. Qui affectus nonnunquam vſque ad ſupremum diem perdurat, Sicut exemplo *Iulii* Noſtri eleganter & cum prudenti obſeruatione oſtendit *Plutarchus.* ſcilicet τὸ μεγαλουργὸν καὶ φιλότιμον καὶ πολλαὶ κατορθώσεις deniqueproficiunt in φιλονεικίαν τινὰ ὑπὲρ τῶν μελλόντων πρὸς τὰ πεπραγμένα: id eſt, *quando animus nihil modicum aut paruum ſpirans atque cupiens, multis magniſque operibus ſe ac ſuas vires feliciter expertus eſt, tum in fiducam ſui amplius accenditur, incipitque ſecum quodammodo ipſo contendere*

&

& nouis exemplis priora vincere. vt ipsos iudicii neruos è pluribus verbis hic proponam. Acceduntque magna inuitamenta. vel enim *imperii gloriæ, & reip. commodis studetur*, sicut Cæsar ab initio dum externos hostes profligat pariter & quærit. *vel ex tot meritis, quæ omnium maxime intelligunt ipsi Auctores, accenditur cupiditas præmiorum, vt nihil sibi non deberi, præsertim vero honores summos opesque credant, & dum credunt, habere quam expectare malint*. Magnum exemplum huius rei in magno Viro cum recitasset, subiicit Thuanus lib. 2: *id sibi tot victorias spondere atque adeo sibi deberi tum confidebat, tum vero & rem tentare honorificum & quodammodo necessarium existimabat*. Penetrauit, vt in aliis plerisque, Scriptor prudentissimus & veteribus comparandus ipsam arcanam ὑπόθεσιν Maximorum Principum, quibus non eximitur, *honorificentiæ plurimum habere, quæ familiæ prouehendæ, dignitati augendæ aut parandæ seruiunt consilia*. Tum autem in magna potestate constitutis frequens & facile schema necessitatis succurrit. ita opus esse, *vt maiestas imperii stabilis & efficax sit: vt negotiorum ob-* cap. 2.

uer-

uersantium aut emergentium moles fortius excipiatur ,dexterius sustineatur : vt status reip. labens instauretur : vt dignitas attaminata vindicetur ac conseruetur.

79. Nam hoc postremum præsertim sæpe iactatur : idque *Iulii* & *Octauii* exempla luculente testantur. Neque abnuerim, *crebro talibus ingeniis, si non caussam, certe occasionem prætextumq; suppeditari, non magna modo, sed nimia moliendi.* Modo *obliquus aliquis Cato* (*Flor.* 4,2,9) modo, *aduersarius aliquis Pompeius,* & *studio partium* ἀντιπολιτευόμενος *siue obtrectator Scipio*(*Cæs.* 1 *bell.ciu.pr.*)modo *inconstans inquietusq; aliquis Curio*(*Vellei* 2,48,3 &c.) facem subiicit nouis consiliis, atq; adeo, sano & bono sensu,

— iustos fortuna laborat
Esse ducis motus & caussas inuenit armis.

sicut *Lucan.*1,265 loquitur. offeruntur etiam ex nec-opinato iustiores ingentium consiliorum continuandorum caussæ: vt *cum Cæsarem fraude & bello audent lacessere Ægyptii,* ap. *Vellei.* 2,54,1. *cum ad opem reip. dominatione Antonii oppressæ ferendam Octauius Ciceronis consilio, auctoritate Senatus inuitatur* (*v. Dion.* 45 & 46) ne dicam de *Amicorum instinctu, prodigiorum*

monitu

monitu, ſimilibuſque quæ nunquam deſunt magna conſilia ſemel ingreſſis.

80. Poſſunt ex iis quæ diximus, etiam plura, quæ non dicenda nunc putauimus, coniectari & colligi. Quibus omnibus probe conſideratis, *Prudentius*, vt arbitror, *ſperabit timebitque de Heroibus, quiſquis in eam curam ſuas cogitationes intendet.* Licet enim veriſſimum ſit in omni re humana illud *Velleii Noſtri* 2,75,2: *Quis non diuerſa præſentibus contrariaque expectatis aut ſperet aut timeat?* tamen iſtud caſuum *παράδοξον & ἀνόμαλον non debet impedire aut ſufflaminare hanc diuinantis animi curam. Nam ſicut diligentiæ & generoſitatis eſt, ad excipienda quæuis inopinata ſe comparare: ita *illud ingenii, ſi quis poteſt vigore mentis præuidere quæ futura ſunt, & tanquam ante oculos locare, quid poßit accidere; & quid agere debeat, ſi ita accidit definire: interdum duo & tria ſimul voluere animo, quæ coniiciat, aut ſingula aut coniuncta accidere poſſe, & aut ſingulos aut coniunctos diſponere actus, quos intelligat profuturos. Fortis ergo eſt viri* (addo, & Prudentis) *non diſſimulare cum aliquid immineat, ſed prætendere, & tanquam explorare*

Quæ obſeruationes omnes licet aliquid incertitudinis habeant:

* inopinatũ & irregulare.

tamen ad officia Prudentiæ merito referuntur, ſicut ſupra dictum eſt.

plorare de specula quadam mentis, & obuiare cogitatione prouida rebus futuris, ne forte dicat postea: Ideo ista incidi. quia non arbitrabar posse euenire. quæ D. *Ambrosii ex* 1 *offic.* 38, verba sunt. Notum est Ciceronis elogium ex *Nepotis Attico* 16, 4: qui *non solum quæ vivo se acciderunt, futura prædixit, sed etiam quæ postea vsu venere, cecinit vt vates.* eiusque diuinationis exempla præsertim in epistolis ad Atticum, de quibus Nepoti sermo, reperiuntur, vbi plurima similia illi loco de *Iulii Nostri* caussa *lib.* 8 *ad Attic. ep.* 11. *προθεσπίζω igitur, noster Attice, non ariolans, vt illa, cui nemo credidit, sed coniectura prospiciens,*

Iamque mari magno.

non multo, inquam, secus possum vaticinari: tanta malorum impendet Ἰλιάς. Non est hic tamen obliuiscenda exceptio, de qua *supra* 1, 16 & 2, 46: vt vel inde difficultas huius rei cautioque intelligatur.

Tertia pars tractationis expendit: Quibus subsidiis promoueri, vel remediis impediri Heroum actus possit.

81. Interim cum bene erunt rationes prouidentiæ subductæ, longe difficillimum opus restat, *vt ii*, quorum præcipue curam & officium tangit vel illa spes, de qua hactenus dictum, vel ille metus, *recte se gerant, non tam in*

promo-

mouenda Heroum indole ad ſperata (nam ea ſe facile explicat ſapientia) *quam in prohibendo Heroico conatu à formidatis.* Vt promoueantur Heroici actus alienis ſubſidiis, eo minus eſt opus, quo magis abundant propriis. *Impetrabilis* illa *efficacia* (liceat enim mihi forte hic *Ammiani* verbo vti) ſe ipſa prouehit & euehit, ſe inſtruit ipſa ad actum, & in actu promouet. Vt ſufficere videatur hoc loco ad promouenda Heroum bona publicoque ſalutaria conſilia: *Non obſtitiſſe.* Quod ne fiat, non tam Herois quam obſiſtentis intereſt. Nam illum quidem nemo impune à cura Reip. retardauerit.

Et ſubſidia quidem promouendi actus potiſſima ex ſe habent Heroes:

82. Sunt tamen & hic aliqua, quibus prudentum animi ſuam Heroi promtitudinem declarare, ſuumque in promouendis bonis conſiliis ſtudium approbare, & poſſunt & debent. Vnum, & ſi forte, alterum ſpecimen dabo. Cum duo Romani duces ſummi (Scipiones) in Hiſpania cecidiſſent, iamque qui ſuccederet, ſumma cura legendus eſſet, nemoque reperiri poſſet, qui eam belli molem in ſe reciperet, tum Iuuenis Scipio annorum 24 (ille *cui tam grande de Africa*

niſi quod in hunc cenſum aliquando veniſſe leguntur, fauor & honor *publice exhibitus,*

cap. 2. *nomen fata decreuerant, Flor. 2,6,37. Nostri* per adoptionem auus) in medium prodiit animumque Heroicum reip. obtulit, posteaque sui consilii rationes ita exposuit, vt facile appareret, non à temeritate iuuenili, sed à generositate Heroica profectum, quod promiserat. Recens is conatus, & persona nondum satis in publicum intellecta ac profundiore notitia æstimata erat. Quod si tamen maiorem ætatis, quam fauoris rationem perseuerassent habere Romani, ingens sibi malum consciuissent. Pars prudentiæ & felicitatis fuit, quod *omnem beneuolentiam & dignitatem summam* Scipioni detulere: eiusque consilia & tum & postea, non sine veneratione actus Heroici, rata esse ac fausta iussere. consulendus *Liuius* 26, 18 & 19.

item, tempestiua legis aut consuetudinis venia.

83. Atque hic, *non vsquequaque & adeo legibus nonnullis aut consuetudinibus est inhærendum, vt Heroicis pro rep. molitionibus quasi obicem, quantum quidem in nobis est, ponamus: quin potius eundum, qua fata & Herois virtus viam pandunt, non qua nobis ire optatius erat*. Laudauimus supra *Romanorum prudentiam*, qui in No-

stro

ſtro Scipione (*poſteriore*) leges annarias non tam neglexerunt, quam tempori & negotiis cedere iuſſerunt. Contra ea *Thebani* non ab ipſo modo Epaminonda, in exprobratoria iſta excuſatione (v. *Nepot. in eius vit. Appian. Syr.* &c.) ſed à poſteritate tota merito irriſi ſunt, quod neque poſt euentum intellexere, *ſalubriter & Heroica prorſus prudentia violatam eſſe à ſummo viro legem populi, ne violaretur, imo ſubuerteretur Salus Populi.* quam plerumque nemo minus, quam populus ipſe intelligit. Itaque *nullibi maius eſt Heroibus vel periculum vel impedimentum, quam in ſtatu populari.* nam & de indole Heroica omnia in ſequiorem partem ferme interpretantur, & de actu Heroico (quem neque capiunt ſcilicet) *craſſius quam par eſt, iudicant.*

Quæ obſeruatio ad liberas præcipue ciuitates ſpectat.

84. Cuius rei exempla non alia terrarum dedit plura, quam *Græcia*; de qua hoc tantum nunc vacat annotare: *Ciuitates eius liberas ſæpe ſuis incrementis obſtitiſſe, ſæpe decrementa ſibi acceleraſſe, dum Heroum actus & conſilia vel non promouent vel impediunt.* Eſt enim hoc quoque à iuſtitia fati non alienum, *vt in-*

grati erga Heroica munera & successus ciues, suis incommodis postea luant iudicandi sinisteritatem. In vnius imperio, minus hac admonitione opus est. Nam Heroem Principem plerumque prona parentium beneuolentia comitatur: & *reges non liberi solum impedimentis omnibus, sed domini rerum temporumque trahunt consiliis cuncta, non sequuntur.* quæ *Liuii* verba (ex 9, 18.) cum emphasi ad nostrum institutum possunt accommodari.

nam Monarchæ ipsi actuũ rerumque Domini sunt.

Inseritur ardua quæstio:

85. Sed, *hæc ad ciues tanti Regis pertinent*, inquis: *qui aliis quoque rationibus tenentur parere Regi ad maiora vocanti, eiusque consilia omni ope promouere.* Quid autem, *si in publico & late spectante negotio, vel conuersione rerum, Heros aliquis* (nam an talis sit constare vtique debet) *magnæ spei & ad plures populos pertinentis consilia agitat: an sociare opes & operam debent aliæ resp. & Principes, qui nec dubitant de propositi Heroici rectitudine, & indolem ipsam serio mirantur?* Magna & ardua quæstio; quam nec capio, nec definio. Itaque responsionem quidem hoc loco nemo à nobis expectauerit: verum si quid obseruationis huc facientis habet

ad quam non tam responderi quàm annotari aliquid hoc loco potest.

Hiſtoria, quam tractamus, & conſideratio euentuum, quam in tractanda hiſtoria ſectamur; non alienum fortean fuerit, cum venia prudentium in tranſcurſu pauca quædam annotare.

86. Ante omnia, veteres memorias recognoſcenti, aſſiduis ferme exemplis conſtabit: *Magnos rerum tranſitus ac converſiones facilius quidem præuideri, dum imminent; at vbi iam voluuntur, nihil difficilius ad captum hominum, nihil intricatius ad iudicium eſſe.* Poſſunt eius rei cauſſæ ſatis perſpici ab iis, qui hæc altius meditantur. *Non poteſt enim magna mutatio fieri, quin coniungatur plerumque aliqua violentia & rerum perturbatio: & in his omnibus verſatur diuina manus partim flagellis armata, ad quorum conſpectum oculos & prudentiam ſubmittunt mortales; partim operibus nouis occupata, quæ raro ante euentum ſatis intelliguntur.* Quo fit, *ut bonas aliquando rationes ſequantur, qui in partes veniunt: neque male ſentiant etiam ii, qui non veniunt in partes. Sicut enim quædam ad hæc talia inſtigant: ita quædam retentant.* *Atq; hoc eſt æqui-*

librium illud spei & metus: ex quo sæpissime nulla prudentia, sed fortuna aliquid eligit. Fallor an hæc consideratio, quæ late patet, maximisque exemplis fecunda est, *iudicium nostrum circa casus actusque humanos, ad æquitatem & prudentis veniæ promtitudinem temperare* potest. nisi quod in caussis temporibusque certioribus ac expeditioribus, alia existimandi methodus, ex indole rerum haud raro emergit. Interea, quantum ad Heroas ipsos attinet, *vel constituit DEVS perficere eorum propositum*; & tum exiguas opes maximis viribus superiores præstare potest & solet, ne dicam, quod sæpe alia, quam ipsi optabant sperabantue, subsidia quasi ex machina, vt est in prouerbio, excitare mauult: *vel inchoare ac ostendere tantum orbi voluit* Heroicum *opus & præsidium*; & tum Heroum magnanimitas libenter ad voluntatem diuinam, quam semper attendere conuenit, subsistit. haud ignara, *etiam inter eos, qui nescio quas vires & animos offerant, plurimos non tam Heroum bona & generosa consilia sequi, quam suas occasiones speculari, & felicitatem potius caussæ suis rebus accommodare, quam iusti-*

tiam

tiam defendere. Quibus *haud paulo meliores* sunt, vt arbitror, quos neque excitat neque abstinet calliditas, sed solicitudo & perplexitas temporum à præsentioribus consiliis discludit.

87 *Quod si autem in sequiorem partem sua consilia flectere, & aduersus statum reip. aliquid cogitare animaduertatur* Heros, *quid & quomodo ex regulis prudentiæ inhibendum est?* spectat hæc cautio cum primis *ad regimen* Plurium, *aut mixtas resp.* nam in παμβασιλεία, si quid innouatur aut insolentius vsurpatur, ciuibus patientia & immobilis erga principem fides, loco prudentiæ commendari debet. Ibi ergo, vt salutaris ἀντιπραγία locum habeat, primum & validissimum momentum *in tempore est. Principiis obstandum: nam quod semel hic conniuendo transmittitur, postea raro corrigitur. si secunda quoque molitio processit, iam tertia admissa est: & sic deinceps.* Quæ circa *Iulii Cæsaris* molitiones imprudentius & sero Romani statuerint, vide apud *Dan Heins. in orat. de C. I. Cæsare:* vbi diligenter & perite hæc talia illis exprobrat. Nos enim necessaria festinatio nusquam patitur subsistere.

Remedia inhibētia *quod attinet.*

primum momentum est in tempore:

secundum, *in legibus.*

88. Ceterum cum ſtatus libertatis aut mixta è pluribus reſp. omne ſuum robur & vim & quaſi animam *in legibus* habeat, igitur *tum* Legislatori & reip. conditori ab initio ſtatim accurato ſtudio prouidendum eſt, vt ea legum congruentia aptatiſque in mutuos & firmos complexus vinculis τὸ πολίτευμα emuniatur, quæ conuelli ſine conuellentis exitio nequeant: *tum gerentibus* remp. ſummopere erit annitendum, ne quid occulti, ne quid aperti vitii illa compages ſtatus ciuilis, & firmitudo legum capiat. Nam *in parte* προφυλακτικῇ præſtantiſſima & tutiſſima prudentia conſtituitur: cetera *ſubſidiaria*, atque adeo incertiora remedia ſunt, quod *Ariſtoteles in Politicis* grauiter monet. In ſtatu rei Romanæ euidentiſſima eius fati documenta habemus. Facilius potuiſſet tam *Cæſaris* quam aliorum conatibus contraueniri, niſi legum maximarum & in quibus incolumitas publica fundabatur, auctoritas imminuta & *auxilium* iam *inualidum* fuiſſet. nam inter *certamina potentium & auaritiam magiſtratuum* pridem *vi*, *ambitu*, *poſtremò*

pecunia

pecunia turbabantur. Tac. 1 A. 2,4. Quod enim supra diximus, *leges aliquando publicæ vtilitati in promouendis Heroum consiliis cedere*, & de *temporibus* & de *negotiis* diuersis intelligi debet: quo accedit ipsarum *legum discrimen* & *modus* à lege aut consuetudine declinandi. quod si consensu iudicioque reip. fit, non turbatur lex, sed dispensatur vsus legis; non conuellitur aut infirmatur, sed explicatur, suppletur, corrigitur pro re nata, sicut à quouis in exemplis antea allatis deprehendi potuit. Nos cum eam status corruptionem hic in oculis habeamus, quæ legum vim & vsum infirmauerat, supra id, quod modo de transmissis per publicam negligentiam Iulii primis molitionibus iure exprobatum diximus, etiam eo nomine Romanos arguere possumus, quod passi sunt huc recidere cuncta, vt extrema exempla aliqui possent audere, aliqui extremis remediis non possent propulsare.

89. Quanquam reuera, felicitatis nimiæ vitiis inquinati ciuitatis mores animique, & nunquam satis bona fide coalita potestas populi ac optimatium, *tertium in consideratione status publici.*

tium, concussis semel quæ vel mutuo metu vel communi periculo ac negotio olim continebantur, concordiæ pignoribus, non potuerunt, nisi per conuersionem rerum statusque, in legitimam formam ordinatumque corpus reformari. Hoc præcipue & maturrime animaduersum oportuit ab iis, qui adhuc aliqua auctoritate valerent & publico prospectum cuperent. nam e. g. ita facile potuisset intelligi, *non esse id tempus quo Heroica Iulii Cæsaris indoles, postquam tot meritis remp. obstrinxisset, vi & contumelia inhiberi deberet.* & obseruauerant hoc aliqui. igitur *Cic.* 1 *epist.* 9 *ad Lentulum, Resp.* inquit, *mihi videbatur contentionem, præsertim maximis rebus à Cæsare gestis, cum illis viris nolle fieri: & ne fieret, vehementer recusare.* nisi quod postea priuati nonnullorum affectus, opesque Pompeii in deteriora valuere. Multo minus autem, post rem confectam, Cæsaris, data acceptaque solenniter fide rebus impositi, cædes iniustissima pariter & infelicissima, remediis formidata inhibentibus accenseri, nisi stultissime, potuit, sicut & deinceps facile erat ani-

animaduertere: *non irritandum esse amplius Octauium.* Quin potius illud tempus iam postulabat, *vt vnum aliquem* (quem autem potius quam Heroëm tantum?) *rebus suis præficerent, eumque in opprimendis tot reip. turbatoribus per omnia adiuuarent.* quod & *Dio* iudicat *lib.* 46. *p.* 356.

90. E quibus omnibus, si distinctius iam agendum sit, patet: *Quando Heros aliquis viris Prudentibus in rep. suspectus sit de consiliis mutandi status, ante omnia dispiciendum esse, an conseruari aut emendari possit ille status vt diutius subsistat: an vero vitia ægri corporis eo vsque peruaserint, vt conuersio aliqua rerum necessaria sit, & vltro immineat.* Quod postremum vbi euenerit, sicut exemplo Romanorum modo ostendimus, *non tam de inhibendo, quam de dirigendo ad optimas rationes Herois consilio cogitandum erit.* Vt, cum oligarchica certamina non possunt aliter sopiri, neque fessa ciuilibus discordiis resp. aliter sanari, quam Monarchiæ subsidio, ibi sane reip. & *pacis intererit, omnem potestatem ad vnum conferri.* quod, de Augusti Principatu, cum *Tacito* (1 *Hist.* 1, 2)

de qua regula hic traditur?

1, 2) prudentiſſimus quiſque poſterorum iudicauit. Quantum ſanguinis non eſſet fuſum, niſi imprudenter & intempeſtiue obluctando Heroicas vires Romani in ſe irritaſſent? Præſertim cum Heroica ingenia ad extremam ſæuitiam non ſint prona, & omnino certis artibus mitigari queant. Meminiſſe autem velim, quicunque hæc legerint, caute & intra cancellos, vt ſic dicam, quos nobis occaſione exemplorum noſtrorum circumpoſuimus, accipienda eſſe, ſaluis exceptionibus & iudicio grauiore ſuper diuerſis cauſſis. Prudentiæ, inquam, quæ fato ſe præbet; non ignauiæ, quæ fatum accelerat, conſultum cupimus: & Principatum reſpicimus, non Tyrannidem: neque de alio quam Heroe loquimur.

quartum in prudenti moderatione: 91. Cum quo ſemper caute agendum eſt. *etiam vbi ſpes ſeruandi & reſtaurandi ſtatus prioris ſupereſt. Non contumeliis, non gladiis; ſed bonis legibus & moderatis rationibus Heroum animi flectuntur & expugnantur.* Itaque ne audi Politicos, quibus poſt tria verba *Oſtraciſmi, inſidiæ ſpecie negotiorum ſtructæ, honorata*

exilia

exilia & ſimilia, certe periculoſa, arcana in ore ſunt. Longe aliter cum Antonio aliquo, quam cum Octauio comparatum eſt. Sunt cauſſæ, ob quas cum illi gladium intentares, hunc veneratione ſolenni conciliares. Nemo decipit Heroas per arcana inania: nemo per violenta terret. neque quidquam profuit vnquam, ſæpe plurimum nocuit vel Romanæ vel Græcis ciuitatibus, quoties Heroas iis, quibus prædiximus, modis aggreſſæ ſunt.

92. Etiam in diuinæ Prouidentiæ, præſertim debitis rationibus placatæ ordinatione non parum reponendum eſt. Illa ſæpe diſcuſſit cogitationes ſummorum virorum, quibus inclinandis nulla prudentia par fuiſſet. illa *voluntatum humanarum exorſa interdum alio, quam quo contendebant, exitu terminans, multiplices actus conuoluit.* quod inter paganos etiam *Ammianus Marcellin.* vidit *lib.*14 *c.*39. illi curæ ſunt non reſpublicæ tantum, ſed vel præcipue in rebusp. forma imperii, eiuſque conſeruatio aut mutatio. illa denique clare perſpicit, quod noſtra coniectatio obtu- *quintum in fortuna.*

ſius

ſius inueſtigat, & in quo ſæpe fallitur. Quo fit, vt remedia aliquando inclament homines, vbi nullis remediis opus erat. Nam, quod ſemel hic teſtor, plurimum intereſt, an de aperta ſeditione & ſeditioſo turbatore agatur, vbi nota Politicorum monita obtinent: an vero de ingenii Heroici ea promtitudine, qua aliquando in ſuarum virium aut meritorum æſtimationem longius euectum, erroris ſui ea fomenta & inſtrumenta, in publico enata aut enaſcentia inuenire poteſt; quæ ſtatui reip. formidabilia ſint & periculoſa. Denique quid Prudentia hic in futurum diuinare, mature obſeruare, & bona ſolertique ratione vel munimenti loco opponere, vel remedii loco in tempore, & per momenta euentuum adhibere debeat, vt reip. aut minore motu conſeruetur priſtina facies, aut ſi id non poteſt, tranſitu minus exitiabili mutetur. Sicut & alias in omni medicina rebus publicis accommodanda diligenter cauendum eſt, ne curatione ipſa aliquid noui vulneris exoriatur.

Munitur hic locus adeoque totum caput diſtinctione *&* cautione: *reliquiis huius argum. in caput ſeq. ſervatis.*

CAP. III.

CAP. III.

1.

DIstulimus è superiori de Heroicis ingeniis tractatione in hoc caput, eam quæstionem: *An Pompeius, Cicero, aliique*, præter tres illos (Scip. Iul. August.) *Velleio memorati Heroibus essent accensendi nec ne?* Quæ disputatio, eo pertinet, vt accuratius intelligatur ipsa Heroum descriptio, & character excellentiæ Heroicæ paulo pressius examinetur. Qua in re prorsus magna latet difficultas: si præsertim consideremus, *plerosq; omnes in designandis & nominandis Heroibus tam liberales esse aut animosos, vt nec singularis fastigii Heroici raritas, quam sapientissimus quisque agnouit prædicauitque; nec distinctioris notæ proprietas, sine qua confusio vix euitari potest, satis conseruentur.* *Amplius, & sub exemplis, de Heroico charactere quæstum.*

2. Nos, vt breuiter agamus, ante omnia necessarium existimamus distinguere, inter *Heroas* & *Heroicos viros*. *Ille* titulus præcise notabit id, de quo quæritur: *Hic* latius patebit, eamque naturæ præstantiam complectetur, quæ summum illud fastigium, non æquat quidem, sed attingit aut alludit. *Ille*, Scipiones, Iulios, Augustos, Alexandros, *distinctum quid inter Heroas & Heroicos viros.*

& ſimiles indicabit: *hoc* contenti erunt *Pompeius*, *Cicero*, aliique.

Cur ſupra Romulus *non inter Heroas nominatus*:

3 Ceterum vis & ratio huius differentiæ, exemplorum declaratione amplius patebit. Manentibus autem in Romana potiſſimum hiſtoria, primus occurrit *Romulus*, vrbis gentiſque Romanæ conditor; non ille quidem deſcriptione memorabili Velleio narratus, ſed narratus tamen. *An omittimus hunc in Heroibus recenſendis*? Minime vero: Sane, quicquid Heroës magnos vel commendat, vel indicat aut ſignificat, eorum nihil defuit Romulo. verum nobis animus erat, commentationem noſtram ad *deſcriptiones* χαρακτηριστικὰς Velleii accommodare. Itaque, cum deſcriptio talis abeſt, neque expoſitio noſtra locum habere intelligitur. Alias omnino in argumentum prægreſſi capitis veniſſent, *Romulus* (cuius mentio ap. *Vellei* 1, 8, 4) L. Æmilius Paullus (1, 9, 3) & ſi qui alii tales obiter ac in tranſcurſu ab Hiſtorico nominati ſunt.

item Pompeius.

4. Inter eos, quos magnificentiſſimis laudibus, & tanquam Heroas, Velleius honeſtauit, Cn. Pompeius luculentum nactus eſt locum. vide 2, 29, 2

&c.

&c: 2,31,1. Sed nos inter Heroas vere & citra controuersiam ita nominandos non retulimus virum. *Primo* enim, non consentiri has laudes ab omnibus videbamus. Notum est illud *Sallustii de Pompeio in orat.1.de rep.ord.* vbi *maiore fortuna, quam sapientia* fuisse dicitur, ceteraque eius magnitudo non tam animi, quam diuitiarum & famæ viribus adscribitur. *Deinde* licet *magnum & memorabilem virum, multasq; egregias in eo siue ingenii dotes siue animi artes* libenter meritoque agnoscamus: tamen infra trium, quos supra laudauimus, excellentiam haud dubie substitit; & nescio quomodo mihi actiones eius æstimanti, non successus quidem ad Heroum famam, sed singularis illa vis ingenii actusque ad Heroicæ sublimitatis mensuram, videtur defuisse. Id quod tamen prudentioribus relinquo altius cogitandum: non pugnaturus cum quoquam morose, si ad mentem Velleii & aliorum, Heroibus simpliciter accensere velit Pompeium. Nobis adstrictior loquendi ratio placuit: ne in illo prorsus summo fastigio plures gradus constituti, obscurarent huius loci philo-

ſophiam. quæ ſic admittit comparationem prope-ſimilium, vt aliquid incomparabile ſibi ſuo iure reſeruet.

& Cicero. 5. Suffecerit ergo forte, *Heroicos viros* appellare tales: ſicut in CICERONE nunc amplius oſtendendum eſt. cuius elogium, ſummæ ſortis prædicationem oſtentat 2,34,3. 2,66,3, *&c.* Et profecto admiranda eſt huius hominis celebritas & magnitudo. verum vel præcipua Heroici ingenii excellentia in eo conſiſtit, *vt non bello minus quam pace polleat.* hoc enim vere ſingulare & paucis conceſſum apparet. Quocirca licet *Cicero* ingenii celſitudine prorſus Heroëm ſpiret: tamen quia pacis artibus & ciuili habitu, non item armorum gloria excellere ipſi datum eſt, hactenus *primam illam ſortem* non attigiſſe exiſtimandus eſt. Poſſemus etiam profundius id diſcrimen meditari, in hanc ſententiam: Obſeruari poteſt, *Deum ter opt. max. ſumma illa & vere primæ ſortis ingenia, quos Heroas diximus, ferme maximis in rep. euentibus, conuerſionibus, mutationibus, amplificationibus conficiendis adhibere*; quod in Cicerone non reperimus, adeo vt mirandum ſit, hominem tanti nominis,

nis tantæ prudentiæ, auctoritatis, tam parum vel in hanc, vel in illam partem præstitisse, cum resp. mutaretur. Dum enim modo fluctuat, modo dubitat, modo timet: semper intra conatum substitit, atque vix voluntatis suæ, nedum operis, certa vestigia reliquit. Loquor de illis temporibus, vbi Deus magnum illum fatorum reip. orbem circumegit. Nisi quis credat,

— ingentia consulis acta
Iurataſq; manus, deprensaq; federa noxæ,
Patriciumque nefas,

tanti momenti esse, vt quibuscunque actibus, ad quos Heroës à Deo destinantur, comparari queant. Sed tum *illa prior ratio* nobis aurem denuo vellicabit. De CATONE (cuius encomium extat 2, 35, 2) idem ferme iudicium, quod in Cicerone vsurpari potest. Ingentes magni viri conatus plerumque frustra fuere. cum in Heroibus interim, perficiendi destinata efficacia & felicitas, non parum ad fidem singularis excellentiæ valeant. & Cato.

6. Quid de AGRIPPA existimabimus, illo Augusti adiutore, ma- & Agrippa

cap. 3. gno homine & admirabili? Equidem, quod in aliis præcipuum iudicandi adminiculum ſuppeditat, *maximarum rerum effectio*; hic locum inuenire vix queat. Prudentius enim ſentit, qui eam *Auguſti auſpicio* tribuit. Sicut in exemplo ſimili *Horatius* 4 *Carm. od.* 14. Scilicet ad rerum Dominos, ordinarie pertinet miniſtrorum & adiutorum fortuna: aliquando etiam prudentia, fato ſuppeditante miniſtris cogitationem, Domino profuturam. Hinc adeo fit, vt fatorum ordinationem humana ſequantur iudicia: & quam gloriam Deus in ſolidum vni vindicauit, eam cum adiutoribus communicare nos quoque dubitemus. Quæ res non parum obſcurat Heroica Agrippæ, aliorumque opera: facitque, vt Heroicis potius virtutibus, quam Heroico auſpicio, Heroibus præſto fuiſſe; heroiciſque radiis quidem, ſed ab Herois ſole accenſis, effulſiſſe videantur. Hæc, inquam, eſt via cenſendi de Heroicis ingeniis ſub Heroe conſtitutis: quam inuenit ſceptrorum reuerentia, & commendat arcana imperii tutela. Sed cum, *Ariſtotele* momente 3 *Polit*, 5, qui de re aliqua tractationem

ſuſce-

ſuſcepit, non ea tantum reſpicere, quæ fiunt, actuique & experientiæ conueniunt; ſed illa quoque ſpeculari debeat, quæ interior rerum natura, & ſimpliciter ſpectata indoles continet: igitur neque hic prorſus abſurdum aut alienum fuerit, ingenium arteſque Agrippæ *in ſe* conſideratas examinare, *an ingens Herois nomen ſuſtineant nec ne?* Qua in parte clarius nobiſcum agit *Dio Caßius* (*præſertim lib* 53 *&* 54: quæ elogia deſcripſit in ſuum opus *Zonaras tom.* 2) quam *Velleius* 2,79,1. Sane, ſi vera ſunt, quæ *Dio* magnifice extollit in hoc viro, nemo eum Herois titulo venerari, amplius diſtulerit. An & MÆCENATEM? de quo Noſter 2,88,2. Non dixerim: & in promtu ſunt cauſſæ, ex iis, quæ hactenus diſſeruimus. *& Mæcenas.*

7. Interim, ſi in ipſis conſiderandis ingeniis permanemus, haud dubiam *Heroum* trigam dabo: *Marcellum* (de quo *Velleius* 2,93,2) *Druſum Claudium* (2,97,2) *Germanicum* (2,116,1) Qui ſane, quo minus ad perfectum Heroum decus exſplendeſcerent, non indole ſingulari, ſed partim vitali ætate, partim auſpicio deſtituebantur Heroico. Fuerunt, *Interponitur triga Heroũ.*

runt illi pars *inusitati splendoris Heroici, quo Deus Romanæ Monarchiæ initia illustrare voluit*: quæ magnificentia sicut exemplo caruit (nam nec *Assyriorum*, aut *Persarum*, aut *Græcorum* dominatio tam multiplicato fulgore Heroicarum artium exorta est) ita diuturna non fuit, sed nec auctori tantarum rerum Augusto superfuit. Nimirum vt raro longa terris serenitas contingit; ita tantorum siderum lucem, magnarum tempestatum nubila mox exceptura erant. Ac de *Marcello* quidem, præcipue autem de *Druso*, digna Heroibus loquitur *Velleius*: *Germanici* laudes per adulationem, in gratiam Tiberii, obscurat; quas interim alii plenissime admetiuntur, adeo vt *Alexandro Magno* comparari meruerit, apud *Tacitum* 2 A. 73.

An Tiberius in Heroibus?

8 Sed cur TIBERIUM principem, qui Augusto successit, in Heroibus non nominauimus? Si *Velleium* hic audimus, nemo potior illo priorque: tam grandia sunt, & inusitata, denique Heroica, quæ in eo laudat. Sed quis vera iudicia de viuente principe promit? quod historia postulat à scriptore, vix admittit reuerentia in ciue: nedum

adula-

cap. 3.

adulatio. cuius manifestum tenemus, quantum ad Tiberiana, Velleium. Quid? *nonne & ceteri Scriptores magnam prorſus & ſingularem naturam, ſummaſque artes Tiberio tribuunt?* certe. ſed cum tali exceptione, quæ non patiatur eum cum Heroibus comparari aut coniungi. Acute & ſolerter *Dio ſub initium lib.57:* Τιβέριος φύσει ἰδιωτάτῃ ἐκέχρητο: *natura vtebatur penitus ſingulari & mirifica & cuius non alibi exemplum reperias.* Non erat in eo *lætus & alacris vigor ille Heroicus,* qui mores actuſque Heroum honeſtat: ſed obſcuritas quædam cum difficultate & ægritudine animi ferme perpetua coniuncta. Non erat in eo *generoſus & apertus animus,* qualem in pleriſque omnibus veris Heroibus agnoſcimus: ſed abſtruſa vſque ad degeneres latebras triſtis & moroſa vafrities: non modo à leonina indole, ſed à vulpina aſtutia, in ignobiliora omnia depreſſa. Non erat in eo *placabilis animus aut vllæ iræ veniæque permutatio,* ſicut Heroës admodum quidem iraſci ſolent, ſed bona fide reconciliantur: quin potius irreuocabilis acerbitas, & inſanabilis ira, perpetuas odiorum crudelitatumque

tempeſtates ciebat. Atque, vt verbo abſoluam, *quam prope alias ad miraculum accedit Heroica natura: tam prope hæc accedebat ad monſtrum.* Pæne eſt, vt dicam: *Orbi Romano, in Auguſto quidem, quid Heroica indoles eſſet; in Tiberio autem, quid Heroicis artibus vel maxime aduerſaretur, oſtenſum eſſe.*

Arminius *Heros.*

9. Supereſt, vt de ARMINIO, ſummo gentis noſtræ & antiquo ornamento, quid ſentiendum ſit, exponamus. Deſcribit eum *Velleius* laudatque 2,118,2 vt rari præclarique exempli virum: ſed qui tamen infra Heroum excellentiam æſtimandus ſit. Nimirum *Romanis haud perinde celebris* viſus eſt, *dum vetera extollebant, recentium incurioſi*, ſicut obſeruat *Tacitus* 2 A. 88,5. idem, qui longe magnificentius de ſummi viri artibus & fato ſentit. quod iudicium, vt ab hoſte profectum maximi haud dubie faciendum eſt: quanquam ſupra auctoritatem iudicantis, iudicii ratio eſt, qua mouemur, vt omnino *Heroëm fuiſſe Arminium* dicamus. Illuſtrius & publice notius id eſſet, ſi Germanis ſcribendæ hiſtoriæ facultas aut cura fuiſſet.

nam

nam *Historialia* illa, vt sic dicam, *carmina*, quibus canebatur à popularibus, non valebant aduersus temporum casus & æui potestatem. Interim nec diuinæ destinationis consilia penitus videntur obscura esse: *quæ Romanæ ambitioni hunc obicem posuerat*, haud dubium LIBERATOREM GERMANIÆ (sicut & *Tacitus* elogium vere Heroicum agnoscit consentitque) nisi Germani seruitutis suæ fata sibi vltro accelerassent.

10. Ex iis, quæ hactenus allata sunt, animaduerti potest: *in æstimandis Heroibus attendere nos non aliam naturæ excellentiam, quam quæ vere & proprie summa est ac singularis; quæque rerumpublicarum fata potissima suæ magnitudini innexa habet, quibus scilicet tractandis diuinitus Heroës destinantur.* Atque hæc explicandi via accuratiori philosophiæ quam maxime videri possit consentanea. *Alii* animosius & laxius Herois elogio vtuntur, omniaque magna ingenia eo dignantur. *Aliqui*, comparatione quadam fatorum publicorum inter se, siue κατ᾽ ἀναλογίαν, vt Schola loqui amat, Heroëm vocant, *quicunque in quocunque negotio ad remp. spectante magnum*

Distinctio vocabuli Herois, *ad intelligenda varia variorum scriptorum iudicia.*

aliquid

aliquid ausus & executus est. Sic *Homerus*, artis Poëticæ conditor; *Cicero* eloquentiæ; *Socrates*, *Plato*, *Aristoteles* Philosophiæ principes, & hoc respectu *Heroës* fuerint. Ita vidimus, post inductam Romano orbi vastationibus barbarorum barbariem, *Deum restaurandis litteris artibusque ingentes & per omne æuum commemorabiles viros excitasse*; quibus meriti tanti veneratio Heroum famam contulit. Qualia exempla, magnorum nempe ingeniorum certis artibus actibusque diuinitus cum auctoritate & successu adhibitorum, respublica tam ciuilis quam Ecclesiastica copiose suppeditat. Eadem ferme ratio est, qua obtinuit, vt *auctores demigrationum aut coloniarum, conditores vrbium & legum* pro Heroibus celebrarentur. Quanquam apud quosdam *superstitio*, apud plerosque *arcanum parandæ maiéstatis* (sicut in tradendis originibus fieri solet) huic mori tibicinem supposuit. Etiam *familiæ nobilitas*; & frequentissime, *officii & magistratuum dignitas* hoc elogio mactantur: passimque *Heroum stemmata*, & *Heroici annales*, eo sensu leguntur. Deniq;, *quiuis bello manuque strenuus, aut*

ali-

aliquem militiæ gradum adeptus, vulgaris iudicii comitate Heros ſalutatur. Sed nobis tandem ad alia pergendum eſt: poſtquam ſatis,& forte nimis, huic argumento immorati ſumus. Scilicet blandiebatur nobis ſpes veniæ; ſi in rariore diſquiſitione non admodum reſtringeremus ea, quæ ſub acumen ſtili ſponte confluebant.

CAP. IV.

1. INter ceteros igitur *Præſtantes & excellentes viros*, quos *Velleius* quodam deſcriptionis charactere inſigniuit, *primum* eos conſiderabimus, in *quorum ingeniis quædam ciuilitatis nota deprehenditur, cuius auſpicio nec libertatem popularem auerſantur, nec æqualitate Optimatium indelectantur: ſed vtriuſque commodis idoneos ſe & fauentes præſtare poſſunt.* Tales ego cenſeo, *quorum eximiam indolem quædam prudentiæ & probitatis moderatio à nimium altis arduiſque conſiliis ad ſuæ reip. regulam cautoſque & rebus præſentibus accommodatos actus attemperat.* Non cadit ea virtus in vulgares animas aut deflexa ad vanitatem ingenia. Nam vulgi quidem affectus in libertatem fertur,

Inter præſtantiſsima poſt Heroas ingenia ciuiles, πολιτικοὶ, libertatis fautores *hic memorantur.*

sed

ſed inconſulte, & abſque accurato ciuilitatis ſiue τῆς ἰσηγορίας intellectu. Plane, ſicut Ariſtocratiæ dignitatem amare plures, quam tueri, aut ex arte gerere nouerunt. Vtrobique ergo modus, & ratio, & conſilium, adeoque præcellentis naturæ grauitas requiritur.

in quibus Cicero & Cato.

2. Conducimus in hanc claſſem, CICERONEM, de quo *Velleius* 2,34, 3 & 2,66,3 &c. & CATONEM, qui deſcribitur 2, 35, 2. Nobile par virorum & exemplorum. quippe in ipſa *libertatis morientis* tempora ſeruati, populi ſenatuſque iura à ſeruitute & paucorum dominatu, magno ſinceroque ſtudio, licet fruſtra, propugnabant. Hinc eſt, quod in *Cicerone inſitum amorem Pompeianarum partium* Noſter perſtringit 2,62,6. Pompeius enim cum ſpecioſa ſimulatione, libertatis & reip. ſtudium ap. omnes præferret, Ciceronis etiam animum paulatim ad ſe traxit, qui in reip. & libertatis incolumitatem omnes cogitationes intenderat. Hinc eſt, quod magnificentiſſimo præconio *Catonem* ornat *Seneca* ep. 104: *cum alii ad Cæſarem inclinarent, alii ad Pompeium, ſolus Cato fecit aliquas & Reip. partes: ſi animo complecti*

plecti volueris illius imaginem temporis, videbis illinc plebem & omnem erectum ad res nouas vulgum: hinc optimates & equestrem ordinem, quidquid erat in ciuitate sancti & lecti; duos in medio relictos, Rempublicam & Catonem.

quorum ingenium notis quibusdam politicis *insignitur*, communiter.

3. In vtroque ingenio licet notare, τὸ πολιτικὸν siue πραγματικὸν (ita enim potius hic dixerim, quam δραστήριον) τὸ καλοκἀγαθικὸν, τὸ φιλεύθερον. *Illud* significet nobis natum rebus agendis, studiisque ciuilibus ac officiis vrbanis animum: *istud* virtutis, iustitiæ, honestatis amorem: *hoc* dominationis odium, æquabilitatis ac libertatis curam. *Illud* in se continet *singularem virtutem* (i. e. animositatem) in suscipiendis, *constantiam* in peragendis, *vigiliam* in prouidendis, *curam* in tractandis negotiis: quæ cum *Ciceroni* tribuuntur 2,43, 3. non minus interim *Catoni* debentur elogia. *Istud* sinceritatem actus complectitur grauitatemque, qua Cato *nunquam recte fecit, vt facere videretur, sed quia aliter facere non poterat*: item iusti rectique obseruantiam, qua Catoni *id solum visum est rationem habere, quod haberet iustitiam* (huc pertinet, quod *homo virtuti simill-*

millimus dicitur, *& per omnia ingenio diis quam hominibus propior*; & paulo post: *omnibus humanis vitiis immunis*. quanquam ista cum figura rei attollendæ & ἐν ὑπερβολῆς λόγῳ accipienda esse, omnes vident, qualia exempla 1, 12, 3, 2, 130, 5 & alibi occurrunt) *Hoc* vel ex illis liquet, quæ paulo ante dicebamus & mox dicemus.

& distincte.

4. Est tamen in similitudine huius characteris politici; inæqualitati cuidam locus. Fuit enim in *Catone* maior grauitas ac seueritas: in *Cicerone* maior subtilitas & comitas. viuendi ratione *Cato* astrictior; liberior *Cicero* erat. Multa perfecit *Ciceronis* eloquentia; multa *Catonis* ardor atque contentio. *Illum* doctrinæ atque ingenii; *hunc* antiqui rectique moris principem dixeris. Talia plura ex ipsis actus ciuilis speciminibus rectius colliguntur.

Quid de iis publice sperandum:

5. *Quid eiusmodi ingenia publico promittant*, non obscurum esse potest. Equidem *in statu plurium*, & *rebus tranquillis* i. e. intestina tabe non vitiatis, quid aliud, quam decus & splendorem Paci, tot artes paces; quam firmitudinem reip. & incrementa, armatum optimis

consi-

consiliis libertatis studium fecundaque maximis prouisionibus pectora spondent? *Magna*, inquam sunt hæc ingenia, & *proba*, & *moderata*. Quorum illud *auctoritati reip.* istud *administrationi*, hoc *tranquillitati* conuenit. An moderationem Catoni tribuis, inquiet nonnemo, cuius nimium rigorem in gerenda rep. ac seueritatem alii non citra rationem incusant? Egressus est moderationem prudentiæ alicubi & Cato, & (diuersa quadam ratione) Cicero. sed *fidem erga remp. bonique ciuis officium* non egressi sunt: neque ad *noua consilia, inciuilia cœpta, seditiosasq; molitiones* vnquam animum adiecerunt: sicut multa magna ingenia (quæ ob id *immoderata* & *nimia* dicimus) eo tempore videmus factitasse.

6. Neque minus præsidium in talibus viris ciuitas habet, rebus ad turbas domi spectantibus, aut bellis externis coorientibus. *Ibi* enim in omnia penetrabit oculus vigil & perspicax, sicut Catilinæ molitiones industria *Ciceronis*, grauitate *Catonis* è latebris suis extractas & discussas nouimus: *Hic* non magis arma manusque militum foris aduersus hostem, quam domi consilia tantorum

virorum pro rep. militabunt. Itaque, si cum aliorum ingeniorum exemplis hæc Nostra conferas, *sincera & perpetua spes* Remp. solabitur: vix vnquam *timor necessarius aut iusta formido* terrebit. Nisi quis existimet, huc pertinere, si quæ in tantis viris vitia, quibus nemo vacat, deprehendantur. Verum ego in eiusmodi ingeniis, *rectam & constantem reip. iuuandæ voluntatem, ciuilibus artibus auctam confirmatamque inuenio*; cui & fides haberi tuto, & spes inniti valide potest. Nam quoad ipsos actus, quæq; concurrunt aut inde eueniunt, *nullius boni ciuis tam felix est virtus, quin aliquando, præter voluntatem agentis, aliqua eius actio reip. nocere possit.* Sed nimirum vnde consilium abest, certo respectu culpa abest.

Inter artes & instrumenta actus ciuilis potissimũ hic occurrit ἀντιπραγία siue contẽtio aduersus turbidos.

7. Accedet his nonnihil lucis ex iis, quæ sequuntur. Dum enim susceptæ scriptionis ratio nos *ipsas Horum virorum occupationes pro rep. actumque ciuilem attendere* iubet, occasionem intelligimus nobis datam, non modo κατορθώματα Tullii & Catonis, id est, *res prospere sapienterque gestas*, sed & ἀτυχήματα siue *actus successu frustratos* expendendi. Atque illic quidem non est animus, per singulas

virtutes, quibus rempublicam tractauerunt, incedere (nam & prolixum id fuerit, & communia quædam, citra decus & gratiam ſcribendi repetenda forent) ſed quæ præcipua & quaſi peculiaria his viris animaduertimus, ſummatim notanda nobis ſumemus. Nihil autem vel *Tullii* vel *Catonis* vita ad ſpecimen ciuilis actus illuſtrius, aut copia bonarum artium fecundius habet, quam *grauem illam ſolicitamq;* ἀγρυπνίαν, *qua vterque dominandi cupidis rerumque nouarum ſtudioſis velut in perpetuo certamine oppoſiti, libertatem ac remp. à conuerſione & inclinatione, quantum in ipſis erat, propugnauere.*

8. Oſtentat ſe ſtatim hoc loco *Ciceronis conſulatus*. Quo vir maximus vno eodemque tempore pluribus factionibus, ac veluti cateruis perturbantium remp. ſingulari quadam conſtantia, arte, induſtria reſtitit. Nihil iam dicemus de *agrariis legibus*, in quibus oppugnandis ita verſatus eſt, vt cetera quoque immodica & turbulenta Tribunorum pl. conſilia ſimul & eadem opera confunderet debilitaretque: nihil *de Rabirii defenſione* dicemus, qua non tam reus ab accuſationis acerbitate quam ipſa im-

cuius illuſtre ſpecimen habet Ciceronis Conſulatus.

perii maiestas à molitionibus insidiantium vindicata est: nihil de *proscriptorum liberis* dicemus, quorum desideria, tempestiuissimâ seueritate, Reip. temporibus cedere coëgit. Omnia enim virtutis specimina, circa Catilinarii sceleris oppressionem concurrunt. Erat eo tempore Ciceroni vigilandum & dimicandum, *primo* quidem, aduersus *coniurationis principes, socios, satellites, participes*: *deinde* aduersus *collegam Antonium consulem*: *deniq;* aduersus *omnem populum R.* cuius animos, vt contagio, rerum nouandarum studium inuaserat. In tanta mole profliganda (profligauit enim feliciter) non pauca eximie actitata animo obuersantur: sed nos ea tantum attingemus, quæ ad artes ἀντιστρατηγίας propius pertinent, ipsamque ἐπιχείρησιν τῆς ἀντιστρατηγίας καὶ τῆς ἀντιτεχνεῖν concernunt.

considerantur autem in ea primo quidē obnitendi status & dispositio:

9. Qua in parte τὸ ἀντίρροπον καὶ ἰσοστάσιον τῆς ἀντιτεχνήσεως, ante omnia quærendum & obseruandum est. Opponuntur enim hic velut è diametro, *inde prauorum hominum factiosa seditiosaq; aduersus remp. molitio*, hinc *Ciceronis aut boni alicuius magnique viri expedita fideliśq;*

pro

pro rep. prudentia. *Hæc* aduerſus *illam* nititur: & vt feliciter nitatur, non in diuerſam partem aut obliquam, ſed in ipſum iugulum ſceleris directe, opponit lacertos ſuos: nec minore conatu ac robore, ſed pari opus habet, ne illa præualendi occaſionem, inter initia ſtatim inueniat. quo nihil eſt periculoſius & correctu difficilius. Igitur nihil omiſit *Ciceronis* prouiſio, quin in conſtituendo, vt ſic loquar ἀντιπραγίας ſtatu omnia perſpeculareretur, vnde molitionibus nefariis robur, conſilium, adiumentum pararetur, aut parari poſſet. Videbat Catilinam, audaciſſimorum & conſceleratiſſimorum hominum caterua ſuccinctum, non dominationem modo ambitione & potentiæ cupiditate; ſed inauditi facinoris crudelitatem, deſperatione quadam animo concepiſſe. Poterat id detectum, animum alterius ipſa rei atrocitate velut obtundere, vt de obſiſtendo iis quæ cognouerat vnice ſatageret, neque ad plura curam ſuam attenderet. Ciceroni ad ipſum mali fontem penetrandum erat. Videbat latere in ipſis reip. viſceribus, in diſciplina ciuitatis, in corruptiſſimis ſæculi mo-

li moribus, vim atque originem morbi, siue *seminarium* quoddam *Catilinarium*, quod in cohortes quasi distribuit, & publice ostendit *orat. 2 Catil. cap. 8. vsq; ad 11.* Videbat esse in rep. magna quidem illa & excelsa ingenia, sed nihil aliud quam mutationem status optantia, & veluti è longinquo molientia. videbat esse, qui nondum quidem Catilinæ consiliis permixti, qualicunque tamen euentu aut occasione propius & vehementius in præceps ire meditarentur. Videbat omnes ordines monstrum in sinu alere. videbat à capite reip. & collega suo, per totum corpus contagium peruasisse. Hæc & talia videbat & *Cato*, & præsertim, de quo loquimur, *Cicero*. Neque parum momenti aut consilii fuit in hoc ipso: *vidisse talia & obseruasse.*

10. Sed ad statum gradumque aduersus tot reip. mala occupandum & componendum nondum sufficiebat. Veniebat in partem calamitatis, *hebetata Senatus auctoritas, perterritæ & malefortes pro patria bonorum voluntates, suspecta vrbani auxilii fides.* Nihil horum ignorari aut negligi ab eo debuit, qui contra inimicos reip. prudenter & feliciter

citer pugnaturus erat. quorum præsidia, copias, machinas, artes nisi è specula quadam solertiæ prævideris ante & cognoveris, verendum est, ne in lubrico gradu pedem ponas, & de statu, quem occupasti, deiiciaris. Vt enim à singulis cavere queas, ad singula ante respiciendum est. Hoc primum illud & præcipuum *ἀντιπραγίας πολιτικῆς, bonæ illius*, inquam *& prudentis pro rep. aduersus malos contentionis* opus est: *gradum ad pugnam recte & ordine componere.*

II. Succedit alterum: nimirum *τὸ τῆς ἀντιπραγίας ἐπιδέξιον καὶ οἰκονομικόν: industria & opportuna artium, quibus aduersarii oppugnantur, dispensatio.* Aduersus *singula*, quæ in prædicto exemplo nominauimus, aliquid opponendum erat *pari contentionis cura*, sed non *pari arte modoque.* Quidam *aperte* adoriendi erant, sicut in senatu *Catilinam* Cicero, præsens præsentem impauide coarguit: quidam *vltimo supplicio*, vt piaculares publici periculi victimæ mactandi, quod in Lentulo & ceteris non distulit Cicero: atque hæc *maturatione & pæne festinatione* indigebant. quo & Tullii & Catonis (*vid. orat. eius ap.*

deinde obnitentis industria, artes, labor.

 Sallust.

Salluſt. Catil.52 & Vellei.2,35, 4.) impetus pertinet. Alii, è diuerſo, *paulatim & & per elicita indicia in quoſdam quaſi caſſes illiciendi erant.* huc retuleris Ciceronis conſilium, quo Allobrogicis legatis præcepit, *vt ſtudium coniurationis vehementer ſimularent, ſocios coniurationis adirent, bene pollicerentur, darentque operam vti eos quam maxime manifeſtos haberent. Salluſt. Catil.41.* Antonius *ſingulari arte, magnaque & ſimulatione & diſsimulatione* à reip. exitio auertendus erat. itaque Tullius eum *pactione prouinciæ perpulerat, ne contra remp. ſentiret. Salluſt.* Catil. 26. Aduerſus *occulte factioſos claros nobileſque viros,* inuſitata animi fortitudine & conſtantia opus erat, vt contemto inuidiæ & criminationis onere, pertendere auderet, quæ inceperat. *Populi totius* animos è cupidine rerum nouarum & neglectu publicæ ſalutis, ad meliorem mentem diuina quadam eloquentia traduxit. Nota eſt eo nomine *Catilinaria ſecunda.* Animaduertimus ergo virum prudentiſſimum, *partim aperto,* vt ita dicam, *Marte,* directaque in aduerſos acie conſilii ſui copias explicuiſſe; *partim arte & calliditate inuentiſq; quibuſdam* ex occulto

aut

aut obliquo rem gessisse: totumque illud reip. liberandæ negotium, in efficacem actuique peridoneam ἀντιπραγίας varietatem, vti res atque tempus monebat, dispensasse. Eandem postea consilii virtutisque rectitudinem adhibuit circa *Pompeii Cæsarisque molitiones* & aduersus Antonium: *cuius memoriæ æternas notas continuis actionibus inussit Vellei. 2, 64, 3.* Nisi quod fatalis rerum perturbatio, consilia etiam optimorum ciuium nō mediocriter perturbauit & interturbauit, de qua re mox pauca monebimus. Interim hanc τέχνην τῆς ἀντιπεριστάσεως *siue artem obsistendi inciuilibus elationibus* nō parum illustrare possunt, quæ *Plancus* de suis consiliis ad *Ciceronem* speciose disserit *l. 10. ep. 8.* E Catonis artibus singulare aliquid habet illa, & proprie ad hanc ἐπιδεξιότητα *respicit, cum per amicos & hospites suos, prouinciarum omnium administrationes, decreta, iudicia, denique quicquid pro rep. aut contra eam gereretur, certis & tempestiuis litteris resciuit.* vnde ipsum articulum auxilii contra vanas machinationes instruendi potuit constituere. Instituto pari non pari de caussa multi hodie vtuntur: qui curiosita-

riositati suæ & famæ haud raro ita velificantur.

In quo negotio interim aberrasse aliquando creditur & Cato.

12. Verum omnino iam eo peruentum erat, *vt plerique inhonesto & perniciosio* consilio *potentiæ paucorum decus atq; libertatem suam gratificari* cuperent. ceteri *frustra nitebantur, neq; aliud, se fatigando, nisi odium,* imo interitũ *quærebant.* Plane enim *Sallustiana* illa è *Iugurth.* 3. ad hoc tempus accommodare licet, quo aliqui Remp. lacerabant, alii lacerandam præbebant, Cicero & Cato ab vtrorumq; rabie defendendam sibi, magno sed irrito studio sumebant. Incipiemus à *Catone.* cuius seueritatem multi hic accusant, neq; ἀντιπραγίας artibus idoneam iudicant. Etiam *Cicero, Cato noster,* inquit *l. 2. ad Attic.* 1, *optimo animo vtens & summa fide, nocet interdum* Reip. *dicit enim tanquam in Platonis* πολιτείᾳ, *non tanquam in Romuli fæce sententiam.* Euentus certe ostendit, maximorum ingeniorum potentiam irritatam potius esse illa asperitate, quam impeditam: longèq; consultius fuisse, studium reip. aliqua mansuetudine temperare, impetuquẽ & directa contentione dimissa, obliqua & dissimulata arte communis sa-

nis ſalutis ſcopum attingere. ſed hoc repugnabat naturæ Catonis: cui immotum firmumque, *aperte & animoſe & in ore ſuæ reip. eiuſdem inimicos conuincere.* Quid dicemus? Nocuit ſane antiquus & indeflexus rigor, cuius non capax erat id ſæculum. At vero, cum nihil in ciuili vita vndiquaque ſincerum reperiatur, felicem dixerim remp. in qua magni viri hoc potiſſimum modo peccauerint. Fides enim ciuium eſt, qua ſalua, præcipuum ciuitatis robur ſaluum eſſe intelligitur: & licet ſine prudentiæ auxilio vix prodeſſe videatur, leuior tamen ciuis errantis quem degenerantis noxa cenſenda eſt.

13. Reprehendit *Plutarchus* in Catone, quod affinitatem Pompeii recuſauit. ea re maximam ἀντιπραγίας opportunitatem è manibus dimiſſam, ait. nam ita Pompeium diſtineri potuiſſe à Cæſaris affinitate, haud dubie ad opprimendam dominatu remp. ſpectante. Ratio magna reprehenſionis & ſpecioſa: ſed neſcio an maior Catonis, quo ſuam voluntatem arte callida conciliari, auctoritatemque aduerſus reip. libertatem pignerari, adeoque *ſe*

per mulieres capi (quod generose & reip. caussa respondit) *nolebat*. Distinuisset Pompeium sane tale matrimonium ab affinitate Cæsaris: an etiam ab ambitiosis & nimiis consiliis? quorum minister fautorque, ne videri quidem volebat Cato. Vtique ergo aut Catoni discedendum fuisset à constantia iuuandæ reip. aut Pompeius caritatem necessitudinis, dominationis cupiditati, quæ cunctis affectibus flagrantior est, posthabuisset. Ita enim sentiendum esse de eo, quod sperari aut timeri potuit ex illo affinitatis fœdere, res ipsa loquitur. Quapropter sicut in aliis quibusdam nimis animose directam viam institisse Catonem nemo negauerit: ita non sine ratione dubitaueris, an hæc ἀντιπεριγίας semita multum momenti fuerit allatura, sicut *Plutarcho* opinari libuit.

& Cicero

14. Quod ad *Tullium* nostrum attinet, vitauit equidem solicite, ne perturbatis reip. temporibus in id, quod Cato, incideret: flexitque & mutauit sententiam, verba, consilia, prout publica vtilitas videbatur postulare: qua de re ipse *ad Atticum* & alibi sæpe testa-

cap. 4.

tur, ac pæne gloriatur. Sed accidit ei, quod est apud Comicum:

Qui cauet ne decipiatur, vix cauet, cum etiam cauet,
Etiam cum cauisse ratus, sæpe is cautor captus est.

Adeo scilicet, vt supra iam meminimus, difficile est iudicium de confusis, & ardua coniectura de perplexis: dum ipsa fide, ipsa industria sua distrahuntur pariter ac decipiuntur aliquando sapientes. Communiter in eo reprehenditur, quod exorto inter Cæsarem & Pompeium bello, cum primo medium se partibus præstitisset, eiusque & auctoritas & consilium (cuius egregium specimen *epistola ad Cæsarem inserta lib. 9. ad Attic. post 11.* præfert) reip. profuturum videretur, postea tamen mutata voluntate Pompeio se adiunxit. meliora consilia suggerente ipso *Cæsare* (*vide lib. 10 ep. ad Attic. post 8.*) & *Cælio* (*vid. ibid. post 9*) Improbauit ergo id factum vehementer *Cato* apud *Plutarch. in Cic.* iudicauitque statum salutaris pro rep. ἀντιπωεγ-γίας corruptum hoc pacto & iniquo, vt ita dicam, loco constitutum: cumque in medio collocatus vtrumque à reip. exitio

cap. 4.

exitio prohibiturus speraretur, deserto illo gradu nec partes nec remp. adiuuari ab ipso posse. Agnouit & ipse sera æstimatione ac damnauit errorem suum.

qui in ambigua distractus

15. Ambitionis in rep. gerenda nimiæ subinde eum *Plutarchus* arguit. adeo vt adolescens adhuc *Octauius*, cum ambitione eius tempestiue & callide abuteretur, aduersus ipsum & remp. eualuisse credatur. id quod ab amicis sæpe *Ciceroni* exprobratum est. Sane poterat hoc mirum videri, eum virum, qui studio libertatis exitio Iulii Cæsaris tantopere lætabatur, patefacere denuo Julianis artibus viam, & dominationi struendæ auctoritatem suam commodare. Sed hæc postea, qualia essent, demum apparuere. in ipso rerum tumultu non leuia erant, quæ Ciceronis consilia in hanc partem inclinarent. Memor erat somnii de Octauio puero sibi oblati, quo liberator reip. & ciuilium bellorum domitor monstrabatur. Videbat Antonium incubare grauem publicæ libertati; neque sine opera Octauii strenue compesci posse. Videbat Octauium post operam reip. iam felici-

feliciter nauatam, non indignum præmio & honoribus esse. Hæc eius generis sunt, vt Tullii consilium excusare quodammodo possent, nisi & hoc damnare postea ipse, diuersaque nec reip. profutura meditari instituisset. Sicut enim *intemperantia* erat, toties publice exitio Cæsaris gaudere; & *credulitas*, interfectoribus Cæsaris, speciose & per artem Ciceronis auctoritatem facto suo accommodantibus, accedere; & ἀστοχία, libertatis restitutionem sperare, in ea ciuitate, quæ libertatis nullo modo capax erat: ita haud dubie sinistriore iudicio Octauium tollendum postea iudicauit, quam promouendum antea susceperat; super rei præsentis conditionem, etiam Iulii exemplo iam admonitus, receptam semel tam alte dominationem, nihil minus quam gladio corrigi. Etiam *dicteriorum acerbitas* pari licentia aduersus omnes expedita: tum *in peritulis timiditas* obstitisse melioribus pro rep. consiliis existimantur. qualia tamen nec cum *Dione* (cuius in Tullium iniquior stilus videtur) traducenda, neque huc, citra memorabile exem-

exemplum, referenda quis dixerit. præsertim cum nobis ad instituti rationem sufficiat, quædam de *actu ciuili* hoc loco annotasse: atque interim; si, qua maior pars vitæ atque ingenii stetit, ea iudicetur de homine; omnino verum maneat, quod Augustus ap. *Plutarch.* mortuo reddidit, testimonium: *fuisse Ciceronem virum doctum, &* PATRIÆ STVDIOSVM. nam id in primis hic spectamus, atque ideo ceteras laudes non conquirimus. sicut nec ea, quæ in *Catone* vituperantur, denique impedire possunt; quin *Dionis* laudatione dignissimus videatur: cui *lib.* 43. dicitur δημοτικώτατος καὶ ἰσχυρότατος καὶ ἰσχυρογνωμονέστατος πάντων τῶν καθ' ἑαυτὸν ἀνθρώπων γενόμενος; *libertatis studiosissimus, animosissimus, constantissimus ex omnibus suæ ætatis hominibus.* Certe in his duobus licet reperire, quidquid ad fidem boni ciuis, ad artem gerendæ reip. ad morum rectitudinem videtur pertinere. Nam de doctrina & studiis Ciceronis, quibus imperium Rom. illuminauit, alibi rectius tractaueris.

Sed hoc iudicium de tantis viris moderatione indiget.

CAP. V.

CAP. V.

I.

ATque hæc, de quibus modo nobis sermo erat, ingenia magnum reip. ornamentum in secundis, in aduersis solatium adferre solent: omniq; & fauore & honore dignissima existimari debent. Accedimus nunc ad eos homines, *quos inter magnos quidē eximia naturæ præstantia vindicat*, sed *instituti morumq; ratio factiosis, elatis, superbis, inciuilibus aggregat*: siue vt *Velleius* Noster de Gracchis loquitur, *qui optimis ingeniis male vtuntur, atque vt male vtantur, quadam animi intemperantia ac inquietudine stimulantur*. Ea nota insigniuit Noster, præter *Gracchos*, de quibus diximus, *Marium*, *Sulpicium*, *Cinnam*, *Sullam*, *Antonium*. Nam hos omnes, aliosque plures, turbandæ reip. parandæque dominationi nimiopere studuisse, notissimum est.

Explicata Ciuilium ingeniorum *præstantia: acceditur nunc ad* homines inciuiles *&* inquietos:

2. Deprehendimus autem in talibus ingeniis *primo* quidem τὸ φιλότιμον καὶ θρασὺ τῆς ψυχῆς *ambitiosum audacemque animum*: *deinde*, τὸ πολύστροφον τῆς γνώμης *versutum consilium*; *denique* τὸ βίαιον τῆς πράξεως siue *violentiam actus*: quo cetera, quæ de iis aut in eos

quorum ingenia communibus notis signantur.

dici possunt, referre licet, ni fallor. *Audaciam* ambitioni coniunximus, vt à ceteris ambitiosis, *seditiose ambitiosos* distingueremus, & in vnum confusa duo ista mala singularis noxæ genus efficere ostenderemus, quæ separata simplicius nocent. Hinc sunt *vasta, immoderata, nimia, abrupta conata*: quibus perficiendis *miras artes* suppeditat & *arcanas versutia consilii*: nisi quod has ipsas *aliquando præuenit, aliquando sequitur, plerunque comitatur vis, & impetus & turbatio.*

suntq; timendi Regibus,

3. Quid reip. expectandum sit ab his hominibus, exempla quæ nominauimus, commentarii vice declarant. Hi sunt quos Monarchis timendos veluti digito ostendit *Aristoteles 5 polit*: 10: & maximum periculum principibus imminere ait, partim quidem per *audaces*, præcipue vbi officii militaris aut potentiæ robur accesserit (τὺς τὴν φύσιν θρασεῖς, τιμὴν δ' ἔχοντας πολεμικὴν παρὰ τοῖς μονάρχοις appellat) *partim per ambitiosos* (τὺς διὰ φιλοτιμίαν ἐπιτιθεμένυς) quid ergo si vtrumq; in vno cõcurrat? Hi sunt, qui *in Optimatum imperio*, contemnere magistratus, insidiari legibus, semel tur-

Optimatibus,

batas

batas conuellere ſolent, donec reſp. degeneret εἰς δυναστείαν τῶν ἐπιχειρησάντων νεωτερίζειν in potentatum eorum, qui res nouare ſemel aggreſſi ſunt. nam eo rem euenire, obſeruat rurſum Philoſophus 5 pol. 7. Hi ſunt, qui *in populari imperio* aut *ex optimatibus & multitudine mixto* δημαγωγίᾳ turbulenta concitant populum, ſtatumque diſſoluunt, dominationi inhiantes. σχεδὸν γὰρ οἱ πλεῖστοι τῶν τυράννων γεγόνασιν ἐκ δημαγωγῶν ὡς εἰπεῖν πιστευθέντες ἐκ τοῦ διαβάλλειν τοὺς γνωρίμους. *plerique ferme tyranni, ex demagogis ſunt facti, qui optimatibus & nobilibus criminandis fidem ſibi & auctoritatem quæſiuere.* Quod & ipſum Philoſophi verbis adſtruere placuit, è 5 *pol.* 10. vt intelligeretur maximas rerump mutandarum cauſſas penes ingenia, quæ notauimus, reſidere. cap. 5. Populo.

4. Id vt prudentius æſtimetur, ſimulque *Velleianæ notationis* verba, aliqua expoſitione illuſtrentur, non alienum fuerit hoc loco, *ipſum actum inquietorum capitum propius introſpicere, quibusq; artibus immodica conſilia ſtruxerint prouexerintq;*, exemplis, quæ Noſtra hiſtoria nobis ſuppeditat, demonſtrare. Qua *Ad* molitiones eorum actusque *deſcribendos.*

in parte, vt & breuitati & iuuentutis exercitationi seruiamus, genere scribendi vere χαρακτηριστικῷ (sicuti veteres, collectis dictorum factorumque speciminibus, certa cuiusque indolem ac mores nota signauere) vtemur: retento interim ordine, quem paullo ante proposuimus.

adhibetur genus commendandi, χαρακτηριστικὸν.

5. Solet itaque *inciuilis & factiosus* talia ferme sentire, dicere, facere. Primo omnium *præsentem statum odit* (Vellei: 2, 91, 2) *nec contentus est ciuili dignitatis modo* (2, 7, 1) *Immoderata, inciuilia, nimis-alta semper cupit, optatque inusitati facinoris celebritate nomen sibi & famam parare. Vnum honoris gradum adeptus ex successu animum sumit* (*Vellei* 2,17,3) *omniaque sibi imperia, omnes dignitates insatiabiliter concupiscit* (2, 18, 6) *vsque ad regalem potentiam* (2.6,4) *& singulare imperium* Sullanumque aliquod regnum. His cogitationibus *semper inquietus* est (2,11,1) *magisque ac magis in dies agitatur. odit superiores, grauatur pares* (2,29,3.2,33,3) *& contra vtrorumq; opes cuiusuis potentiam vult crescere. Hinc adeo audendum sibi existimat omnia: & ignauiam vocat, ingentibus ausis ab-*

Plut. Tib. Gracch.

Cic. 8. ad Attic. 11.

Lucan. 1, 125.

Sallust. Cat. 17.

Pollux. lib. 6. c. 32.

sis ab-

stis abstinuisse. sicut & cetera rerum nomina permutat ex lubidine animi sui; probitatem, stultitiæ titulo; quietem, socordiæ; prudentiam, timiditatis; continentiam, effeminati animi conuitio, prout conducit rebus suis, vel in se existimans vel in altero traducens.

6. *Plerunque tamen, priusquam erumpat in publicum ista molitio, artibus quibusdam sibi grassandum existimat. inter quas facile simulatio & dißimulatio primas tenet. aliud clausum in pectore, aliud promtum in lingua habere: amicitias inimicitiasque non ex re, sed ex commodo æstimare: populares auras captare, largitionibus vti, speciosa vocabula vulgi auribus occinere. Quæ alii scelera, hic remedia vocat: dum falsis nominibus, seueritatem pro sæuitia, parsimoniam pro auaritia, supplicia & contumelias ciuium, disciplinam aliquãdo appellat. & ex diuerso, bellum ciuile, defensione libertatis; nouas tabulas, vindicatione salutis prætexit. à iure & legibus ad naturam & rationem prouocat: satis gnarus, nihil esse tam impium, cui non aliqua æquitatis species generalibus istis & per indistinctam amplitudinem patentibus sententiis poßit conciliari. cum præsertim acceßit exemplorum, quæ seruire sibi cogit quoties & vbicunque vult, auctoritas. itaque profert aliquos ex an-*

Sallust. Cat. 10.
Lucan. 1, 130.
Flor. 3, 17, 6.
Tac. 4 H. 73, 7.
Tac. 1 H. 37, 5.
Plut. in Grac.

Cic. Acad. quæst. 4, 5. tiquis claros viros, quos dicit fuiſſe populares, vt eorum ipſe ſimilis eſſe videatur. Repetit iam P. Valerium, qui exactis regibus primo anno conſul fuit: commemorat reliquos, qui leges populares de prouocationibus tulerint, cum conſules eſſent: tum ad hos notiores, C. Flaminium, qui legem agrariam aliquot annis ante ſecundum Pun: bellum trib. pl. tulerit, inuito ſenatu, & poſtea bis conſul factus ſit: atque ſic progreſſus horum nominibus tot virorum atque tantorum expoſitis, eorum ſe inſtitutum ſequi dicit.

7. Quod ſi etiam aliquandiu forte virtutis legem & rationem ſecutus fuerit (quod ipſum tamen animi tales non alio quam ſuæ claritudinis commodique reſpectu ferme ſolent facere) mox ingreſſus audacia conſilia deſciſcit à bonis, & prauus, tum deinde præceps fit (2,2,2.2,18,5) optimum quemque calumniis deprimere, peſſimos laudibus attollere, Excerpt. Dion. de Mario. ludi genus ac ioci credit: periuria quoque, omneque mendaciorum genus in leuibus numerat. nibil ex fide, omnia ex proprio vſu agit ac temporibus inſidiatur (2,21,2) omnes interim cuiusque generis homines ſibi aggregans, ac in ſuam factionem ſolicitans. pauperculam plebem, muneribus; obæratos, pollicitatione pecuniæ; ſeruos, propoſita libertate; exules da- Salluſt. Catil. paſſim.

mnatos-

innatosque, spe immunitatis; peregrinos, ciuitatis promißione, suis consiliis adiungit: omnia miscet, remp. conturbat, nihil immotum, nihil tranquillum in eodem statu relinquit (2,2,2. 2,6,3) *Quod quiete poterat consequi, mauult per vim extorquere & tumultuando adipisci* (2,7,1) *concupiscit minima ob sorditiem animi; nec satiatur maximis, ob insatiabilem cupiditatem. quæ semel peßime ausus est, obstinate pertendit* (2,45,1) *semperque priora nouis vincere facinoribus nititur: inaudita & sine exemplo atrocia se demum digna existimans deniqué incendium suum ruina extinguere optat, mauultque publica ruina occidere, quam sua proteri, & idem passurus minus conspici* (2,91,4) Huc ferme recidunt consilia hominis inquieti & conata: quibus seque remque publicam perditum ire solet.

Pollux 6,32.

Dio 47 p. 375. Id. 45 p. 328.

Sallust. Catil. 31.

8. *His igitur quemadmodum poßit & debeat obuiam iri*, partim capite præcedenti, per occasionem attigimus, partim hoc loco amplius persequemur. Diuiserit autem aliquis totum hoc negotium in duas partes: quarum *prima* ad *seueritatem fori*; *altera* ad *artes & sophismata arcanæ prudentiæ* spectabit. In *foro* factum quæritur, & de perpetrato iam scelere

Succedunt remedia *iis opponenda*,

Primo quidem in foro:

iudicium constituitur. nisi quod suscepta molitio, inita consilia, cogitatæ insidiæ aduersus remp. in facti partem veniunt, criminibusque iudicis potestate vindicandis merito in tali argumento accensentur. Quod si ergo molitio talis, antequam effectum sortiatur, delata fuerit atque comperta, *ante omnia certitudo rei scrutanda, & audiendi sunt rei, reorumq; excusationes, idque quantum res & consuetudo patitur aut postulat.* Pertinebit hoc ad grauitatem iudicii: quia libenter damnare videtur, qui facile credit, neque quid aut cur credat, satis explorat; & propemodum insons existimatur, qui inauditus inque defensus perit. *Non est prætereunda grauitas* Lacedæmoniorum *hoc loco.* Cum enim factiosa Pausaniæ consilia non in suspicionem modo plurimorum sed sermones etiam venissent, tamen *quod harum rerum nullum erat apertum crimen, quo argui posset, non putabant de tali tamque claro viro suspicionibus oportere iudicari: sed expectandum, dum se res ipsa aperiret*, memorante *Cornel. Nepote in Pausan.* 3, 7 & 4, 3. Qui locus præsertim de reorum dignitate consideranda nos admonet: quæ quo maior erit, eo grauiorem inui-

vbi grauitas & moderatio

inuidiam faciet punientibus, nisi conuictos & meritissima pœna affici publice constiterit. Qua in parte prouide & ac prudenter Cicero in coniuratione Catilinaria apud *Sallustium*; tam in accurata inquisitione, quam in graui cognitione omne coërcitionis publicæ robur reponens.

9. Intelligenda est ea cognitionis diligentia moderatioque, cum exceptione casus grauioris vbi periculum in mora præsens non patitur audiendo disceptandoque tempus extrahere: aut vbi iudicialis compellatio maiores motus videtur minitari. hic enim *aliquando statim puniuntur, quorum perniciosa cœpta CERTO INDICIO INDVBITATISQVE ARGVMENTIS cognita sunt.* Ita Lepidus Triumuiri filius, bellum moliens à Mæcenate deprehensus & occisus est, *Liu. epit.* 133: *atque sic immane noui ac resurrecturi belli ciuilis restinctum initium*, obseruante *Velleio* 2, 88. 3. Equidem *tali tempore citra processum fori, vt loquuntur, ordinarium licere principibus subuertere sontes*, disputat *Clapmarius lib.* 4 *Arcan. cap.* 12 eamque rem *iure dominationis & plenitudine summæ potestatis* comprehendi existi- *cum extraordinaria seueritate iungenda est:*

mat. Exempla adfert *Seiani à Tiberio; Cæcinæ consularis à Tito, Parmenionis, ab Alexandro* subuersorum. Nollem addidisset hoc postremum. Sontem enim fuisse Parmenionem, nemo Historicorum audet affirmare. vbi ergo crimen dubium est (quod hic ipse *Clapmarius* fatetur) iuris districti potestas, noxiis tantum intentanda, locum non habebit. Vide cautionem *Curtii* 7,2,34. Alias omnino, in fauorem sacrosanctæ Maiestatis, si de crimine aduersus eam agitato constiterit, consuetudo fori, præsentiori & supremæ potestati cedere non recusat. idque tum in ceteris imperandi formis, tum in Regno.

obseruato tamen tempore, 10. At vero de exemplis exerciti tam præsentanea vi imperii difficile est iudicare: οὐ γάρ ἐστιν ἀκριβῶς τὰ τοιαῦτα τοῖς ἔξω αὐτῶν οὖσιν εἰδέναι: *non possunt enim hæc gesta accurate, nisi ab iis cognosci, qui gerendis intersunt,* inquit prudentissime *Dio* 54 *p.* 607. Interim tenendum est, ne citius huc decurratur, quam opus sit: licet enim securitati satis caueri ita videatur, tamen plurimum contrahitur inuidiæ, quod recte obseruat *Sueton.* in exemplo Cæcinæ interfecti *Tit.* 6. *Quando igitur*

huc

huc decurrendum est, inquis? si reus spreto imperio cognitioni se subtrahit, concitatque multitudinem, sicut Sp. Melius, quem ob id euestigio & quidem iure cæsum satis constat. Vnde dictator: *consedisse se ad caussam cognoscendam: qua cognita, habiturū fuisse Melium similem caussæ fortunam. vim parantem ne iudicio se committeret, vi coërcitum esse. Liu. 4,15.* Ita C. Gracchus imperio consulari & manu militari oppressus apud *Velleium* 2,6. nam de Tiberii Gr. exitu variatum est sententiis. qua de re egimus in *commentar. Vellei. ad* 2,4,4. Ita, *si quis acie vincendus est, vt reus agi poßit*, quod de Pisone dicitur apud *Tac. 3 A.* 13,4; quidquid euentus armorum tulerit, necessitas armorum defendet. nam quid aduersus vim opponi potest, præter vim? Hinc celebre est Mæcenatis consilium apud *Dionem* 52 p. 557: *qui cum voluisset, ceteros insidiarum & conspirat: reos in iudicium & ad cognitionem senatus adduci, eos excipit, qui exercitum obtinentes palam insurgunt aduersus Principem: hos enim non iudicio appellandos, sed vt hostes vi persequendos esse monet.*

11. Ceterum vt hæc seueritas iudiciorum distinctius cognoscatur, etiam *& occasione clementia.*

dispi-

dispiciendum est, *quali potißimum pœna turbidos spiritus affici è republica sit?* Quidam enim inconsulto fauore sceptrorum & maiestatis abrepti, extrema & vltima tantum remedia huc conuenire clamitant: neque aliud, quam capitale supplicium idque atrocissimis modis infligendum suggerunt, autumantes: *canem mortuum non mordere.* Equidem vt exaggeretur suppliciorum grauitas, caussas vniuersim istas nouimus: si sanctioris rei violationem habet delictum, si penitus deliberata obstinateque crudelis fuit delinquentis malitia, si præsentior immaniorq; exempli noxa imminet ex delicto & delicti circumstantiis, quas vocant; si voluntatibus publicis parendum, aut bono publico velificandum est. Verum hæc ipsa reputatio, quam alii tam auide accommodant ad inquietorum supplicia, potest nos ad ratiocinanda ὑποθέσεως στασιαστικῆς siue nouorum consiliorum discrimina deducere. quæ accurate expendit *Liuia* apud *Dion.* 55 sicut *in dissertatione de amnestia cap.* 4 § 9 *& seq.* declarauimus. Sed & *Mæcenas* apud *Eundem Historicum* diligenter monet Augustum, *vt insidiatos sibi neque ipse iudi-*

cet,

cet, neque præiudicio oneret, sed in senatu caussam dicere iubeat, conuictosq; supplicio, quantum fieri potest, MODERATISSIMO afficiat. lib. 52 p. 557. scilicet vt crimini fides fiat, de quo, si principis res agitur, plerumque malunt dubitare homines. lib. 54 p. 607. Ex quibus satis apparet, *esse & hic aliquem lenioribus remediis locum*: ne nunc ad exempla id affatim affirmantia eamus. præsertim autem veluti *arcanum* suppeditatur: *quæ Principis personam lædunt, ab ipso principe parcius vindicanda esse, quam quæ manifeste in remp. tendunt.* Licet enim in statu regni in Principis salute salus publica contineatur, adeoque in ipsa Maiestate regia magnum & validum lateat vindicandæ Maiestatis telum (quo de iure moreque alibi dicemus) tamen Principi vehementer cauenda est illa hominum opinio, *quasi sui caussa pleraque ageret, sibi vigilaret, sibi animaduerteret.* præsertim *in nouo imperio*, cui omnis inuidia plurimum nocere putanda est. Adhibeatur ergo seueritas, quantam resp. postulat, & ratio delicti meretur; vt ostendatur inciuilibus ingeniis, exitiabiles esse solere & debere eorum exitus, qui quieta mouere, præsentia odisse, composita tur-

bare

bare instituunt. Neque enim diffitendum est partem prudentiæ in eo versari, si, *quos natura ipsa retinere in officio non potest, ii magnitudine pœnæ maleficio summoueantur.* vt hoc de parricidis à *Cicerone* dictum ad publicos parricidas accommodemus.

Remedia Prudentiæ extra forum *vt recte procedant,*

12. Ceterum, quæ ad iudicia pertinent, vel legibus descripta, vel moribus recepta, planiorem habent viam. *Altera pars* ex iis, quæ constituimus, latius patet, multamque prorsus obseruandi, agendique diligentiam requirit & sollertiam. Ante omnia enim hic idoneo rerump. tractatori *noscenda sunt & dignoscenda illa ingenia,* quæ rebus nouis facilia vel per notas indolis actusque existimari, vel per fortunam reddi solent. *Quorundam enim turbulentia cum stoliditate & vanitate hebeti coniuncta est: quosdã in præcipitem audaciam intemperatus cœcusque furor rapit: sunt, quorum audaciam acuta vafrities tegit & regit: sunt quibus nunquam deest voluntas, sed deest plerumque audacia res nouandi.* Ex

distinguenda est inquietorum indoles in certa genera.

quidam enim sunt stolide inquieti:

primo illo genere fuit *Lepidus triumuir, vir omnium vanißimus, neque vlla virtute tam longam fortunæ indulgentiam meritus,* vt recte à *Velleio* dicitur 2, 80, 1. *insciens agendi,*

cuius

cuius audaciam quiduis inflabat, conatum omnia deserebant, sicut ex *iis, quæ sequuntur apud Velleium, aliorumque scriptorum elogiis* nimis manifestum est. Adde *Sallustianum Curium* Catil. 23. *Hi tales non sunt valde extimescendi.* quid enim? armatos, Augustus aliquis inermis exarmaret. *Vellei.* 2, 80, 4. abest auctoritas, sine qua nihil magnæ rei geri potest; abest consilium, sine quo ruat necesse est quantacunque moles & molitio.

13. *Secundum genus* continet τολμηρὰς ϗ φιλοκινδύνους, promtæ & præcipitis audaciæ homines, quales Catilina potissimum suæ coniurationi præfecit, memorante *Sallustio Catil.* 17 *neque per ignauiam aut vana ingenia se incerta pro certis captaturum fuisse,* profitetur *cap.* 20. De his vt recte iudicari possit, attendendum est, *an bello egregii, gerendisque rebus industrii sint: an vero ob dissolutionem morum inefficaces & impetu solo sint timendi. Illi* nihil modicum minantur, veri scilicet παῖδες τοῦ Ἄρεος *Martis filii,* vt ex *Plutarchi Mario* hoc dicam. Talis fuit *Marius* pater, qui Velleio χαρακτηρίζεται: *hirtus atque horridus vitaque sanctus, quantum bello optimus, tantum pace pessimus, immodicus gloriæ, insa-*

quidam furiose inquieti,

insatiabilis, impotens, semperque inquietus 2, 11, 1. Sed & *Gracchi* huc pertinent, de quibus 2,2, & 2,6,1 *&c.* Minus sunt formidabiles & facilius occupantur compescunturque *eorum* conata atque cupiditates, *qui audaciæ quidem præferuidæ plurimum habent, neque omni consilio destituuntur, sed neque diligentia agendi neque dexteritate idonea pollent*: qualem Noster passim *Antonium* figurat: *Sextumque Pompeium Magni filium*, itemque *Clodium. Horum* molimina, si procedant, assidue & minaciter fumare; *illorum* efficaciter ardere, dixeris.

quidam callide inquieti; 14. A' *Tertio genere* plurimum est periculi, *quorum audaciæ acutam vafritiem coniunctam* diximus: igitur obseruanda diligenter ac speculanda sunt & ingenia eorum & consilia. Equidem *cum in eo conueniant*, quod nihil pensi moderatique habent, quod nullum facinus extimescunt aut ignorant, *hactenus tamen distingui videntur*, quod eorum *aliqui magnam speciem præferunt, penitusque sub vulpe latent*; qualem, *Sullam Velleius* 2, 17. *it*: 2, 25, 3; *Seianum, Tacitus* præsertim 4 A. 1 depingit (cui Noster hactenus congruit, quod *actu otiosis simillimum* facit, idque in laude

laude ponit, cum nondum essent detecta eius flagitia) *aliqui magis ingeniose exercent nequitiam, quam studiose occultant*, sicut *Curio* Velleii, *homo ingeniosissime nequam* 2,48,3; & quem Curioni comparat *Cælius* 2,68,1.

15. *Quartum*, ex iis quæ constituimus, *genus*, destituitur illa nota, quæ alias inquietis & turbatoribus communis est ac propria, (*audaciam* dico *exequendi*) & tamen merito iis annumeratur: cum voluntate turbulenta & vtantur ipsi assidue, & talibus consiliis delectentur. *A talibus vix est magnopere timendum*: cum nec ipsi ferme aliquid audeant, nec audentibus constanter præsto sint. Vnde prudenter *Cicero* cum descripsisset eiusmodi hominem, *paruo scilicet animo & prauo, cauillatorem genere illo moroso, quod etiam sine dicacitate ridetur, facie magis quam facetiis ridiculum, nihil agentem cum rep. seiunctum ab optimatibus*; adiicit: *ab hoc nihil speres boni reip. quia non vult; nihil metuas mali, quia non audet. lib. 1. epist. ad Attic.* 13. — *quidam* ignaue inquieti.

16. Petenda etiam est obseruatio distinctionis *ex ipso proposito & fine* hominum: quem non vnum sequuntur, qui res nouas cupiunt. *Alii* enim, præter — *Sed & proposito* speciali *differunt inquieti.*

æmulationem & depreſſionem aduerſarii nihil videtur propoſitum: *quosdam* dominationis ſpes & dignitatis vnice inſtigat: *aliquibus* popularis gratia & famæ applauſus pro præmio eſt: *nonnulli* vltionem inimicorum, cædes, incendia, animo hauſerunt: *nonneminem* plura ex iſtis inuitamentis ſimul in prauum abstrahunt: *ſunt* & animi tam proiecti impotentisq; homines, quibus hocipſum, quieta mouiſſe ſcilicet, ſine mercede magna merces videtur: *denique* multos per ſe minus turbidos, æs alienum aliaue neceſſitudo in tranſuerſum agit, vt præſentem ſtatum odiſſe, nouum optare, & pollicentibus auſcultare incipiant: ne dicam *de conſuetudine vulgi* & multitudinis, quæ ad leuem auram obiectam turbida & nouandis rebus alacris eſſe ſolet. Sed hæc poſteriora minus huc pertinent, cum hac ratione nullum hominum genus ſit, à quo non imminere aliquando periculum poſſit reip.

Ex qua diſtinctione pendebit diſpenſatio remediorum.

17. De cetero magna pars erit remedii, *obſeruaſſe mature ingenia rebus nouis prona ſiue facilia*, & *diſtinxiſſe*. nam ex illa diuerſitate tota ἀντιπραγίας, (de qua & capite præcedenti aliquid actum eſt) diſpenſa-

pensatio pendeat necesse est. Debet tamen, quod statim & serio monemus, hic quoque sine suspicione tyrannica res geri, præsertim in monarchia: vbi solenne est magistris dominationis, *erecta & viuida ingenia pro ferocibus & inquietis; strenuos & præclare meritos viros pro seditiosis traducere.* Pro qua solicitudine, satius esset boni imperii ac disciplinæ auctoritatem præsidiumque amplecti: legumque præsertim in libera rep. sanctitatem auxiliumque sancte tueri; quippe quibus saluis haud facile nouis consiliis locus est.

18. Quod si reuera timendi caussæ aderunt, aut erupturi olim motus indicia sese ostenderunt, omnis resistendi prudentia & obuiandi redibit ad *arcanum*, vt nunc ita loquar, *dissociationis, dissimulationis, maturationis.* nam de *seueritate*, quæ iudiciis congruit, iam diximus. Ex *dissociationis arcano* fluunt ista: *seponere ministerii specie & honoris, qui turbæ & turbarum duces metuuntur; præmiis & pollicitationibus & officiis beneuolentiæ in bonorum castra & familiaritatem nonnullos pertrahere: discordias inter eiusdem animi consiliique homines struere: eminentiores infamiæ metu obiecto distinere*, sicut apud *Sallustium* Cicero

Cuius artes referuntur partim ad arcanum dissociationis.

falsum indicem Crasso creditus est immisisse, *ne is, more suo, suscepto malorum patrocinio remp. conturbaret. Catil.* 48. quæ tam singularis consilii sollertia, nobis licet festinantibus non prætereunda fuit.

partim ad arcanum dissimulationis:

19. *Dissimulationis arcano* includuntur: *ὠτακουσταὶ siue emissi clanculum speculatores, qui specie notitiæ, familiaritatis, negotiorum in secretas destinationes penetrent: inquisitio tota clam peracta & inter maximas prouisiones otium simulatum: disposita & ordinata sine vllo hominum aut rerũ motu præsidia*: quæque ad hanc formam alia passim occurunt. Singulare est & in hoc quoque negotio vtiliter imitandum Agesilai commentum, quo is à defectione, quosdam suorum continuit. *Nam cum quidam adolescentuli hostium aduentu perterriti ad Thebanos transfugere vellent, & locum extra vrbem editum cepissent; Agesilaus qui perniciosissimum fore videret, si animaduersum esset, quemquam ad hostes transfugere conari, cum suis eo venit, atque vt si bono animo fecissent, laudauit consilium eorum, quod eum locum ocupassent, & se id quoque fieri debere animaduertisse. Sic adolescentulos simulata laudatione recuperauit, & adiunctis de suis comitibus, locum tutum reliquit. namque*

illi

illi aucti numero eorum, qui expertes erant consilii, commouere se non sunt ausi, eoque libentius, quod latere arbitrabantur, quæ cogitarant. Cornel. Nep. Agesil. 6, 2 & 3. Eundem ad modum, inquam, facta scilicet ad ingenium negotii comparatione, recuperandi sunt etiam in rep. aliquando, qui deterioribus consiliis animum conatumque applicuisse deprehenduntur.

20. Ad *Maturationem* pertinet, quod iam antea circa deprehensa perniciosa consilia indicauimus *redemta nimirum fori mora præsentiori & extemporali vindicta.* de qua in *crimine maiestatis* plura. Interim potius prouidendum est, ne huc deueniatur: *intendenda, quoties opus est, legum & magistratuum auctoritas; coërcenda omnis inciuilis elatio: popularitatis delinimenta præcidenda: potentia nobilium obseruanda: necessitates populi cum querelis amputandæ: otiosæ manus negotio exercendæ: influens in remp. sentina vilissimorum hominum exhaurienda: nihil nunciatæ rei negligendum: nihil differendum: in herba opprimendum, si quid emicuerit: & in illa festinatione nihil turbandum, nihil præcipitandum*: quæque alia, præsertim orto iam tumultu & cognitis prauorum hominum consiliis, *partim ad arcanum Maturationis.*

 passim

passim apud Politicos tractantur, cum de *seditionibus* agunt.

Denique cum quieto ingenio praediti aliquando ad res nouas concitari soleant,

21. Antequam hinc abeamus, notandum est: *multos in rep. Rom. nouis rebus studuisse, non tam suo ingenio & indole ductos, quam vitiis reip. & corruptissima ciuitatis disciplina inuitatos.* quod in Catilinaria coniuratione non omisit notare *Sallustius*. Licet enim tum princeps sceleris Catilina cum aliis nonnullis animo tali esset, qualis seditiosus merito censetur & dicitur, multi tamen fauebant nouis molitionibus, quos vera aestimatione non tam inquieta natura quam consuetudo saeculi & solis iam ambitiosis artibus parabilis gloria in partes traxit. Si propiora nobis tempora introspicimus, quid multorum animis reuerentiam excussit? quid in sacrosancta Principum capita percussorum manus armauit? Sane non semper, inquietum turbidumque ingenium, sed virtutis specie & pietatis instillata quietis per se animis impietas. Notiora sunt, quam vt hic exponi debeant, horrenda sacerrimi dogmatis exempla: quo ciuibus in Reges, ambiguis fallacibusque de caussis, potestas vindicata; quid potestas? latuisset forte sub

coercendi sunt magistri turbarum, *specie sanctitatis Resp securitatem conuellentes.*

isto velamento crudelitas, si iuris disceptatio ὑπευθύνους potius, quam καταράτους fecisset rerum Dominos: sed vis commendata est, sed insidiæ, sed publicum parricidium placuere. Nihil tale, tali schemate, tali loco auditum est, à condito orbe: vt hoc vnum sufficiat ad infamandum supra ceteras ætates, nostrum æuum. Quocirca non satis erit ad custodienda regni sacra, ad tuendam maiestatem Deo proximam & carissimam, turbulenta ingenia ciuium obseruare, sed turbarum artifices illi & magistri, qui nec ciues, & supra Dominos esse volunt, qui miris technis turbulentum faciunt, quidquid quietum est, vitandi studiose atque coërcendi sunt.

CAP. VI.

I.

EXpediuimus hactenus, ea quam argumentum capere potest philosophia, *de Heroicis & singularibus ingeniis*; tum deinde, *proximæ præstantiæ compotes, viros Eximios* considerauimus; *de Vulgi indole & multitudinis* nunc dicendum esset, nisi istius tractationis fontes, qua ad ciuilem Prudentiam pertinent, in accuratissimi

De Vulgaribus ingeniis, respectu ciuilis prudentiæ considerandis, alii egere.

operis sui Politici *lib. 4 cap. 5 Lipsius* reclusisset. Cetera varietas notationum in infinitum patet, neque tam in vnius libelli spatium contrahi, quam ad obseruationem perpetuam vbique commendari debet. Modo enim *tota descriptio* χαρακτηριστικὴ occurrit; *modo sensus talis & sententia*; modo *expresse* id agitur *& in formula*; modo *occultius & in fundamento.*

Cetera *in infinitum patet* varietas:

2. Obseruabis & illam differentiam: cum aliquando *virtus*, tum autem *virtutis distinctio*; rursum, *virtutis comparatio*; alibi *coniunctio virtutis*; est, vbi *actus virtutis aut virtutum*, notatur. Intellige semper, quæ de virtute dicimus, etiam *de dotibus ingenii artibusque*: &, pro mutua contrarii declaratione, *de vitio. Virtutes* e. g. *singulas* notat in Silio *Velleius*, cum *optimum ciuem, simplicißimum ducem* vocat 21, 116, 4. *Distinguit virtutem* cum alibi non *industrium* vniuersim, sed *quiete industrium*, appellat *actu otiosis simillimum* 2, 127, 4; & alia περιφράσει, *qui quæ agenda sunt, curet sine vlla ostentatione agendi* 2, 98, 3. Item cum *eloquentißimum* modo, (2, 13, 1) modo *eloquentia medium* 2, 29, 3. modo *facundum malo publico* nominat 2, 48, 3. *fulgentißimumque & cæleste os Cicero-*

tractanturq; variis modis illi, characteres politici:

nis, à Canutii *continua rabie* separat 2, 64, 3. *Comparat mores artesque* e. g. *Bruti Caßiique* 2, 72, 2. *Coniungit* vel *complectendo* vt cum *in omnia virtutum exempla genitus* 2, 11, 2 *vir in tantum laudandus, in quantum intelligi virtus potest* 1, 9, 3 memoratur; vel *miscendo*, vt cum *mixta Grauitati comitas* describitur in 2, 116, 3 *valensque in otium & negotium indoles*. 2, 88, 2. 2, 98, 3. 2, 105, 3. Ipsum *actum, grauiter constanterque prudentis* exhibet in illis: *at imperator optimus eorum quæ agebat iudex, & vtilia speciosis præferens & in omnibus bellis quæ probanda essent, non quæ vtique probarentur sequens*, &c. 2, 113, 2. *adde* 2, 115, 5. 2, 120, 1.

3. Iam quanta varietas nascitur ex diuersitate *propositorum, euentuum, aliarumque rerum, quæ humanas voluntates in agendo consulendoque regunt aut comitantur, actusque humanos ipsos, sicut diuersa lineamenta vultus, distinguunt?* Ad qualia exempla degredi nunc non est animus. sic quoque verendum est, ne quis λεπτολογώτερον ista dicta esse existimet. Nisi quod dudum nobis sedet, in his scriptionibus aliquando grauitatis iacturam facere, si illud dispendium ad iuuentutis monendæ inque penitiorem obseruandi *de quibus nunc non agendum est.*

curam excitandæ compendium valere posse intelligamus. Suppleri interim nonnulla possunt ex iis, quæ scripsimus in *Dissertatione de Politicis Lipsianis cap.* 3.

Est autem amplissimi vsus illa obseruatio:

4. Illud subinde notandum est, multaque diligentia monendum: Vsum talium notationum tam late diffusum esse, quam late patet Prudentia ipsa ciuilis, ad quam omnia, vt ab initio huius tractationis aiebamus, referenda, neque ἠθικῶς tantum examinanda sunt. In hoc subsidio sæpe totius argumenti intelligentia constituitur: sicut e. g. *Sallustius coniurationem Catilinariam, non nisi ab Auctoris charactere, vt ita dicam, politico, auspicandam duxit. de huius hominis moribus,* inquit, *pauca prius explananda sunt, quam initium narrandi faciam.* Scilicet malarum, callidarum, impiarum actionum atque cogitationum originem demonstratam ante omnia oportuit ac fontem in animo moribusque Catilinæ, vnde tanta in remp. pernicies extitit postea ac dimanauit. Id quod nobilissimus quisque Historicorum sibi attendendum arbitratus est.

Sed difficilis:

5. Cum autem *multiplices hominum naturæ, iudicium de rebus faciant diffi-*

cile.

cap. 6.

cile, fatente *Tullio* ad *Brut. ep.* 1: danda cumprimis opera erit ne vel ſimilitudo confuſionis vel ignorantia plurium, quæ ſciri debebant, aberrationis occaſio fiat, cum præſertim, ſecundum *Fabium inſtit. orat.* 2, 12, etiam *ſit quædam virtutum vitiorumque vicinia, qua maledicus pro libero, temerarius pro forti, effuſus pro copioſo accipitur. Sunt* imo *vitia quædam virtutes imitantia, quæ non poſſunt ſecerni, niſi ſigna, quibus dignoſcantur, impreſſeris,* verbis & iudicio *Senecæ* 1 *de clem.* 3. Itaque videas interdum de vno eodemque homine, alios magnifice, alios abiecte ſentire. *Multis enim ſimulationum inuolucris tegitur & quaſi velis quibusdam obtenditur vnius cuiusque natura,* inquit rurſum veriſſime *Cicero ad Q. frat. lib.* 1 *ep.* 1 *cap.* 5.

6. Itaque veteres varia excogitarunt huius obſeruationis adminicula, *notasque præſertim corporum ad inueſtigandas indolis animique notas* adhibuere. Cuius curæ pleni ſunt elegantiſſimi *Characteres Iſacii Porphyrogeniti*, quos *libro* 5 *Variarum Lectionum cap.* 20 *edidit Rutgerſius*. Verum, cum ſatis conſtet, *pleraque* ἐπιστήμης φυσιγνωμονικῆς, *ſiue eius artis, quæ ex notis corporis ſecreta animorum interpretatur, minus eſſe*

ideoque pro ſubſidio diligentia comparanda eſt ſtudioſis Prudentiæ.

hodie,

hodie, quam olim, perspecta atque explorata: itaque antiquius nobis esse debet iudicium, quod ex actu ciuili petitur. Nemo enim certe se adeo & semper occultare potest, quin ad recte obseruantes & perite iudicantes multa sui ingenii prodat indicia. Quæ in historia inprimis accurate sunt & copiose attendenda, sollerter comparanda inter se & contendenda, denique prudenter applicanda.

FINIS.



lorata.
t iudi-
Nemo
ultare
& pe-
rodat
is ac-
, ſol-
on-


Biblioteka Jagiellońska
stdr0023445




Histor.